COLLEGIJ SANCTI THOMAE COMPLUTENSIS. IN DUOS LIBROS DE GENERATIONE, ET...

Collegium Complutense Sancti Thomae

COLLEGIJ SANCTI THOMÆ COMPLVTENSIS.

IN DUOS LIBROS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE, ARISTOTELIS QVÆSTIONES.

Anno



1693.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti: Typis Iulianum Francisci Garcia Briones, Typographi Vniversitatis.

ILLUSTRISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO

D. D. Fr. IOANNI THOMÆ DE ROCABERTI, Prædicatorum Ordinis quondam Generali Magistro, Archiepiscopo Valentino, totiusque Valentini Regni Duci Generali, & Pro-Regi Eximio.

G*Audent profectò superna perpetuo motu, & quidquid homines labores vocamus, eorum natura est*, aiebat olim Panegyrista Pacatus loquens cum Principe, cui opera sua inscribebat, & cuius egregium in præclara quæque animum laudabat: Hoc idem nos potiori causa repetimus tecum loquentes, Excellentissime Princeps, cui opera nostra dicamus. Gaudent superna perpetuo motu, seu in cęlorum orbibus assidua vertigine rotatis solem inspiciamus, seu te in Ecclesiæ Militantis adhuc supremo orbe rutilantem miremur. *Sol illuminans per omnia respexit*, inquit Sapiens, seu iuxta Dionis Nizeni elegantem periphrasim. *Sol illuminans facit, & discernit horas,*

In Paneg. ad Theod. Imper.

Ecclesi. 42.

Orat. 3 de Reg.

unniqua tempora auget; plantas alit folijs, & fructibus replens: suppeditat suavissimum, ac pulcherrimum spectaculum, nempè lucem, vt omnia nutriat, omnia perficiat, & hæc omnia non gravatur gratis impartiri.

Huic solarij cursui præsens opus de ortu, & interitu rerum suam debet materiam; nam iuxta diversitatem signorum, quæ sol lustrat, variato influxu, cætera quoque sublunaria continua generationum vicissitudine variantur, vt ipsa (quis crederet?) misera rerum variatio, firmior sit vniversi pulchritudo. At restabat alter, & sublimior solis cursus, cui præsens suam deberet formam, & qui supposito rerum ortu, & interitu, ad illius indagandam naturam foveret, & impelleret calamum. Sed præstò ades, Excellentissime Princeps, invocantibus te, nec tua Apollineæ similis beneficentia patitur, vt opus, quod ab illa sumpsit initium, ab eodem quoque debitum non accipiat augmentum. Exponimus in præsenti opere generationem, nutritionem, & augmentationem rerum, & dum hæc alijs aperimus, eadem libellis nostris adaptari videmus, dum benevolo tuæ munificentiæ influxu generati, eodem quoque nutriuntur, & crescunt, vsque

dum

dum promissis fidem servantes inceptum consummemus cursum. Quid nigravetur Sol impartiendo gratis hæc omnia, si quod homines labores vocant, eius natura est? Si nullum perfectius assequitur gaudium, quam cum assiduo beneficentiæ cursu in eorum, quæ genuit, convolat miseratus auxilium?

Nec immerito, Excellentissime Princeps, te cum sole conferimus, sivè primevum Cathaloniæ splendorem solius Dei gratia tuo illucescentem ortui contemplemur, sivè tuæ mētis radios huic D. Thomæ Complutensi Collegio primo studiorum mane enascentes conspiciamus, sivè post varia lustrata signa, in tui meridiem, Prædicatorum scilicèt, diei præfectam lucem intentum defigamus obtutum, seu tandem, te in Valentini Regni ascito, & Ducem, & Præsulem, viciniorem (ò numquam eveniat) attendamus occasum. Ibi, quasi in vltima tanti fulgoris statione constitutus, illuminans per omnia respicis, dum laboranti Petri navi duobus illis tractatibus, quos celebrat orbis, velut eligeris remis succurris; dum pro eadem defensanda authoritate iam prælo paras Bibliothecam, cuius structuram ipsæ provocant Paternali affectu ad te directæ litteræ

Pon-

Pontificiæ. Nec in tantis gravaris, sed vlterius quasi nil egeris, cursum beneficiorum iterato assummis, & ex tam sublimi curarum vertice in Primævum hoc tuæ lucis ortum animum convertens ibi benefaciendo renasceris, vnde benefacturus processisti. Quid mirum iam, si properante in occasum sole iris accendatur, cùm tuis in finem radijs properantibus maior exigatur tuis factis triumphus?

Suspice ergo, quæ tuæ munificentiæ caloro generata, favore nutrita, influxu aucta, vt interitum nesciant, agunt de interitu, vt Thomæ solvantur, quæ sunt Thomæ. Iterum te Deus incolumem servet Ecclesiæ, Religioni, & nobis. Compluti die 29. Octobris anni 1693.

Pro Collegio D. Thom. Complutensis.

Tuæ Excellentiæ humilimus filius.

Fr. Emmanuel Ron.
Rector.

Licencia de los Superiores.

TIene el Colegio de Santo Thomas de Alcalà licencia del M.R.P.M. Fr. Domingo Perez, Cathedratico de Prima de la Vniversidad de Salamanca, y Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, y del Consejo Supremo de Castilla, para imprimir vn Libro, intitulado: *Collegij Sancti Thomæ Complut. in duos Libros de Generatione, & Corruptione, Aristotelis Quæstiones.* El qual aprobaron por la Religion los M. RR. PP. el M. Fr. Matheo Caro de Montenegro, Prior del Convento Real de Nuestra Señora de Atocha, y Fr. Pedro de Santa Maria, Lector de Theologia del mismo Convento. Por el Consejo, el Doctor Don Diego Castel Ros de Medrano, Dignidad de Tesorero, y Canonigo de la Santa Iglesia Magistral de Alcalà, y Cathedratico de Prima de Santo Thomas de la Vniversidad. Por el Ordinario, el Rmo. P. M. Fr. Bernardo Cartes, Cathedratico de Theologia de la Vniversidad, y Abad del Insigne Colegio de San Bernardo, y los M. RR. PP. MM. de dicho Colegio.

Suma

SVMA DEL PRIVILEGIO.

Tiene Privilegio el Colegio de Santo Thomas de Alcalà, por tiempo de diez años, para que nadie, sin su licencia, pueda imprimir este Libro, intitulado: *In duos Libros de Generatione, & Corruptione, Aristotelis Quæstiones*, como consta de su original.

SVMA DE LA TASSA.

Tassaron los Señores del Consejo este Libro, intitulado: *In duos libros de Generatione, & Corruptione, Aristotelis Quæstiones*, à seis maravedis cada pliego, en papel, como consta del testimonio dado en Madrid à 22. dias del mes de Octubre de 1693. por Don Manuel Negrete y Angulo.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pagin.14. col.2. lin.18. alteri, lege alterari. Pag.37. col.1. lin.28. quod primum, lege quiad primum. Pag.75. col.2. lin.28. forma, lege à forma. Pag.115. col.1. lin.5. inforre, lege informare. Pag.188. col.1. lin.21. Æthegoreneos, lege Ætherogeneos. Pag.210. col.2. lin.8. radicali, lege radicale. Pag.275. col.1. lin.11. incipiscit, lege inspicit. Pag.306. col.2. lin.29. libentur, lege libenter. Pag.324. col.1. lin.27. quæst, lege quæ. Pag.338. col.1. lin.29. paritate, lege puritate. Pag.344. col.1. lin.8. esse, lege esset. Pag.345. col.1. lin.35. contractorie, lege contradictorie. Pag.348. col.2. lin.11. vtrumque, lege vtramque. Pag.351. col. lin.26. extensis, lege intensis.

Ex ordine, & commissione Supremi Castellæ Senatus vidi librum inscriptum Collegij Sancti Thomæ Complutensis in duos libros de Generatione, & Corruptione, Arist. Quæstiones, hisque erroribus, suo prototypo convenit. Matriti, die vigesima prima, Mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo & nonagesimo tertio.

Lic. D. Simon Iosephus de Olivares & Valcazar.

Pro-

AD DVOS LIBROS DE GENERATIONE, ET CORruptione.

Procemium.

1 NAturalem Philosophiam in plures partes discecavimus in Procemio ad octo libros Physicorum, iuxta diversitatem partium sui obiecti, quod est ens mobile. Pars illa in qua Aristoteles de ente mobili motu generationis, & corruptionis pertractat, si ordinem naturalem attendas, est tertia: si methodum academiam inspicias, est secunda, Ordine quidem naturali est tertia, quia prima pars merito octo libris Physicorum adscribitur, in quibus motus, & mobilia in communi considerantur, quia communia, & generalia principia prius debent in communi investigari, quam ad particularia applicentur. Secunda pars libris de Cœlo, consignari debet, quia partes naturalis Philosophiæ ordinari debent, secundum ordinem debitum motibus, & mobilibus. Primus autem motuum, vtpotè omnium perfectior, & communior, est motus localis, & sic post considerationem motuum, & mobilium in communi, ordo naturalis exposcit, vt de corporibus secumdumquod moventur motu locali fiat sermo, qui perficitur in libris de Cœlo. Hinc iam methodo naturali servata, libris de Generatione, & corruptione tertia pars scientiæ naturalis debetur, Sed iam stilus vsuique nos-

nostræ, & Complutensis Scholæ prævaluit, vt relictis libris de Cœlo, post quæstiones in octo libros Physicorum, illæ quæ in libris de Generatione disputari solent, discipulis ad quorum instructionem, & vtilitatem cursum inceptum perficere connamur, tradantur.

Divisio, & inscriptio.

2 Partem hanc naturalis Philosophiæ, ordine quidē tertiam, vsuque, & consuetudine nostræ scholæ secundam, divisit Philosophorum Princeps in duos libros. Primus generationem, corruptionem; alterationem, augmentationem & alios motus ad hos consequentes, vel eis oppositos comprehendit. In genere autem generabilium, & corruptibilium sunt quædam prima principia, quæ sunt radix generationis corruptionis, & alterationis aliorum corporum, hęc sunt elementa; & sic opportet ad plenam notitiam corporum vel entium mobilium motu generationis, corruptionis, & alijs motibus his anexis, aliquid de elementis, eorumque generatione, & corruptione tractare. In quo librum secundum consumpsit Philosophus, & hanc tertiam partem philosophiæ cōplevit.

3 Inscriptio horum librorum, iuxta translationem antiquam est de *Generatione, & corruptione*. Iuxta Vatablum, *de ortu, & interitu*. Discrimen huius inscriptionis ortum habet ex diverso modo quo res à suo generante procedere possunt. Secundum quod principia sufficientia suæ generationi ministrantur à generante, res dicitur gigni, vel genita. Secundumquod generatur per modum exitus à generante, qu[illegible] inanimatis convenire non [illegible] test, dicitur oriri. Secundum autem quod generatur res vt coniuncta generanti dicitur nasci. Hinc in rigore loquendo, sola viventia dicuntur oriri, interiri, & nasci, & eorum generatio, & corruptio *ortus & interitus* propriè nominatur. Generatio vero est communis productioni animatorum, & inanimatorum; iam tamen pro eodem accipitur communiter generatio, ac *ortus*, & corruptio, ac *interitus*, & ideo inscriptio horum librorum idem diversis vocibus significat.

Subiectum horum librorum

4 Supponimus ex dictis quæstione Procemiali in octo libros Physicorum art. 2. partes philosophiæ naturalis non esse subiectivas, sive species in quas dividitur scientia naturalis; sed

tantum esse partes obiectivas, sivè denominationes sumptas ex diversis obiectis materialibus, ad quæ Philosophia vna & penitus indivisa secundum speciem athomam se extēdit: vnde illa pars obiecti Philosophiæ, à qua sumitur denominatio horum librorum, erit illorum obiectum, vel subiectum.

5 Supponimus etiam ex quæstione eadem Proœmiali art. 1. subiectum vel obiectum formale Philosophiæ naturalis esse ens mobile substantiali; & consequenter subiectum horum librorum proportionabiliter erit ens mobile substantiale, mobile quidem particulari motu naturali per se pertinente ad Philosophiam naturalem, ad quam sine dubio pertinet motus ad formam substantialem, qui dicitur generatio substantialis, & motus ad formam intrinsecam accidentalem, qui dicitur alteratio, & alij motus qui generationem substantialem præcedunt, & subsequūtur, & veluti cum illa cōnectuntur, qui motus sub aliqua ratione sunt naturales, vtpotè conformes, & iuxta exigentiam alicuius principij, quod in ente naturali invenitur.

6 Deinde supponimus non esse idem ens mobile substātiale, & ens mobile substantialiter. Ens mobile substantiale dicit quod subiectum motus, & de quo motus demōstratur sit substantia. Ens mobile substantialiter dicit id quod moveri potest ad acquirendam formā substantialem. Vnde potest cō poni, quod aliquid sit ens mobile substantialē, & simul ens mobile accidentaliter, si moveri possit ad acquirendā formam accidentalem.

7 His suppositis resolutoriè dicimus. *Quod subiectum horum librorum constituentium tertiam partem naturalis Philosophiæ, est ens mobile substantiale motu generationis alterationis, & alijs motibus, qui generationem, & corruptionem substantialem præcedunt, & subsequuntur. Licet subiectum principale sit ens mobile motu generationis substantialis.* Totam resolutionem vt communem inter Thomistas refert Prado; quam tenent PP. Carml. Magist. S. Thom. Lerma verò asserit, solum mobile ad formam substantialem esse subiectum horum librorum, mobile vero alijs motibus nempè alterationis augmentationis, & alijs requisitis ad generationem, qui sunt ad formam accidentalem, solum ex consequenti, & secundario pertinere ad istos libros, quam sententiam

tiam vt probabilem defendit Bañez, licet magis inclinet in primam.

8 Sed nostra resolutio, & communior, & conformior est menti Divi Thomæ, qui in Procemio horũ librorum asserit, quod pertinet ad istes libros tractare de motibus proprijs corporum inferiorum, præter motum terminatum ad *vbi*, qui communis est corporibus, imò, & proprius corporum superiorum vt sunt Cœli, & quod inter motus proprios corporum inferiorum, principatum obtinet generatio, & corruptio.

In quibus habetur vtraque pars resolutionis. Prima quidem, quia corpora inferiora sunt generabilia, & corruptibilia, & illorum vt talium proprij motus sunt generatio corruptio alteratio, & alij qui generationem, & corruptionem præcedunt, & subsequuntur: ergo per se pertinet ad hos libros de omnibus his tractare. Habetur etiam secunda pars, nam quod inter motus proprios corporum corrubtibilium, & generabilium obtineat principatum generatio, solum probat, quod ens mobile motu generationis, & corruptionis sit subiectum principalitatis horum librorum, non vero quod sit subiectum adæquatum formale, & per se illorum sicut demonstratio non est subiectum adæquatum attributionis logicæ; licet principatum obtineat inter species modi sciendi obiectivi, qui est obiectum attributionis.

9 Ratione prob. prima pars. Pertinet per se ad Philosophiam naturalem agere de ente mobili motibus recensitis in nostra resolutione; sed non in alia ipsius parte, nisi in libris de Generatione: ergo subiectum horum librorum est ens mobile motu generationis corruptionis alterationis, &c. min. est evidens inductione aliarum partium Philosophiæ, in quibus per se de his motibus non fit mentio. Mai. vero brobat. Philosophia naturalis per se agit de omni ente mobili motu naturali; sed ens mobile illis motibus est mobile motibus naturalibus: ergo per se pertinet ad Philosophiam agere de ente mobili illis motibus. Mai. constat ex dictis, dum probavimus ens mobile substantiale vel naturale esse obiectum vel subiectum formale philosophiæ naturalis, quia quod primario de suo obiecto demonstrat Philosophus est solũ motus naturalis. Min. etiam prob. non solũ motus generationis,

&

& corruptionis sunt naturales, sed etiam alij motus qui generationem præcedunt, & subsequuntur, cum hoc ipso quod ad generationem concurrant & desiderentur possint esse conformes, & iuxta inclinationem alicuius principij naturalis, in quo naturalitas motus consistit: ergo.

10 Secunda pars, nempè quod subiectum principale horum librorum sit ens mobile motu generationis: constat tum ex illorum inscriptione, quæ semper sumitur in scientijs & libris à principali materia & subiecto illorum. Tum quia sicut substantia principalior est quam accidens, ita scientiæ quæ per se tractant de substantia, & accidenti, habent pro obiecto principaliori substantiam; vt patet in metaphysica; sed motus generationis est ad substantiam, alij vero motus vt alteratio augmentatio &c. sunt ad accidens: ergo principalius inspicitur in his libris subiectum motus ad substantiam, quam subiectum motus ad accidens. Tum denique quia de alijs motibus ad formam accidentalem, agitur in his libris prout conducunt ad motum generationis: ergo de subiecto motus generationis agitur principalius.

11 Nec obstat si opponas 1. ex D. Th. loco citato à nobis asserente: *Et ideo necessarium est, vt quia hij motus* (qui vtique sunt alteratio; augmentatio &c.) *consequenter se habent ad generationem, simul cum eis de generatione & corruptione tractetur.* Ergo obiectum primo & per se inspectum ab his libris siue eorum propria materia est ens generabile & corruptibile; cætera vero pertractantur ex consequenti & secundariò. Conf. ex D. Thom. ibidem asserente: *Alteratio enim ad generationem ordinatur, sicut ad finem*: ergo finis horum librorum est agere de generatione, & solum ex consequenti de alteritione.

12 Resp. quod ly *ideo*, & ly *enim* in propositionibus D. Thomæ non denotat causam cur scientia naturalis absolutè agit de motibus alterationis augmentationis &c. sed solum causam cur in hac tertia parte agit de illis simul cum motu generationis, vt constat illis verbis: *Simul cum eis de generatione & corruptione tractatur.* Causa cur absolutè scientia naturalis agit de motibus illis ordinatis & subsecutis ad generationem, eadem est formaliter in illis, & in motu generationis; nempè ratio motus naturalis, quod non habent alteratio & augmentatio formaliter quia ordinan-

tur, & subsequuntur ad generationem, sed quia sunt conformes alicui principio naturali, & iuxta illius inclinationem, & exigentiam; vnde licet ordinari alterationem ad generationem sicut ad finem, arguat maiorem perfectionem in generatione, ratione cuius obtinet rationem obiecti principalis, non tamen arguit generationem vel ens generabile esse obiectum adequatè primarium, & per se horum librorum; sicut licet aliæ species modi sciendi ordinentur aliquo modo ad demonstrationem sicut ad finem, non arguit demonstrationem esse adæquatum obiectum attributionis logicæ, sed solum principalitatis.

13 Oppones 2. obiectum per se alicuius scientiæ sive adæquate, sive inadæquatè sumptè, est illud quod ratione sui attingitur, & cætera ratione eius; sed ens mobile motu generationis est quod ratione sui hic attingitur, & cætera ratione eius: ergo. Prob. min. nam ens generabile est tale secundum quod constat materia & forma; estque mobile in se continens prima principia entis naturalis: alias tota naturalitas alterationis & augmenti desumitur ex eo quod illa exigit ens generabile vt generetur & conservetur bene in suo esse: ergo ens mobile motu generatiois substantialis est quod ratione sui attingitur in præsenti, & cætera ratione eius.

14 Disting. min. ens generabile est quod ratione sui hic attingitur, & ratione motus generationis præcisè, neg. min. est quod ratione sui hic attingitur ratione principiorum quibus tam motus generationis quam alterationis &c. sunt conformes & naturales, concedo min. Ens mobile generabile hic ratione sui attingitur. non præcisè quia est mobile motu generationis, sed quia in se habet principia quibus motus qui hic de illo demonstratur, sunt conformes & naturales. Hæc principia non sunt ipse motus generationis, sed materia & forma substantialis, respectu harum motus alterationis augmentationis &c. dicuntur naturales, non vero respectu motus generationis, & sic hic motus sicut non est ratio cur alij motus sunt naturales, nec etiam est ratio cur de alijs hic tractetur

15 Sed instas, alteratio augmentatio & reliqui motus ad formam accidentalem sunt naturales enti generabili in quantum generabili: ergo in quantum mobili motu generationis; ergo sunt naturales

ratione motus generationis, & consequenter ens generabile non solum in quantum habet principia naturalia, sed etiam in quantum dicit motum generationis est quod ratione sui hic attingitur, & cætera ratione eius.

16 Disting. antec. ly *inquantum generabili* reduplicante motum generationis vt rationem formalem naturalitatis aliorum motuum, nego antec. vt conditionem ad naturalitatem aliorum motuum, conc. antec. & disting. eodem modo reliqua consequentia quæ sub inferuntur. Ratio formalis ad naturalitatem motus est natura, ratio naturæ non convenit principijs naturalibus entis generabilis ratione motus generationis, cum potius talis motus supponat principia naturalia à quibus ipse habet esse motum naturalem: vnde licet alteratio, & augmentum non sint motus naturales respectu entis generabilis, si eius forma, non esset generabilis, & eius materia transmutabilis per generationem, hoc solum probat, quod motus generationis sit conditio sine qua illi motus non erunt conformes, & naturales materiæ, & formæ entis generabilis, non vero quod sit ratio formalis vt alteratio, & augmentum sint conformes & naturales materiæ, & formæ.

17 Oppones 3. ens mobile vt abstrait à substantiali & accidentali non est obiectum adæquatum attributionis naturalis Philosophiæ, vt supponimus; ergo nec ens mobile ad formam abstrahentem à substantiali, & accidentali est subiectum horum librorum: sed generatio est motus ad formam substantialem, alteratio augmentum, &c. sunt motus ad formam accidentalem: ergo solum de ente mobili primo motu per se agitur in his libris, non vero de ente mobili motu abstrahente à generativo alterativo &c.

18 Disting. primum conseq. ens mobile ad formam abstrahentem à substantiali, & accidentali per motum naturalem acquirendam, neg. conseq. acquirendam per motum abstrahentem à naturali, & nõ naturali, conc. conseq. diximus quod solum ens mobile substantiale est obiectum adæquatum Philosophiæ, quia solum ens mobile, substantiale est ens naturale, & principium motus naturalis, qui est passio de illo in philosophia demonstrata. Cùm autem motus ad formam non solum substantialem, sed etiam accidentalem possit esse naturalis, fit vt per se possit Philosophia age-

re de motu ad formam non solum substantialem, sed etiam accidentalem: vt patet in libris de Coelo in quibus per se, & primario agitur de motu ad *vbi* accidentale. Quare vt supra notavimus, non est idem ens mobile ad formam accidentalem, & ens mobile accidentale: primum potest esse ens mobile substantiale, si motus ad formam accidentalem sit naturalis, quia solum substantia est principium omnis motus naturalis: secundum vero ratione sui non est principium alicuius motus naturalis, sed ad summum motus secundum se.

19 Oppones denique. Motus augmentationis est motus vitalis, cum supponat nutritionem, quæ est propria viventium: ergo solum ad libros de anima pertinet agere de augmentatione, & non ad libros de generatione. Disting. conseq. ad libros de anima pertinet agere de augmentatione, vt est motus corruptivus aut conservativus, nego conseq. vt est motus vitalis, conc. conseq. non est inconveniens, quod eadem res secundum diversam considerationem pertineat per se ad diversos tractatus vel partes eiusdem scientiæ, vt patet in elementis de quibus agitur in præsenti vt sunt generabilia, & corruptibilia; & in libris de Coelo prout postulant determinatam situationem localem in vniverso. Nutritio, prout est generativa partialis substantiæ, & augmentatio provt conservativa aut corruptiva per se pertinet ad hos libros; licèt prout motus vitalis per se pertineat ad libros de Anima.

20 Ex dictis inferes corruptionem per se pertinere ad hos libros. Tum quia ita denotat inscriptio illorum, quæ iuxta omnes Philosophos cum Aristotele est, *de Generatione, & corruptione:* & à materia per se intenta sumitur inscriptio sciētiæ, & librorum. Tum quia cōtrariorum eadem est scientia & disciplina. Tum denique nam licèt corruptio sit contraria & quasi violenta formæ, est tamen naturalis materiæ, quod sufficit vt simpliciter dicatur naturalis, vt amplius explicabimus infra lib. 1. q. 2.

21 Generatio enim mixtorum, nempè nivis roris, grandinis, fulguris & fulminis licèt aliquo modo pertineat ad hos libros, hoc non obstante libros speciales destinavit Philosophus, quos vocat Metheororum, qui sunt veluti apendix, & complementum horum duorum librornm de generatione. Horum igitnr expositionem incipientes sit.

LIBER I.

De Generatione, & corruptione.

SICVT proprium intellectus est ordinare, ita in his quæ ab intellectu percipi desiderantur maximè conducit ordo. Ordo maximè in scientijs attenditur. Hinc Philosophorum Princeps, & illi interpres fidelissimus Princeps etiam Theologorum D. Thom. claritatem hauriunt in tradendis scientijs ex ordine constituto in rebus sciendis. In hoc primo libro totus est Aristot. in explicando omnes mutationes ad generationem & corruptionem pertinentes, & illum miro ordine in decem capita distribuens; in duobus primis refert sententias antiquorum circa generationem & corruptionem à veritate ab errantium. In duobus sequentibus suam sententiam profert & probat. Et in reliquis vsque ad decimum de omni motu aut mutatione antecedente concommittante, & consequta ad Generationem disserit, vt de alteratione, & illius speciebus, quæ sunt simplex alteratio intensio, & remissio. De nutritione, seu à generatione. De augmentatione. De actione, & repassione. De adensatione, & rarefactione. Ac denique de mixtione. Nos igitur circa omnia hæc ordinem Philosophi servantes, sequentes excitamus quæstiones.

QVÆST. I.

De Generatione substantiali.

1 EX Philosophis modernioribus aliqui Aristotelis ordinem invertentes, prius de motibus ad accidentia disponentia, & sternentia materiam, vt per motum generationis formam substantialem recipiat, pertractant, quam de ipsa generatione. Immerito tamen; nam licet via executionis dispositiones alterativæ, & motus ad illas qui est alteratio, generationem

subs-

substantialem præcedant; tamen ordine finis & in intentione, prior est substantialis generatio. Nec est necessarium quod ordo doctrinæ ordinem executum in rebus imittetur, dum ad doctrinæ claritatem minimè conducit, vt in præsenti contingit, Imò potius cōducit ad claritatem, ordinem Philosophi servare, vt infra apparebit. De omnibus his quæ ad plenam notitiam quidditatis generationis substantialis, & distinctionis illius ab alijs mutationibus conducunt, sequentibus articulis disseremus.

ARTIC. I.

An sit generatio substantialis?

2 EX principijs quibus Philosophia assequitur dari generationē substantialem infertur eius possibilitas. Sed necessarium est rudi minerva, quid nomine generationis substantialis intelligamus, prius præmittere, vt illius existentiam demonstrare valeamus. Nomine generationis intelligitur in præsenti *transitus, seu mutatio de non esse ad esse in subiecto*. Denominatio autem generationis substantialis sumitur à termino per transitum, & mutationem acquisito in subiecto, quid est substantia.

3 Supponimus ex dictis in primo Physicorum quæstionibus de materia & forma; quod esse substantiale est esse omnino primum nullum aliud supponens, & merito esse simpliciter denominatur, ad differentiam accidentis, cuius esse supponit esse subiecti sivè substantiæ cui inhęret, & sic nec est esse omnino primum, nec esse simpliciter, sed secundum quid. Vnde generatio substantialis cuius *An est* in præsenti quærimus est via de non esse ad esse simpliciter. hoc est omnino primum in subiecto, nullum aliud esse in illo supponens. Via ad esse simpliciter, & omnino primum, vel specificum, & substantiale, dicitur generatio simpliciter: via ad esse secundum quid supponens aliud prius vel accidentale, dicitur generatio secundum quid. Et sic generatio substantialis dicitur generatio absolute; generatio vero accidentis solum dicitur generatio cum addito, nempè secundum quid.

4 Supponimus etiam quod generatio substantialis, de qua in præsenti, debet, & potest dari (si datur) virtute agentis naturalis, cuius virtutę ex nihilo simpliciter nihil potest fieri, vt est concors Philo-

losophorum cum Aristotele sententia, subindeque ad illam necessario requiritur subiectum quod transeat, & mutetur de non esse ad esse. Hinc ortum habet difficultas demonstrandi possibilitatem, & existentiam substantialis generationis, & error antiquorum Philosophorum.

5 Putabant enim quod id quod de novo fit, & acquirit esse, vel fit ex ente, vel ex non ente. Si ex non ente, ex nihilo fit, & cum ex nihilo nihil fiat virtute agentis naturalis generantis, non dabitur generatio naturalis. Si fit ex ente, non fit secundum esse simpliciter, & primum, cum præsupponatur habens esse, subindeque fieri illius non erit generatio simpliciter, & substantialis, sed accidentalis.

6 Hac igitur falsa suspitione ducebantur, ad negandum consequenter materiam primam: Hac enim admissa, facile convincerentur ad admittendam generationem simpliciter, & substantialem, cum virtus agentis naturalis præsupponeret subiectum capax adquirendi per sui transmutationem esse omnino primum & simpliciter tale. Quod sufficit, & requiritur ad generationem substantialem.

7 Cum vero ex alia parte convincerentur experientia tot mutationum rerum naturalium, quæ acquirunt novum esse per sui mutationem, illis tamen non convincebantur ad admittendam generationem substantialem. Quia licet admitterent commune subiectum horum mutationum, negabant tale subiectum esse materiam primam quæ sit ens in potentia ad recipiendum primum esse actuale simpliciter, & substantiale. Sed dicebant tale commune subiectum esse ens in actu, nempè vel elementa, quorum adunatione vel separatione fiebant de novo omnia, vel athomos, vel aliud huiusmodi. Hoc ponebant esse principium materiale omnium rerum, & totam substantiam illarum, ac subinde mutationes quas experimur esse solum alterationes, nullam vero esse substantialem generationem. Sic Diogenes, & alij plures antiquiores Philosophi.

§. I.

Rationes pro existentia generationis substantialis.

8 ALiqui ex nostris, vt probent dari generationem substantialem assumunt pro principio, dari materiam primam quæ sit ens ita in potentia, vt careat omni

...actu etiam entitativo. Ita ... à S. Thom. & alij. In primis in prædicta probatione videtur peti manifestè principium: ergo ad probandum dari generationem substantialem non debet sumi pro principio, dari materiam primam ab omni actu entitativo denudatam.

9 Probat. antec. 1. dari materiam primam probant Philosophi cum Aristotele & D. Thom. & nos illorum vestigijs inhęrendo probavimus in 1. physicorum quæst. 3. artic. 1. ex eo quod datur generatio & corruptio substantialis: ergo probare existentiam huius ex existentia materiæ primæ est circulum vitiosum committere, & petere manifestè principium.

10 Secundo nam D. Th. in 1. physicorum, & 8. metaphl. & alijs locis asserit, generationem & corruptionem substantialem esse principia veniendi in cognitionem materiæ primæ; ergò notius est dari generationem substantialem, quam existere materiam primam: sed qui intendit demonstrare, à notioribus debet procedere: ergo per existentiam materiæ primæ; non recte demonstratur existentia generationis substantialis.

11 Tertio, prædicta probatio, vel procedit contra Philosophos antiquiores Aristotele, vel contra illos qui à temporibus Aristotelis inter Philosophos alicuius nominis reputantur. Si primum, qui ex illis negabant generationem substantialem, negabant similiter existentiam materiæ primæ quæ sit pura potentia, vt supra vidimus, & consequenter hæc non debet sumi pro principio ad illos conveniendos. Præterquamquod generatio substantialis quæ magis ad sensum apparet fuit medium assumptum à Philosopho, vt illos convinceret circa existentiam materiæ primæ.

Si dicatur secundum. Magis evidens est apud illos dari generationem substantialem, quam dari materiam primam, cum ex existentia generationis substantialis quod est principium ab illis admissum, qui ex illis negabant materiam primam efficacissimè convincuntur illam admittere, vt latè probabimus & vidimus loco citato in 1. Physicorum. Aliud enim est quod qui negaverit existentiam materiæ primæ per modum puræ potentiæ, possit efficacissimè cõvinci ad negandam generationem substantialem: aliud vero, quod aliquis negans dari generationem substantialem possit convinci circa illius exis-

existentiam, sumẽdo pro principio existentiam materiæ primæ. Ad primum enim sumitur pro medio principium ab illo admissum, & alias maximè connexum cum consequenti, & consequenter recte proceditur. In secundo vero casu, cum nullus negans generationem substantialem, admittat materiam primã, hæc non debet sumi pro principio ad illum convincendum: nisi aliunde tale principium: summatur probandum, quod extra rem est in præsenti, quia pertinet ad 1. physicorum, & adhuc ibi efficax probatio supponit admissam existentiam generationis substantialis, vt dictum est.

17 Denique inter Philosophos à temporibus Aristotelis. magis certum est dari generationem substantialem quam quod detur materia prima carens omni actu entitativo & existentiali: ergo existentia materiæ primæ prædicto modo, nõ debet summi pro principio ad inferendam existentiam generationis substantialis. Conseq. constat quia efficax probatio summitur ex notioribus. Et antec. probat. nam vt vidimus 1. physicorum. q. 1. art. 1. & 5. Plures admittentes generationem substantialẽ negãt absolutè existentiam materiæ primæ; & etiam vniversa fere schola Societatis admittendo existentiam generationis substantialis, negat materiam primam carere omni actu entitativo, & existentiali.

13 Si dicas, ex hoc maximè colligitur falsitas illius sententiæ ex vna parte admittentis generationem substantialem; de cuius ratione est quod terminus illius det primum esse subiecto transmutationis, quod est materia; & ex alia etiam admittentis præsupponi esse actuale in materia ante formam per generationem substantialem adquisitam.

14 Sed contra est, nam hoc solum probat, quod si antiqui Philosophi admitterent existentiam materiæ primæ, vt ab his Authoribus ponitur, non facile convincerentur ad admittendam generationem substantialem, cum hoc ipso quod præsupponatur materia quomodo libet habens esse ante formam, hæc non daret primum esse materiæ, & consequenter nec esse substantiale; quod tamen non accideret si antiqui Philosophi admitterent existentiam materiæ primæ, vt ponitur à Discipulis D. Thom. Non tamen probat, quod ad convincendam existentiam generationis substantialis contra il-

illam negantes debet summi- pro principio existentia materiæ primæ, vt à Thomistis ponitur, quia tali principio negato, vt ab Antiquis, & à pluribus Rentioribus negatur, necessarius est recursus ad illud probandum. quod pertinet ad libros physicorum, & adhuc ibi efficacior probatio nititur existentiæ generationis substantialis, quam in præsenti probandam assumimus, vt dictum est.

15 Alij ex nostris probant dari generationem substantialem ex eo quod datur alteratio physica, quæ à natura destinata est, vt medium ad generationem substantialem. Quam rationem dicunt sumi ex Philosopho hic, & 8. physicorum in principio.

16 Nec hæc ratio videtur efficax. Primo, quia Philosophi antiqui negabant generationem distingui ab alteratione, & consequenter negabant alterationem ordinari ad generationem, vt medium ad finem: ergo licèt ita verum sit, qui tamen hoc negaverit vt negabant antiqui, non convincetur hac probatione, nisi aliunde probetur alterationes physicas connexas esse cum corruptione vel generatione formæ alicuius substantialis.

17 Si dicas cum aliquibus, quod alteratio physica est metaphysicè connexa saltim cum possibilitate corruptionis & generationis substantialis. Propter quod Cœlum & alia corporea incorruptibilia, etiam de potentia absoluta sunt incapacia alterationis physicæ.

18 Sed contra est: quia difficilius est probare hanc metaphysicam connexionem alterationis cum generatione quam existentiam generationis: ergo hæc nequit fieri dependens ex illa. Tum etiam non aparet facile repugnantia in eo quod corpora incorruptibilia possint alteri, nec in eo quod Deus sua absoluta potentia hoc facere possit, cum generatio sit terminus extrinsecus alterationis, ab ista separabilis: vnde repugnante generatione, alteratio haberet sua prædicata intrinseca: ergo.

19 Secundo, nam licet in sententia Empedoclis asserentis qualitates alterativas esse differentias vel qualitates inseparabiles elementorum, vt calor ignis. & frigiditas aquæ, sit efficax argumentum ab alteratione ad generationem, quia nequit calor per alterationem introduci in ligno, qui ignis quoad substantiam à quo est inseparabilis calor, introducatur; tamen in sententia hoc non admitête

vt non admittunt plures ex Antiquis & Modernis philosophis, argumentum ab alteratione ad generationem, nisi aliunde iubetur nullam habet vim; sed Aristoteles in locis vbi probat generationē substantialem ex alteratione, arguit contra Empedoclem: ergo licet rectè concludat generationem substantialem admisso principio Empedoclis, non tamen illam concludit absolutè.

20 Aliæ plures rationes solent formari ad probandam existentiam generationis substantialis, quæ quidem sicut præcedentes, solum sunt efficaces admittendo principia quæ antiqui philosophi nō admittebant. Et qui ex modernis talia principia admittunt, facilius admittunt tanquam principium ipsammet existentiam generationis. Cū igitur sit iam veluti principiū philosophicum dari generationem substantialem, & qui illam negabant eadem facilitate negassent quodlibet principium philosophicū ex quo illa posset inferri, vt supra vidimus: ideo aptior probatio sumi debet ex his quæ veluti ad sensum apparent, quia vt ait D. Thom. 1. p. q. 18 art. 2. ex his quæ exterius apparent de re, devenimus ad cognoscendam essentiam rei.

§. II.

Existentia generationis substantialis legitime probatur.

21 Generatio substātialis est productio substantiæ ex aliquo subiecto ab agente naturali; sed datur talis productio: ergo, & generatio substantialis: prob min. ad sensum apparet quod ab igne producitur alter ignis in subiecto dispositio. Quod ex aere fit aqua, & ex ligno ignis: ergo datur productio substantiæ ex aliquo subiecto ab agente naturali.

Dices 1. quod ab igne non producitur ignis in ligno, sed vel localiter aducitur substantia ignis ad locum ligni, vel quod lignum solum recipit accidentia ignis cuius substantia in ligno præexistebat: solum enim recipit de novo calorem lucem, & alia accidentia.

22 Sed contra est, in primis illa aductio localis ignis ad locum ligni ab altero igne, manifestæ experientiæ sensuum adversatur; cum multoties circum circa non appareat ignis, nisi ignis generans, ignis vero generant non transit ad locum ligni desserendo locum quem habebat antequā lignum igneretur; ergo transit.

situ ignis non est localis, sed substantialis generatio.

Deinde nam cum ignis adducitur ad locum ligni, vel lignum manet substantialiter in eodem loco, vel transit ad alium. Hoc secundum esse falsum sensus ipsi prædicant: primum vero etiam esse falsum, vel ex ipsa apertione oculorum comprobatur, quibus videmus ignem introductum in locum ligni illud paulatim cō sumere vsque dum in cineres reducatur.

23 Solutio etiam quoad secundam partem, etiam experientia sensuum reijcitur 1. Tum quia cum ignis applicatur ligno, videmus quod lignum prius calefit, & postea comburitur, & quod combustione magis transmutatur, quam calefactione: sed calefactione alteratur, & recipit accidentia ignis: ergo combustione corrumpitur, & in illo ignis substantialiter generatur.

24 Tum quia si omniū esset vna communis substantia, omnium etiam essent eadem communia accidentia, quia accidentia sunt propter substantiam, ad illam secuta, & ipsi proportionata: sed videmus non omnia accidentia esse communia, & proportionata omni substantiæ, cum videamus in rebus substantialiter diversis saltem entitativè, aliqua accidentia connaturaliter conservari, & alia destrui, vel non admitti. Vt calor in igne, & non frigus, frigus in aqua, & non calor: ergo aquæ igni, & ligno non est vna & eadem substantia: ergo substantia ignis non præexistit in ligno nec in aqua: ergo cum ex aqua vel ligno fit ignis, aqua, & lignum non recipiunt præcisè accidentia ignis, sed huius substantiam; & consequenter hæc mutatio non est præcisa acquisitio accidentis, sed novæ substantiæ, quæ in aqua, & ligno non præexistebat, Subindeque non est alteratio, sed substantialis generatio.

25 Tum denique, quia novitas operationum, quarum antea nullum præcesserat vestigium, licet indicet proximè novitatem accidentium, indicat tamen radicem novam ex qua oriantur, quæ alia esse nō potest nisi nova substātia; quia operari sequitur ad esse: ergo prima radix novæ operationis, debet esse novum primū esse ergo debet esse nova substantia cui competit dare primum esse.

26 Confirm. hoc in productione hominis ab agente naturali, & in illius corruptione. Novitas enim operationum illius quas in embrione

non videbamus, & qualiter omnes illæ cessant morte interveniente, manifestè indicat in talibus mutationibus, intervenire maiorem novitatem quam accidentialem. ergo sũt mutationes quibus adquiritur nova forma substantialis.

27 Dices 2 quod ratio sumpta ab experimento sensuum non est efficax, saltim in via D. Thomæ, in qua contra apparientiam sensuum habetur, non esse eadem accidentia in homine vivo, & recenter mortuo, vt infra videbimus, monendo sensum multoties debere corrigi ratione.

28 Sed contra est, nam tunc sensuum ratione corrigimus vt non iudicemus vt ad sensum apparet, quando illius deceptionem ratione aliqua efficacissima nitente principijs firmis deprehendimus: sed nulla adest ratio efficax suadens sensum decipi dum vidit ex ligno fieri ignẽ, & ex vivẽte cadaver, vt iudicemus ibi non esse mutationem plusquam accidentalem: Adest tamen ratio efficacissima, vt contra apparientiam sensus iudicemus, quod cum intervenit variatio substantiæ debeant etiã accidentia variari, vt suo loco videbimus: ergo.

29 Deinde, quia omnis nostra naturalis cognitio à sensu principium sumit, & experientia sensuum manuducimur ad omnia naturalia cognoscenda: ergo debemus stare sensuum experientiæ tanquam principio firmo, dum non adest principium firmum, quo deceptio in sensu deprehendatur; sed tale principium deficit in præsenti, imò sunt omnia principia naturalia conformia experientiæ sensuum: ergo ratio sumpta in pręsẽti ab experimento sensuum efficacissima est.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

30 NVllum est argumentum alicuius ponderis. Vnum vel alterum proponemus. Primum sit illud quod supra insinuavimus, & quo ducebantur antiqui ad negandam materiam primam, formam substantialem, & consequenter generationem substantialem. Nequit substantia introduci de novo in aliquo subiecto ab agente naturali: ergo generatio substantialis nec datur, nec est dabilis. Probat. anteced. esse substantiale est primum esse rei: ergo dum esse substantiale de novo fit, nihil rei præsupponitur; sed ex nihilo nihil fit ab agente na-

turali: ergo nequit substantia introduci de novo ab agente naturali.

31 Negatur antec. ad probat. disting. primum consequens, dum esse substantiale de novo fit, nihil rei quoad formam, & esse actuale illius præsupponitur, conced. conseq. nihil omnino præsupponitur, hoc est nihil formæ simul nec materiæ, nego conseq. & eodem modo disting. min. subsumptam, ex nihilo ipsius effectus quoad illius esse actuale, nihil fit ab agente naturali, neg. min. ex nihilo hoc est ex nullo præsupposito subiecto, conc. min.

32 Sed instas, quod præsupponitur ad productionem novæ substantiæ, nequid esse ens: ergo est omnimo nihil: prob. antec. nequid esse substantia, nec accidens, nec modus: ergo nequid esse ens: antec. quoad secundam, & tertiam partem liquet, quia nec accidens, nec modus possunt supponi vt subiectum ex quo fiat, & in quo recipiatur substantia. Quoad primam verò partem probat omne quod in re aliqua est substantia, est in illa primum esse, propter quod forma substantialis ab accidentali discernitur, quia scilicet esse substantiale est esse primum; sed quod præsupponitur ad productionem novæ substantiæ, nequit habere rationem primi esse: alias substantia de novo producta supponeret primum esse, & daret esse secundum; & consequenter non esset substantia, sed accidens, vt intendebant antiqui: ergo quod præsupponitur ad productionem novæ substantiæ nequit esse substantia.

33 Disting. antecedo. primum: Nequid esse ens actuale, concedo antec. ens pure potentiale, sub distinguo, ens pure potentiale potentia obiectiva, & logica, concedo antec. potentia physica, & subiectiva, nego antec. solutio roboratur omnibus his quibus rationem puræ potentiæ excludentis omnem actum physicum materiæ tribuimus, in libris physicor.

Ad probationem primi antec. quatenus contra hoc potest obstare, nego anteced. quoad primam partem. Ad probat. disting. mai. quod in re aliqua est substantia per modum puræ potentiæ subiectivæ, & physicè, est in illa primum esse, nego mai. sed potius est potentia apta, ad illud habendum. Quod est substantia per modum actus, & formæ, conc. mai. Substantia dividitur in potentiam, &

actum, esse autem proprie competit actui; & cum primus actus sit forma substantialis, illi, & non materiæ convenit dare primum esse rei. Cum quo componitur, quod materia sit de genere substantiæ, quia ad illud genus non solum pertinet id quod dat primum esse rei, sed etiam potentia per se ordinata ad primum esse, quia potentia per se ordinata ad aliquem actum est in eodem genere in quo est actus.

34 Obijc. 2. nequit dari generatio substantialis quin detur materia prima; sed dari materiam primam non apparet ad sensum: ergo neque dari generationem substantialem apparet ad sensum. Sed solum experimento sensus suademus existentiam generationis substantialis: ergo.

35 Concessa maior, & minori negatur conseq. instatur argumentum in omnibus rebus quæ ad sensum apparent, ex quibus manuducimur ad cognitionem rerum occultarum propter necessariam connexionem quam habent cum illis. Nequid dari illuminatio solis, quin detur principium radicale illuminationis illius; sed dari tale principium non apparet ad sensum; ergo neque apparet ad sensum dari illuminationem. Similiter nequit dari homo si non datur anima rationalis; sed dari animam rationalem non apparet ad sensum: ergo neque dari hominem apparet ad sensum. Vt enim sensu comprehendamus existentiam alicuius rei, non est necessarium, vt sensu percipiamus omnia illa à quibus illa res in suo esse dependet, vt infinitis exemplis constat.

36 Denique iobijc. si species Sacramentales ab igne comburerentur, eadem mutatio appareret ad sensum, ac dum lignum comburitur; & tamen ex speciebus non generaretur ignis: ergo nec ex ligno dum comburitur, probat. min. ibi non præsupponitur materia prima: ergo ibi nulla est generatio.

37 In primis posset responderi, concessa mai. & admissa min. neg. consequent. Quia ex his quæ apparent ad sensum fit validum argumentum, si aliunde non intervenit aliquod miraculum, & ordo naturalis invertitur, vel non servatur; vt contingit in combustione specierum Sacramentalium, in quibus non est materia substantialis, quæ sit subiectum transmutationis, propter mirabilem conversionem illius, & formæ panis in corpus Christi.

38 Sed quia in sententia D. Thomæ,& communi Theologorum 3.part.q.77. artic.5.ex speciebus Sacramentalibus aliquid vere generatur. Ideo neganda est minor argumenti. Ad cuius probatio dicendum est ibi quantitatem vel permanere gerendo munus materiæ, vt volunt aliqui; vel converti in materiam primam, vt melius alij; vel de novo creari materiam primam, vt alij probabiliter sentiunt. Sed quod in hac re verius apparet, artic. sequenti dabimus.

ARTIC. II.

Vtrum sine materia prima entitativè substantiali dabilis sit generatio substantialis?

39 QVamvis præsentis difficultatis resolutio maxime pertineat ad Theologos loco citato ex 3. part. non minùs præsentis instituti est, vbi indagamus quidditatem generationis substantialis ad cuius exactam notitiam, quam artic. sequenti trademus, maxime conducit huius rei discusio, vt suppositis his quæ fide tenemus, quid cõformius sit naturis rerum, quæramus.

40 Supponimus ex art. præcedenti, & iuxta communem sensum Philosophorum, requiri essentialiter ad generationem creatam substantialẽ aliquod primum subiectũ, ex quo forma substantialis de novo fiat ab agente naturali, à quo ex nullo præsupposito subiecto nihil fit. Quidquid sit, an sit de essentia substantialis generationis, quod tale subiectum sit vere privatum forma. De quo artic. sequenti. Vnde solum quærimus, an hoc primum subiectum sit necessariò materia prima entitativè substantialis, vt accidit in omni generatione substantiali quæ regulariter contingit: an verò in aliquo casu irregulari, loco materiæ primæ possit substitui, vel quantitas, vel aliquid aliud à materia prima distinctum quod munus materiæ primæ exerceat, tam ad generationem substantialem, quam ad physicam constitutionem compositi geniti.

41 Duplex in hac re, eaque celebris versatur sententia adhuc intra Scholam D.Thomæ: prima est asserentium, possibilem esse, & de facto dari veram generationem substantialem, sine concursu materiæ primæ entitativè substantialis quæ sit primum subiectum: Tum ipsius ge-

generationis, tum formæ genitæ. Vt cum ex speciebus Sacramentalibus generantur, vel vermes, vel cineres, vel aliquid aliud. In quo casu quantitas manens entitativè accidens est subiectum transmutationis generativæ, & cum forma substantiali de novo genita constitui compositum subs-... antiqui ex nostris & extraneis loco citato ex 3. part. ut Riardus Taper, Ioannes Vigerius, Ferrara, & alij. Et aliqui moderniores ex nostris. lib. 1. Physicorum.

42 Sententia vero negans est communior intra, & extra Scholam D. Tomæ: tū in præsenti, tum lib. 1. Physicor. tum loco citato ex 3. p. Illam tenet Caietan. Connej. Arauj. Nuño, Serra, Ioan, à S. Thoma, Prado, & plures alij, & nullum vidi ex modernis extraneis qui primam sententiam defendat.

§. I.

Vnica Conclusio.

43 NVlla *datur generatio creata substantialis sine materia prima entitativè substantiali*: Aliquibus rationibus, hisque efficacibus, hanc veritatem (licet obiter) probavimus lib. 1. physicor. q. 2. art. 2. num. 51. quas in præsēti roborabimus, & alijs valde vrgentibus nostram & communem sententiā suadere conamur in præsenti. Advertendo prius, quod mens D. Thomæ in hoc puncto non est clara (quantumvis in contrarium proclament aliqui ex nostris) Tùm quia sunt quam plurima testimonia (quæ infra aducemus) in quibus S. Doct. valde in nostram videtur inclinare sententiam. Tum quia illa in quibus videtur in oppositam inclinare, valde congruentem admittunt explicationem. Tum quia incredibile est quod cętus communis discipulorum D. Thomæ, qui in indiganda illius mentemagis insudarunt, à clara ipsius mente recesserint.

Tum vel maximè, quia nequit mens D. Thomæ clare favere sententiæ, ex qua per legitimas consequentias infirma reduntur (siforte penitus non corrunt) quam plurima principia philosophica, quæ clare constat esse demente ipsius Angel. Doct. in vnanimi consensu suorum discipulorum; sed vt constabit ex rationibus probativis nostræ cōclusionis, si in generatione ex speciebus Sacramentalibus quantitas premaneret cū munere materiæ, quam plurima principia philosophica Tho-mis

mifticæ Scholæ, si penitus non corruunt, ad minus valde infir ma redunutr: ergo.

44 Quibus suppositis, pro firmando Angel. Doctor, in favorem nostræ sententiæ (præter ipsius testimonia pro nostra sententia quæ infra ponderabimus) sequens formatur discursus. Dum mens D. Thomæ invenitur anceps & minime clara facta colatione locorum in quibus de aliqua re differit, credendum est in illam partem inclinare & esse ex illius mente, quæ forcioribus fulcitur rationibus, & melius salvat principia quæ fine tergiversatione sunt de mente Ang. Præcept. sed fortiores esse rationes pro nostra sententia, præterquanquod ipsis manifestum fiet, Authores contrarij non negant; cum nō rationi aliquæ, sed præcisè authoritati D. Thomæ fidant. Deinde melius salvari principia inconcussa D. Thomæ in nostra sententia, imò & in cōtraria forte non salvari infra probabimus: ergo credendum est nostram sententiam esse de mente D. Thomæ, & nullo modo ipsi adversari.

45 Sed iam testimonia aliqua D. Thomæ pro nostra sententia proferamus. In 4. dist. 12. q. 1. artic. 2. quæstiuncula 4. inquirens, an ex speciebus possit aliquid generari? Sibi obijcit, quod illa generatio nequit esse naturalis, quia in omni generatione naturali, generatum, & id ex quo generatur conveniunt in materia, quod hic non invenitur: nec potest esse miraculosa, quia generatio vermium esset in irreverentiam tanti Sacramenti, quod à De... non potest. Cui respondet ...

cundum quamlibet positionem aliquid miraculosum est in hac generatione, & aliquid naturale: Redditus enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel conversio dimensionum in materiam est miraculosus: sed quod materia iam existens recipiat talem formam cuius dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.

46 Ex quibus habemus 1. quod numerans omnes modos quibus ponitur materia subiectum illius generationis, non meminit permanentiæ quantitatis loco materiæ, sed tantum redditus materiæ panis, vel creationis novæ, vel conversionis quantitatis in veram materiam.

Habemus 2. in illa generatione sicut in alijs esse naturale, quod materia quæ ad illam concurrit recipiat novam formam (quidquid sit de miraculo circa existentiam talis materiæ) sed quod forma nova substantialis recipiatur in quantitate permanente, non est na-

turale, sed miraculosum in vi saltim prioris miraculi: ergo vel non permanet ibi quantitas cum munere materiæ, vel nihil naturale est in illa generatione quoad receptionem formæ in materia naturali; hoc secundum adversatur D. Thomæ: ergo primum est iuxta ipsius mentem.

47 Præterea de mente D. Thomæ est loco citato ex 3. part. art. 4. species Sacramentales posse corrumpi, non solum qualitates per alterationem, sed etiam quantitas per diminutionem, vt si quantitas panis pulvericetur, & quantitas vini in minutissimas partes dividatur; sed quantitatem corrumpti, & munus materiæ incorruptibilis exercere respectu subsequentium formarum, implicatorium videtur: ergo.

48 Deinde iuxta mentem D. Thomæ est, quod quantitas specierum convertantur in materiam, primam quæ sit primum subiectum formæ geniæ ex speciebus. Tum loco immediate citato art. 6. *Dictum est autem quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam.* Tum art. 5. antecedenti ait: *Quod quantitas dimensiva panis, & vini potest transire in vtrunque idest in substantiam, & dimensionem.* Qui transitus nihil aliud est nisi vera conversio, quæ non aliter explicatur in Prosa Missæ festi corporis Christi: *Quod in corpus transit panis, & vinum in sanguinem.* Tum denique loco citato in 4. sententiarum quæstiunc. 4. in solutione ad 2. & 3. & quæstiunc. 5. ad 1. & 2. asseri: *Quod accidentia manentia in suo esse accidentali non nutriunt, sed eo modo quo in aliud convertuntur, vel aliud sub eis creatur, vel reddit.* Ex quo habetur adminus, quod accidentia non manent vt subiectum vel materia subsequentium formarum, quamvis hic sub opinione relinquat. An materia creetur, vel reddeat, vel fiat per cõversionem quantitatis in ipsam: & quod hoc vltimum sit de illius mente constat ex testimonijs antecedentibus.

49 Ex quibus omnibus formatur hic discursus: entitas quæ conversione totali in aliam convertitur non manet in termino conversionis, & id circo post consecrationem nihil substantiæ panis & vini manet in Sacramento: sed iuxta mentem D. Thomæ in generatione substantiali ex speciebus, quantitas convertitur in materiam, ex qua, & ex forma substantiali fit compositum substantiale de novo genitum: ergo non manet quantitas vt pars materialis talis compositi.

50 Dices quod quando D. Thom. asserit quantitatem in materiam converti, debet intelligi non de conversione entitativa, & rigorosa, sed præcisè quantum ad effectum vel modum, vel munus, quatenus scilicèt in vi præcedentis miraculi recipit formā substantialem de novo genitam, & facit quidquid vera materia faceret, si ad esset.

Vrgerique potest, prædictam conversionem strictè sumptam non esse de mente D. Thomæ, quia de illius mēte est, vt supra vidimus, species quoad qualitates, & quantitatem posse corrumpi. Ex quo intullimus quantitatem in nova generatione ex illis, nō manere: quod enim verè corrumpitur in aliud verè non convertitur.

51 Sed contra est 1: nam in 4. dist. 12. q. 1. artic. 2. quæstiunc. 4. citata ad 2. explicat conversionem dimensionum in materiam posse à Deo fieri potiori iure, quam mutare corpus in spiritum, quia dimensiones sunt magis propinquæ materiæ corporali, quam corpus spiritui; sed mutatio corporis in spiritum, quam possibilem esseDeo concedit, non est præcisse quantum ad aliquem effectum vel modum vel munus, sed vera & rigorosa, vt constat ex argumento quod sibi obijcit: ergo conversio quantitatis in materiam quam intendit D. Thom. est vera, & rigorosa.

52 Secundo ibidem in solutione ad 3. asserit dimensiones vel quantitatem fieri materiam dimensionatam divina virtute, sicut cum aer cōvertitur in ignem fit ignis; sed aer dum convertitur in ignem non fit præcisse ignis quantum ad effectum, modum, vel munus, sed etiam quantum ad substantiam: ergo.

53 Denique (& roboratur magis nostra conclusio ex mente D. Thomæ) loco citato ex 3. p. art. 6. probans hominem posse nutriri speciebus. Ad secundum argumentum quod sibi obijcit. Respondet: *Quod species Sacramentales etsi non sint ea ex quibus corpus hominis constat* (hominis scilicet speciebus nutriti) *tamen in ea convertuntur*; sed si facta nutritione species manerent entitativè accidentia, & vera conversione non converterentur in aliquan partem subs-tantialem ex qua corpus hominis constat; accidens esset pars ex qua constaret corpus substantiale hominis, quod erat intentum argumenti D. Thomæ: quod soluit verbis relatis: ergo ex mente D. Thomæ quantitas specierum non

permaneret cum munere materiæ, alias homo illis nutritus constaret ex illa, quod expresse negat D. Thom. sed vere convertitur in materiam ex qua homo substantialiter constat.

54 Contra id quo roboratur illa solutio obstat, nam ex vna parte debet salvari vera corruptio specierum non solum quoad qualitates, sed etiam quoad quantitatē, co modo quo ab agente naturali corrumperentur per accidens ad corruptionem substantiæ panis, & vini si esset sub illis, cum hoc expresse asserat Div. Thom. tum loco citato ex 3. part. artic. 4. Tum ex 4. sententiarum illa q. 1. artic. 2. quæstiunc. 3. Ex alia parte ab omnibus debet admitti aliquo modo converti quantitatem in materiam, cum hoc expresse asserat D. Thomas: sed corruptio vera quæ ab omnibus debet admitti in speciebus, melius salvatur admissa conversione vera quantitatis in materiam, quam admissa solum conversione quoad modum, & munus materiæ: ergo corruptio specierum potius destruit quam roborat solutionē contrariorum. Prob. min. melius salvatur (imò vnice salvatur) verá corruptio specierum ad modum quo corrumperentur ad corruptionem substantiæ, si ibi ad esset, si desinant esse perfectè quoad suā entitatem; sed si quantitas vere convertitur in materiam desinit esse quoad entitatem, secus verò si præcisè convertitur in materiam quoad modum vel munus, cum permaneat quantitas quoad suum esse entitativum, quod cum vera ipsius corruptione repugnat: ergo ex corruptione specierum nihil deprehenditur contra nos, sed potius assumptum nostrum roboratur, & contrariorum solutio infirmatur.

55 Sed ad componendam veram corruptionem specierum cum eo quod quantitas vere convertatur in materiam. Adverte quod quantitas potest considerari, primo vt accidens sequutum ad substantiam panis, & vini, & secundum esse quod habebat dum erat cum propria substantia. Secūdo vt in vi miraculi consecrationis habet esse subiectum aliarum qualitatum, & dispositionum, quibus species vel cōservantur dum sub illis estCorpus Christi, vel corrumpuntur vt exilis aliquid de novo generetur. Sub prima consideratione, quantitas vere corrumpitur ab agente naturali. Quod explicat D. Thom. in corpore illius art. 4. *Species poterant corrumpi per accidens ad corruptionem*

non subiecti, & hoc modo etiam possunt corrumpi post consecrationem: quamvis enim subiectum non remaneat, remanet tamen esse quod huiusmodi accidentia habebant in subiecto, & ideo huiusmodi esse potest corrumpi à contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis, & vini Ex quo habetur quod sicut per corruptionem naturalem subst antiæ, corrumperentur omnia accidentia per completam desitionem illorum quoad suum esse entitativum; alias resolutio non fieret vsque ad materiam primam; ita post consecrationem si corrumpuntur, desinunt completè quoad suum esse entitativum, quod salvari nequit permanente entitate quantitatis post corruptionem.

In secunda verò consideratione, datum est quantitati munus materiæ quod exercet recipiendo dispositiones, quæ ex se essent corruptivæ substantiæ panis si ad esset, & dispositivæ ad generationem novæ substantiæ. Et sub hac consideratione, quantitas non exprimit corruptionem sui, sed transitum, & conversionem in veram materiam quæ sit subiectum subsequentium formarum: & à dispositionibus quæ erant in quantitate quæ convertitur, manet sigillata materia in quam convertitur, vt recipiat determinatam formam substantialem, quod ad generationem vi agentis naturalis requiritur. Ecce quomodo verum verò consonat, nempè quod quantitas, & alia accidentia vere corrumpantur, & quod quantitas non solum quoad modū; sed etiam verè convertatur in materiam veram, & substantialem.

§. II.

Ratione probatur conclusio.

56 PRimo, generatio compositi ex quantitate vicem gerente materiæ nequit esse genaratio substantialis: ergo nec datur nec dabilis est generatio substantialis sine materia prima entitativè substantiali. Prob. antec. generatio talis compositi nequit esse transitus de non esse ad esse simpliciter, & substantiale: ergo nequit esse generatio substantialis: conseq. constat ex art. præcedenti. Et antec. prob. nequit esse transitus de non esse ad esse omnino primum in subiecto; sed solum esse omnino primum in subiecto est esse simpliciter, & substantiale: ergo. Min. constat tāquam principium philosophicum: mai. verò prob. talis generatio esset transitus de non es-

esse ad esse in subiecto præexistente in esse actuali: ergo non esset transitus de non esse ad esse omnino primum in subiecto. Conseq. constat alias vnicum, vel ad minùs præcipuum fundamentum Thomistarum ad negandum materiæ primæ actum entitativum, & existentialem, nullius roboris esset. Recolantur rationes quibus in Physica vtrũque actum negavimus materiæ primæ; & an ec. prob. subiectum illius transitus, & mutationis esset quantitas vicem gerens materiæ; sed hæc præexisteret in suo esse actuali ergo.

57 Dices quantitatem solum præexistere in esse de linea accidentis, non verò de linea substantiæ, quod quidem esse accidentale omnino de materiali se habet ad munus materiæ datum illi in vi prioris miraculi, ratione cuius muneris, est capax recipiendi per generationem primũ esse simpliciter, & substantiale.

58 Sed contra est primò, forma de novo adveniens per talem generationem si dat primum esse, debet illud dare non muneri materiæ, sed subiecto in quo est tale munus; sed subiectum in quo est tale munus præexistit in esse licèt accidentali: ergo forma de novo adveniens non dat esse omnino primum, & substantiale subiecto: patet conseq. nam esse substantiale est esse omnino primum absolutè, idest nullum supponens esse actuale in subiecto nec substantiale, nec accidentale: mai. verò probat. forma genita dat suum esse illi ex quo, & ex ipsa resultat compositum genitum vt *quod*: sed compositum genitum non resultat ex munere materiæ, & ex forma, sed ex ista, & quantitate in qua est munus materiæ: ergo forma genita dat primum esse non muneri materiæ, sed quantitati præexistenti in actu licèt cum tali munere.

Secundo, per se subsistere est proprium lineæ substantiæ; sed munus materiæ iuxta adversarios fuit datum quantitati vt per se subsistenti: ergo munus materiæ convenit illi vt præexistenti in esse proprio lineæ substantiæ: min. constat, nam munus materiæ datur quantitati in vi prioris miraculi, sed per primum miraculum habet quantitas per se subsistere: ergo munus materiæ datur illi, vt per se subsistenti.

Tertio, iuxta adversarios potentia naturalis ex qua agens naturale educit formam vermis, non convenit quantitati secundum se, sed sol[illegible] vt per se subsistenti in vi miraculi; sed idem est potentia natura-

ralis ex qua educitur forma vermis, ac munus materiæ: ergo munus materiæ solum convenit quantitati vt per se subsistenti: ergo solum convenit illi vt præexistenti in esse de linea substantiæ, subindeque forma vermis advenit subiecto præexistenti in esse de linea substantiæ.

59 Vrgetur hoc: per se existere, & subsistere quod est esse vltimum actuale physicum de linea substantiæ, non pugnat in eodem subiecto cum munere, & capacitate, vt per miraculū possit recipere esse simpliciter omnino primū, & substantiale: ergo fundamēta quibus Thomistæ cum D. Thoma propugnāt; materiam primam nullum actum physicum entitativum aut existentialem habere, penitus corruunt: prob. conseq. tum quia magis distat esse primum actuale formæ substantialis ab vltimo actuali esse physico de linea substantiæ, quam ab actu entitativo primo potentiali aut in completo materiæ primæ: ergo si esse vltimum actuale physicum de linea substantiæ, non pugnat in quantitate cum munere, & capacitate, vt possit per miraculum recipere formam substantialem dantem esse omnino primum, multo minus pugnabit actus entitativus vel existentialis partialis in materia prima cum capacitate, vt per miraculum statim possit recipere primum actum simpliciter, aut formam substantialem.

Tum quia ex sententia contrariorum sequitur, materiam primam præexistentem cum actu entitativo, & existentiali esse capacem recipiendi primum esse simpliciter à forma substantiali; sed efficax fundamentum Thomistarum ad negandum actum entitativum, & existentialem materię primę, sumitur ex eo quod illo admisso, forma substantialis non possit esse primus actus simpliciter, nec dare materiæ esse omnino primum simpliciter, & substantiale: ergo. Min. constat ex his quæ latè tradidimus negantes materiæ actum entitativum, & existentialē, in lib. 1. Physicorū q. 2. mai. verò prob. materiæ primæ præexistenti in actu entitativo, & existentiali, non repugnaret illa capacitas, nec ex eo quod præexisteret in actu, nec ex eo quod est substantia. Non ex primo capite, quia quantitati præexistenti in actu vltimo completo de linea substantiæ, illa capacitas non repugnat; ergo multo minus materię prę existenti in actu in cōpleto, & non vltimo, qualis esset saltim actus entitativus.

Non est secundo capite: Tum

Tum quia si præexistentia in actu non pugnat cum capacitate ad recipiendum alium actum simpliciter primum, & substantialem. Cur obstabit quod id quod præexistit in actu sit substantia? Magis enim proportionata est substantia cum substantia, quam accidēs cum substantia. Tum quia licèt quantitas prçexistens in actu secundum se sit accidens, in munere est substantia, & quia per se existit, & subsistit quod est proprium substantiæ, habet tale munus materiæ, & talem capacitatem: ergo materiæ primæ existenti in actu entitativo, & existentiali, ex nullo capite repugnaret capacitas ad recipiendam formam dantem actum primum simpliciter, & substantialem.

60 Nec dicas, quod sicut ad munus materię se habet omnino de materiali, quod quantitas sit accidēs, ita se habet etiam de materiali, quod quātitas per se existat, & subsistit, vel quod præexistat in actu de linea substantiæ: vnde forma substantialis advenit subiecto præexistēti in actu de linea substantiæ materialiter tantum, & entitativè, non tamen formaliter, & in munere. At verò præexistentia in actu entitativo, & existentiali, non se haberet omnino de materiali in materia prima, sicut nec eius entitas ad recipiendam formam substātialem. Et sic forma daret materiæ primæ primum esse, & non daret: daret quia esset forma substantialis; non daret quia præsupponeret esse substantiale materiæ.

61 Sed hæc solutio vim nostri argumenti non minuit, & contra illam instauratur 1. iuxta adversarios munus materiæ convenit quantitati, ea ratione qua illi convenit esse subiectum præcedentium dispositionum ad introductionem formæ substantialis, quia materia quæ recipit formam, est quæ disponitur; sed ratio per se subsistentis non se habet de materiali in quantitate vt sit subiectum dispositionū: ergo nec vt habeat munus materiæ.

62 Secundò, ad munus materiæ per se requiritur, quod quantitas per se existat; sed quod per se requiritur ad aliquod munus, non se habet omnino de materiali ad illud: ergo per se existere, & subsistere non se habet omnino de materiali in quantitati ad munus materiæ: prob. mai. ad tale munus per se requiritur quod quantitas præexistat, sed etiam per se requiritur quod nō prçexistat in alio: ergo per se requiritur quod per se prçexistat & subsistat: mai. constat nam non

non esset ratio cur daretur quantitati divinitus munus materiæ, si existens non supponeretur ad instans generationis. Et minor etiam patet, quia solum quantitas separata à substantia est capax muneris substantialis, qualis est munus materiæ.

63 Tertio, ad munus materiæ per se requiritur in quantitate quod sit ens, alias compositum resultans ex illa & forma non esset adæquatè ens: ergo vel ens quod sit in pura potentia physica, vel non Si hoc secundum: ergo per se requiritur ad munus materiæ quod sit ens in actu physico. Ac subinde quantitatem præexistere in acto physico de linea substantiæ, non se habet omnino de materiali ad munus materiæ, & consequenter inter quantitatem cum munere materiæ, & ipsam materiam primam præexistentem in actu physico, & existentiali, nulla est disparitas.

64 Si dicatur primum. Obstat 1. ergo quantitas nec pro materiali est in actu physico, quia pura potentia physica omnem actum physicum quomodolibet præsuppositum excludit. Vel si actum aliquem physicum pro materiali admitit, non est cur in materia entitativè substantiali non salvetur ratio puræ potentiæ physicæ, quamvis præexistat in actu entitativo, & existentiali, dicendo quod istæ actualitates in entitate materiæ, se habent omnino de materiali ad munus puræ potentiæ physicæ. Quod si admittātur, fundamenta quibus Thomistæ cum D. Thoma negant materiæ actū aliquem entitativū & existentialem, facile possunt solvi à contrarijs, & omni prorsus efficacia destituuntur.

65 Obstat 2. esse ens in pura potentia physica, vel quod idem est, esse primum subiectum physicum receptivum formarum, nec per miraculum potest convenire quantitati: ergo munus materiæ nequit cōvenire quantitati prout est ens in pura potentia physica. Prob. anteced. ratio puræ potentiæ physicę, & primi subiecti receptivi formarum, est primus conceptus quidditativus materiæ primæ substantialis, & distinctivus illius à forma substantiali, & ab alijs entibus substantialibus, & accidentalibus: ergo talis conceptus nec per miraculum potest convenire quantitati: conseq. est evidens; & antec. constat: Tum ex dictis à nobis in 1. Physicor, explicantibus essentiam materiæ primæ substantialis. Tum quia materia entitativè substantialis habet aliquod prædicatum primario illam

lam constituens intra genus substantiæ, & illam distinguens essentialiter ab alijs quæ non sunt materia prima substantialis; sed nõ est assignabile aliud, nisi ratio puræ potentiæ physicæ, & primi subiecti receptivi formarum, ergo.

§. III.

Solutio contrariorum refertur. & impugnatur.

66 PRæcedenti impugnationi quæ valde viget, dicüt adversarij, quod esse primum subiectum connaturaliter, & ex natura rei receptivum formarum, est primus conceptus quidditativus & essentialis materiæ primæ substantialis, non verò esse primum subiectum substitutivè, & in munere, & ex vi alicuius miraculi præsuppositi.

67 Sed hic modus philosophandi omnino voluntarius apparet, & præbet licentiam, vt circa essentias rerum nihil firmum habeatur. Quod constat 1. quia posito aliquo prædicato primario constitutivo alicuius rei, cuipiam licet suadere, tale prædicatum alteri rei specificè, imò genericè distinctæ convenire posse, dicendo quod tale prædicatum est de essentia talis, non absolute, sed connaturaliter, & ex natura rei. At si quis diceret, rationalitatem posse per miraculum convenire æquo, vel leoni, non posset convinci ad oppositum, per hoc quod rationalitas est essentia hominis. Facile respondendo, quod rationalitas connaturaliter, & ex natura rei est essentia hominis, non verò rationalitas per miraculum in munere, & substitutivè.

68 Secundum, sicut esse primum subiectum susceptivum formæ substantialis, ponitur communiter à philosophis cum Aristotele, & D. Thoma pro essentia, & quidditate materiæ primæ; ita esse primum actum dantem primum esse simpliciter, & speciem composito substantiali, ponitur ab eisdem pro constitutivo, & essentia formæ substantialis: ergo sicut licèt interpretare, quod esse primum subiectum connaturaliter, & ex natura rei solum, est essentia materiæ primæ, non vero esse primum subiectum substitutivè, & in munere, & ex vi miraculi; ita licebit interpretare esse primum actum connaturaliter, & ex natura rei esse de essentia formæ substantialis; non verò esse primum actum substitutivè in munere vel alio modo; ac subinde sicut quantitas per miraculum cum mu-

ne-

nere primi subiecti potest cõstituere compositum substantiale; ita qualitas vel aliud accidens per miraculum cum munere primi actus poterit esse terminus generationis substantialis.

69 Nec dicas, quod munus formæ substantialis est dare esse simpliciter, & speciem substantialem composito substantiali, quod repugnat entitati accidentali.

70 Contra 1, nam licèt accidenti materialiter, & in esse entis considerato munus formæ substantialis repugnet, non est cur illi repugnet formaliter transferri ad lineã substantię, & sic translatio, munus formæ substantialis subire: ergo: prob. antec. Licèt quantitati materialiter, & entitativè consideratæ repugnet munus materiæ primæ, & esse puram potentiam physicã, nõ repugnat illi transferri ad lineam substantiæ, & sit translatæ munus materiæ subire: ergo pariter.

71 Secundo, nam dare speciem substantialem composito substantiali non est ita proprium formæ, quod non conveniat etiam materiæ primæ: ergo malè negatur munus formæ posse convenire accidenti, ex eo quod forma dat speciem substantialem cõposito substantiali, non verò materia: probat. anteced. ex Div. Thom. qui 1. contrag. cap. 21. & 1. p. q. 75. artic. 4. impugnat sententiam eorum qui ponebant solam formam esse de essentia, & ratione speciei: his verbis: *Quod quidem non potest esse verum, nam ad naturam speciei pertinet id quod significat diffinitio: diffinitio autem in rebus naturalibus non significat formam tantam, sed formam, & materiam. Vnde materia est pars speciei in rebus naturalibus, non quidem materia signata, quæ est principium individuationis, sed materia communis.*

72 Nec iterum dicas, quod licèt forma, & materia sint partes essentiales speciei substantialis; forma tamen cũ sit actus, est quid perfectius in genere, & specie substantiæ: materia verò est quid imperfectius, cum sit pura potentia: & cum supremum infimi possit attingere infimum supremi, poterit quantitas, quæ est supremum accidens, attingere infimum generis substantiæ, quod est materia.

73 Contra est. Licèt supremum infimi posit attingere infimum supremi in aliqua huius proprietate, & munere secundario (qualiter quantitati convenit sub stare alijs accidentibus, & per se existere, quæ sunt munera substantiæ secundaria) non tamen potest

tèst attingere infimum supremi in munere primario, & constitutivo illius. Quia omnia pertinentia ad vnum genus, quatumvis infima, debent habere in illo genere prædicata constitutiva, & distinctiva essentialitèr ab omnibus alijs pertinentibus ad aliud genus: ergo licèt materia sit infimum generis substantiæ, & quantitas supremum generis accidentis, nequit hæc esse pura potentia physica, quia hoc est primum prædicatum constitutivum materiæ.

Confirmat. licèt quantitati posit per miraculum convenire per se existere, quod est munùs substantiæ: non tamen potest illi convenire esse ens cui debetur per se existere, quod est primus conceptus constitutivus substantiæ: ergo licèt quantitati per miraculum posit convenire esse subiectum accidentium; non tamen esse primum subiectum formæ substantialis, quod est primus conceptus materiæ primæ.

74 Dices, quod sicut primus conceptus quidditativus substantiæ non est per se existere, sed esse ens cui debetur per se existere: ita primus conceptus quidditativus materiæ nō est esse primum subiectum, sed esse ens cui debetur connaturaliter ratio primi subiecti; ac subinde sicut quantitati convenit per se existere, quod est proprium substantiæ; poterit illi convenire esse primum subiectum quamvis hoc sit proprium materiæ.

75 Contra est 1. instantia in forma substantiali. Cur essentia materiæ non est esse primum subiectum, sed esse ens cui connaturalitèr debetur esse primum subiectum; & essentia formæ non poterit esse solum ens cui debetur connaturalitèr esse primum actum, ita vt esse primum actum posit accidenti convenire? disparitas insinuata ex eo quod dat speciem, & quod est supremum generis substantiæ, iam impugnata est, & est omnino voluntaria.

76 Contra 2. ergo esse puram potentiam physicam, & primum subiectum susceptivum formæ substantialis, comparatur ad materiam primam, non vt essentia, sed vt proprietas: consequens est falsum: ergo: prima conseq. constat, nam prædicatum proprium alicuius rei, quod rem ipsam non constituit, sed solum illi connaturaliter debetur est proprietas talis rei. Falsitas verò consequentis habetur expressè in D. Thoma 1. physicor. lect. 15. dicente: *Potentia ad esse substantiale non est aliquid extra genus substantiæ: non igitur potentia ma-*

teriæ est aliqua proprietas supra essentiam eius, sed materia secundum suam substantiam est potentia ad esse substantiale.

77 Tertio, forma substantialis non solum connaturaliter, & ex natura rei, sed essentialiter est primus actus dans esse simpliciter primum: ergo meteria prima entitativè substantialis non solum connaturaliter, aut ex natura rei, sed essentialiter est primum subiectum, & pura potentia physica. Probat. conseq. Primis actus, qui non solum connaturaliter, sed essentialiter est talis, petit subiectum quod non solum cōnaturaliter, sed essentialiter careat omni actu; sed subiectum quod non solum connaturaliter, sed essentialiter caret omni actu; non solum connaturaliter, sed essentialiter est pura potentia physica, & primum subiectum: ergo si forma non solum connaturaliter, sed essentialiter est primus actus: materia prima non solum connaturaliter, sed essentialiter est primum subiectum, & pura potentia physica. Min. est evidens, quia idem est carere omni actu, ac esse puram potentiam: & consequenter idem erit carere omni actu essentialiter, ac esse essentialiter in pura potentia. Mai. etiam ex eo evidens apparere videtur, quia primus actus simpliciter, ex terminis dicit carentiam actus prioris ipso in subiecto in quo recipitur: ergo primus actus qui est talis essentialiter, dicit carentiam essentialem actus prioris ipso in subiecto in quo recipitur: ergo dicit essentialiter, quod subiectum sui receptivum, non solum connaturaliter; sed essentialiter sit sit pura potentia physica, & primum subiectum: ergo essentia materiæ primæ (quæ est subiectum formæ substantialis) est esse primum subiectum, & puram potentiam non connaturaliter, sed essentialiter: ac subinde repugnat talia prædicata convenire alteri distincto ab ipsa.

§. IV.

Alia ratio pro conclusione.

78 SEcundo probat. conclusio, non est dabilis generatio substantialis cuius terminus totalis, non sit compositum substantiale constitutum in aliqua specie substantiæ; sed compositum sic constitutum in aliqua specie substantiæ petit essentialiter, quod subiectum suæ formæ sit materia entitativè substantialis: ergo. Prob. min. constitutivum essentiale physicum omnis speciei substantialis corpo-

po-

poreæ constat ex forma subs-tantiali, & materia entitativè substantiali: ergo omne cō-positum constitutum in aliqua specie substantiæ corporeæ petit essentialiter, quod subiectum suæ formæ sit materia entitativè substantialis. Probat. antec. constitutivum essentiale physicum omnis speciei substantialis corporeæ explicatur per diffinitionem essentialem physicam talis speciei; sed diffinitio essentialis physica speciei substantialis corporeæ importat partes physicas essentiales, quæ sunt materia, & forma entitativè substantialis: ergo.

79 Dices, quod à perfectiori sumitur denominatio, & cum forme in composito substantiali sit perfectior pars, sufficit quod forma sit entitativè substantia, vt compositum sit in specie substantiæ, & absolutè substantiale denominetur.

80 Contra est 1. D. Thom. loco supra citato ex 1. p. q. 75. artic. 4. Qui expressè asserit, quod diffinitio, quæ in rebus naturalibus explicat essentiam speciei non significat formam tantum, sed formam & materiam.

81 Secundo, licèt pars perfectissima, & principalior naturæ humanæ sit entitativè spiritualis; quia tamen altera illius pars essentialis, quamvis minùs principalis, est materialis, & corporea entitativè; natura humana non dicitur absolutè spiritualis: ergo licèt forma substantialis sit perfectior pars compositi, & speciei substantialis, si altera illius pars essentialis quamvis minùs principalis sit entitativè accidens, compositum resultans non dicetur nec erit absolutè substantiale.

82 Denique, iuxta aliquos ex adversarij, sine metaphysica temeritate nequit negari, quod materia sit simpliciter pars compositi naturalis, quia alias compositum resultans ex materia, & forma non esset totum simpliciter: ergo sine metaphysica temeritate nequit negari, quod materia sit entitativè substantia, quia alias compositum resultans ex materia, & forma non esset totum substantiale. Patet conseq. quia sicut totum simpliciter dicitur à partibus simpliciter; ita totum substantiale à partibus substantialibus; sed perte totum simpliciter tale non esset, si aliqua pars quamuis minùs principalis non esset simpliciter pars: ergo nec totum substantiale dicetur nec erit, si aliqua pars quamvis minùs principalis non est entitativè substantia.

83 Tertio prob. conclusio. Munùs materiæ primæ, est munùs essentialiter pertinens ad genus substantiæ; sed hoc ipso nequit convenire entitati de genere accidentis: ergo nequit dari materia prima solum in munere, & quæ entitativè sit accidens. Mai. constat, nam munùs materiæ est munùs partis constituentis speciem pertinentem essentialiter ad genus substantiæ, & nequit species constituta essentialiter pertinere ad genus substantiæ, si partes illam essentialiter constituentes, saltem quoad munus, non pertinent essentialiter ad idem genus. Min. verò probat. Tum quia munùs materiæ est munùs de linea entis physici positivi, cum sit munus partis constitutivæ compositi, quod est ens reale physicum positivum: ergo nequit entitas physica partis talis compositi pertinere ad unum genus entis, & munùs proprium partis pertinere ad aliud genus primo diversum.

Tum quia nequit pertinere essentialiter ad genus substantiæ tamquam species, vel pars essentialis speciei substantialis, quod non est entitativè substantia completa, vel incompleta: ergo munùs materiæ nequit pertinere essentialiter ad genus substantiæ, & entitas in qua est tale munùs ad genus accidentis. Antec. videtur certum, quia genus substantiæ, non est genus munerum aut formalitatum, sed entium: ergo quidquid pertinet essentialiter ad genus substantiæ, debet pertinere ad illud, non præcisè ratione alicuius muneris substantialis, sed ratione entitatis; ac subinde si munùs materiæ primæ essentialiter pertinet ad genus substantiæ, repugnat tale munùs in entitate non substantiali.

86 Urgetur hoc, munus materiæ primæ est munùs de linea entis realis physici positivi, cum sit munùs partis essentialis compositi realis physici positivi: ergo vel tale munùs est indistinctũ realiter ab ipsa entitate quantitatis, vel ab illa realiter distinctum. Primum repugnat, secundum est falsum: ergo repugnat, vel est falsum munùs materiæ primæ posse convenire quantitati. Prima conseq. constat, quia inter illa non datur medium. Et min. subsumpta quoad primam partem. Prob. repugnat quod adhuc per miraculum conveniat quantitati aliquod munus reale physicum positivum de linea substantiæ, quod ei ex natura rei repugnat, & ab illa est realiter separabile, sine aliquo reali physico positivo superadito; sed munùs materiæ est reale

phy-

physicum positivum de linea substantiæ realiter separabile à quantitate, & ipsi ex natura rei repugnans: ergo tale munus nequit esse realiter cum ipsa quantitate identificatum, sed illi realiter superadditum.

85 Si dicas, quod est probabile, imò ab aliquibus ex nostris iudicatur probabilius, quod existere per se (munus quidem proprium substantiæ) convenit accidentibus Eucharisticis, sine aliquo eis realiter superaddito, nec entitativo, nec modali.

86 Contra 1. quia Authores prædictæ sententiæ cōsequenter asserunt, quod existere, & subsistere per se in substantia dicit duo, & negationē essendi in alio vt in subiecto inhæsionis, & positivum modum essendi per se. Accidenti igitur solum datur divinitus proprietas substantiæ quōd primum; nempè quoad negationem essendi in alio, quod est subsistere per se negativè; non tamen datur quod est proprium substantiæ quoad positivum modum essendi per se videatur Prado tomo de Eucharist. quæst. 77. dub. 1. sed munus materiæ est omnibus modis physicum reale positivum: ergo.

87 Secundo, quia ad suplendum in genere efficientes causæ ad quod substantia faceret respectu accidentium, sufficit efficientia actionis Dei conservantis illam sine aliquo illis superaddito; sed in nostro casu si aliquid reale positivum non superadditur quantitati, Deus se solo suppleret munus proprium materiæ, quod quantitati ex natura sua non convenit. Quod est aparte falsum.

88 Probemus iam illam min. subsumptam quoad secundam partem, nempe falsum esse munus materiæ esse realiter distinctum à quantitate, & ei realiter superadditum. Illud reale superadditum quantitati vt munus materiæ exerceat, nec est entitas, nec est modus: ergo nihil est. Probat. antec. quoad primam partem, si esset entitas esset vtique substantialis, alias maneret eadem difficultas, quæ est in quantitate. Entitati enim substantiali in numero materia prima, quid deest vt sit vera materia prima: & sic illa entitas, & non quantitas esset subiectum receptivum formæ substantialis.

Præterquanquod illa entitas substantialis, vel superadditur quantitati in instanti consecrationis, vel in instanti generationis vermis. Si primum: ergo datur entitas substantialis in pura potentia physica

sica sine forma substantiali toto tempore quo Christus est sub speciebus. Cur hoc repugnavit materiæ primæ? Si secundum. Cur in illo instanti non poterit Deus creare novam materiam, vel quantitatem in veram materiam convertere? quod quidem in linea miraculi est connaturalius.

Quoad secundam partem, nempè quod id quod realitèr superadditur quantitati non posit esse modus substantialis: probat. tum quia ille modus esset pars intrinseca, & essentialis compositi substantialis, non verò quantitas realiter distincta ab illo modo. Tū quia compositum non esset adæquatè entitativè substantiale, sed saltim inadæquatè esset substantiale modaliter. Tum quia esse simpliciter substantiale formæ reciperetur nō in quantitate, sed in illo modo, cum ille modus, & non quantitas esset pura potentia physica receptiva formæ, quia forma substantialis solum potest recipi in eo quod substantialiter est pura potentia physica, quod quidem modo substantiali, & non quantitati conveniret. Tum quia ex quantitate, & forma substantiali, & illo modo substantiali resultaret vnum ens per se, quod est falsum, nisi modus substantialis sit modus vnionis. Tum denique, nam vel ille modus substantialis superadditur quantitati in instanti consecrationis, vel præcisè in instanti generationis vermis. Vtrumque esse falsum, constat eadem ratione qua repugnare diximus entitatem substantialem posse superaddi quantitati, nec in instanti consecrationis, nec in instanti generationis.

89 Si dicas, valde probabile esse divinitus seperaddi quantitati modū existendi per se ab ipsa realiter distinctum. Cur non poterit superaddi modus materiæ ab ipsa quantitate realiter distinctus?

90 Contra est: quia adhuc admisso primo, nequit admitti secundum: prob. assumptum. Tum quia licèt existere per se per aliquem modū superadditum posit convenire quantitati: repugnat tamen modus, ratione cuius illi conveniat esse ens cui debetur existere per se, quia hoc secundum est quidditas substantiæ; sed supra probavimus esse primum subiectum, & puram potentiam esse quidditatem materiæ primæ: ergo nequit convenire quantitati beneficio alicuius modi. Tum quia modo substantiali existendi per se nil est repugnas pro tota duratione qua accidentia Eucharistiæ sunt sine subiecto: at vero modo substantiali puræ po-

ten-

tentiæ physicæ repugnat pro aliqua duratione existere sine forma ad quam est in pura po tentia.

§. V.

Inconvenientia ex sententia contraria.

91 SEquitur 1. quod si homo longo tempore nutriretur solis speciebus sacramentalibus, de cursu temporis tota materia, vel ma xima pars illius esset ipsa quan titas, in qua anima rationalis sicut in propria materia inveni retur, & cum qua superadita etiam materiæ propriæ in qua homo fuit genitus ab initio, resurget in die iudicij: sequelam admittunt adversarij asserentes consequens non esse in credibile, sed nobis incredibile est, qui cum D. Thoma credimus.

92 Angel. Præceptor. loco supra citato ex 3. p.q.77. artic.6. inquirens. Vtrùm species sacramentales possint nutrire. Secundum proponit argumentum sub hac forma. *sicut dicitur 2. de generat. ex eisdem nutrimur ex quibus summus, species autem sacramentales sunt accidentia ex quibus homo non constat; non enim accidens est pars substantiæ.* Ergo. Cui Respondet: *quod species sacramentales, & si non sint ea ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur.* Si in homine longo tempore nutrito speciebus maneret quantitas vt materia, ex illa constaret corpus hominis; sed hoc expressè negat D. Thom. ergo mai. constat, nam corpus hominis vere constat non solum forma, sed etiam materia. Deinde expressè asserit D. Thom. quod accidentia non sunt ea ex quibus corpus hominis constat, sed quod cōvertuntur in ea ex quibus constat: ergo asserit quantitatem non manere, seu converti in materiam ex qua homo constat.

93 Expressius hoc habet D. Thom. loco supra citato ex 4. sentent. illa quæstiuncula 5. ad 2. dicens, *quod accidentia manentia in suo esse accidentali non nutriunt, sed eo modo quo in aliud convertuntur, vel aliud sub eis creatur, vel reddit,* sed si in homine nutrito speciebus maneret quantitas quoad entitatem, & si cum munere materiæ, quantitas manens in suo esse accidentali nutriret, ergo sicut hoc secundum negat D. Thom. etiam primum.

94 Ex quibus habetur non esse fundamentum in D. Thoma, addeborandum illud inconveniens quod ex terminis apparet incredibile, & incredivilius fit his qui cum D.

Thoma credunt. Et si credimus sapientissimo Magistro Soto, tale inconveniens deborare esset totam Philosophiam ludibrio exponere. Si enim adversarij reputant inconveniens, quod plurificentur miracula quæ non habentur ex verbis consecrationis. Cur non debet reputari inconveniens, illud primum miraculum durare per totam æternitatem, conservando quantitatem sine subiecto in homine qui cum illa resurgeret, præstando durationem æternam accidenti natura sua corruptibili.

95 Sequitur 2. quantitatem futuram esse subiectum subsequentium formarum vsque ad finem mundi: consequens est falsum: ergo. Sequælam admitunt adversari. Et falsitas consequentis prob. si quātitas maneret subiectum subsequentium formarum, per varias transmutationes pervenire posset, vt esset subiectum formę panis triticei: nullo in hoc apparet repugnantia; sicut nec in eo quod illa materia prima quæ prius fuerat panis, corrupto pane per varias transmutationes possit vlterius informari alia forma panis, saltim quoad aliquam partem materiæ prioris panis.

Hoc admisso, quia videtur non posse negari: inquiro ille panis triticeus constans e quantitate vt ex materia, vel esset materia consecrationis, vel non? hoc secundum nequit dici, cum ille panis esset verus triticeus, & naturalis: si dicatur primum, vel ille panis facta consecratione convertitur in substantiam corporis Christi, quoad formam, & quantitatem vicem gerentem materiæ; vel præcisè quoad formam, vtrum que est difficile, salva veritate mysterij quam habemus ex Scriptura, Concilijs, & Patribus: ergo. Prob. min. quoad primam partem, nam veritas mysterij pugnare videtur cum eo quod accidens simpliciter tale per conversionem transeat in substantiam corporis Christi, alias illa mirabilis conversio ex omni parte non esset transsubstantiatio, hoc est transitus substantiæ in substantiam; sed quantitas solum in munere materia, est accidens simpliciter, & secundum quid substantia: ergo iuxta præsentem institutionem huius Sacramenti; quantitas manens entitativè accidens non converteretur in substantiam corporis Christi.

96 Confirm. nam in conversione totali facta virtute divina non attenditur ad munera terminorum, sed ad entitates illorum, propterquod D. Thom. 3. part. q. 75. art. 4. ad 3. ait: quod hæc conversio non

po-

potest fieri virtute agentes finiti, *sed virtute agentis infiniti* (*quod habet actionem in totum ens*) *potest talis conversio fieri, quia vtrique formæ, & vtrique materiæ est communis natura entis, & id quod est entitatis in vna potest actor entis convertere in id quod est entitatis in altera*: ergo si quantitas converteretur in corpus Christi, terminus à quo per se inspectus à tali conversione non esset munùs materiæ, sed entitas quantitatis: ergo illa conversio ex hac parte non esset transsubstantiatio.

97 Probemus iam min. quoad secundam partem; quæ difficilior est: nam veritas mysterij pugnat cum eo, quod hæc conversio non sit totalis totalitate compositi substantialis ex parte vtriusque termini *à quo, & ad quem*: sed formà substantialis panis præcisè nō est totum nec compositum substantiali: ergo.

98 Tum quia iuxta D: Thomam in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. quæstiuncula 1. conversio Eucharistica differt ab alijs cōversionibus naturalibus, in eo quod in naturalibus, convertitur totum in totum, non autem partes essentiales in partes sed in hac, & *totum convertitur* in totum, *quia panis fit corpus Christi, vt partes etiam convertuntur, quia materia panis fit materia corporis Christi, & forma substantialis similiter fit illa forma, quæ est corporis Christi*.

99 Tum quia si facta conversione huius panis compositi ex quantitate, & forma panis, maneret quantitas vicem gerens materiæ, non verificaretur illud Trident. Sessione 13. can. 2. *Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Assumptum prob. de illa quantitate vicem gerente materiæ non verificatur, quod sit species panis nunc conversi in corpus Christi: ergo si illa quātitas maneret, non verificaretur manere dumtaxat species panis probat. antec. Solum illa accidentia sunt vere species huius panis, quæ respectu illius munùs accidentis exercent; sed quantitas vicem gerens materiæ non exercet munùs accidentis respectu panis ex illa compositi: ergo.

100 Confirm. iuxta sensum PP. & Theologorum, accidentia Eucharistica nuncupantur species, quia eis mediantibus substantia panis, & vini sentitur, ad hominum sensus immitit species intentionales; sed substantia huius panis nec sentitur, nec immittit species intentionales, media quantitate ex qua vt ex materia componitur, sed medijs novis accidentibus ex eius forma sequutis: ergo: solum hæc

hæc accidentia, & non illa quantitas, vere nuncupantur species: ergo hæc accidentia dumtaxat debent manere, vt verificetur dictum concilij. Ex alia parte, vt probatum manet, illa quantitas iuxta præsentem institutionem huius Sacramenti, nequit converti in corpus Christi: ergo vel panis ex illa compositus non erit materia consecrationis, quod est difficillium, & maximum inconveniens inebitabile, cum non possit discerni ab alio pane, vel panis ex quantitate, vt materia componi non potest, quod plusquam verum censemus.

101 Sequitur 3. materiam primam entitativè substantialem, non esse principium essentiale, sed præcisè connaturale individuationis, vnitatis, & distinctionis puræ numericæ substantialis, consequens cum doctrina Div. Thomæ, & veritate non cohæret: ergo. Mai. est sequæla necessaria doctrinæ contrariorum, & ab illis admissa. Et min. constat, cum sit sententia omnium Thomistarum, & veluti principium Thomisticæ scholæ in tractatu de Angelis, contra Scotum, & alios Doctores Societatis, repugnare quod ratio principij radicalis individuationis, vnitatis, & multiplicationis puræ numericæ, quæ quidem est munus proprium materiæ primæ, possit alteri rei distinctæ à materia prima convenire. Sed de hoc plura infra dum de principio individuationis pro dignitate disputemus.

102 Sequitur 4. duo accidentia solo numero distincta esse in eodem composito substantiali: consequens menti Div. Thomæ, & veritati adversatur in communi consensu discipulorum D. Thomæ, vt infra latæ probabimus: ergo. Sequæla probat. nam quantitas vicem gerens materiæ, per munus materiæ ipsi miraculose colatum, non amittit speciem quantitatis, quæ ei secundum suam naturam convenit (licèt hoc de materiali se habet ad tale munus exercendum:) ergo talis quantitas manet in composito de novo genito cum individuatione, & vnitate, qua solo numero differat à quantitate de novo adveniente (licèt hoc de materiali se habeat ad munus materiæ.) Consequnt. constat, quia hoc ipso, quod quantitas gerens vicem materiæ non amittat speciem quantitatis, manet in composito cum alia quantitate cum qua specifice convenit: alias differt ab illa realiter: ergo differt solo numero ab illa.

Ex quo vlterius infertur

tur: ergo per miraculum potest Deus colocare duo accidētia solo numerò distincta in eodem subiecto, per hoc præcisè, quod vni illorum communicet munus aliquod extra suam speciem: ergo absolutè, & ex terminis non est verum, repugnare de potentia Dei absoluta, quod duo accidentia solo numero distincta sint in eodem composito substantiali. Prob. hæc conseq. duo accidentia solo numero distincta posse esse non ex natura rei, bene tamen de potentia absoluta in eodem composito, solum potest esse verum per hoc, quod eis, vel alicui illorum Deus miraculose communicet aliquod minus, vel formalitatem, qua non expelat aliud ab eodem composito, (quidquid sit de qualitate illius muneris, vel formalitatis:) ergo si in sententia contraria, potest Deus miraculose conferre quātitati aliquam formalitatem, ratione cuius maneat in eodem composito cum alia quantitate solo numero distincta ab ipsa, non est cur in sententia contraria possit absolutè negari, quod duo accidentia solo numero distincta de potentia absoluta possint esse in eodem composito. Sed adhuc hoc assumptum latius prosequemur infra agentes de individuatione accidentium.

103 In summa sequitur ex contraria sententia, nullum principium Thomisticum manere firmum circa essentiam materiæ, & formæ substantialis, circa constitutionem & individuationem compositi substantialis, circa generationem, & nutritionem substantialem, circa individuationem accidentium. Quæ omnia si adas secundum inconveniens supra ponderatum, valde firmant veritatem nostræ sententiæ.

§. VI.

Solvuntur obiectiones.

104 OBij. 1. Et est fundamentū præcipuum, & fortè vnicum contrariorum, ex D. Thom. 3. p. q. 77. art. 5. in corpore, vbi referens sententiam assentium, in instanti generationis vermis creari materiam, licèt vt probabilem illam admitat, ei tamen non acquiescit, *quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat in hoc Sacramento nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est, quod materia creetur, vel reddeat:* sed nec ex illa est quod quantitas convertatur in materiam, quæ est nostra sententia: ergo restat solum, quod quantitas permaneat vt materia, Pro-

Prosequitur D. Thom. *melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensiva panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum, hoc autem est proprium materiæ, & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ illud quod ad materiam pertinet, & ideo quidquid posset generari ex materia panis, & vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitati dimensiva panis, vel vini; non quidem novo miraculo; sed ex vi miraculi prius facti:* Ex quibus habetur quantitatem recipere formam vermis

105. Deinde quod lib. 9. art. 5. ad 3, admitendo, vt probabilem sententiam de creatione novæ materiæ, illam explicat dicendo; *quod intelligenda est per substantiam panis materia panis, non quod reddatur, quæ prius erat, sed quod destructis speciebus aliqua materia ibi provideatur à Deo, vel per creationem, vel quocumque alio modo, ex qua possint huiusmodi corpora generari:* In qua sententia hoc modo explicata, comprehendit sententiam de conversione quantitatis in materiam, cum talis cõversio sit aliquo modo ibi provideri materiam.

Sed sententiæ sic explicatæ non acquiescit dicendo: *Alia verò opinio est planior, vt dicatur, quod illis accidentibus, sicut datum est per se subsistere divina virtute, similiter datum est, vt agant, & ex eis fiat, quidquid fieret ex substantia panis, vel quid quid ageret si maneret, & hac virtute nutriunt, & vermes, vel cineres exinde generantur:* His verbis invenitur de relicta opinio de creatione materiæ novæ, de conversione quantitatis in illam, & vt planior admissa opinio de permanentia quantitatis loco materiæ. Pluribus alijs in locis easdem opinionis circa materiam vermium ex speciebus refert, & in illis omnibus vltimo loco refert sententiam de permanentia quantitatis, inditium vehemens hanc esse iuxta illius mentem.

106 Resp. igitur solutione à nobis insinuata loco supra relato in 1. Physicorum, quod cum D. Thom. dicit, quod in ipsa consecratione datur quantitati esse primum subiectum subsequentium formarum, & omne illud, quod ad materiam pertinet, debet intelligi, non quod per se ipsam subijciatur formis substantialibus, sed datur illi ex vi institutionis Sacramenti, quod media sui conversione supleat absentiam materiæ.

Et quod hæc interpretatio est consona ipsius menti, constat 1. nam in testimonio ex 4. sententiar. primo loco supra à nobis adducto, & in alijs

lijs testimonijs ibidem à nobis relatis, refert omnes modos quibus ex speciebus possit aliquid generari, nempè vel per redditum substantiæ, vel per creationem materiæ, vel per conversionem dimensionum in materiam, sine eo quod exprimat permanen... quantitatis loco, aut ... materiæ, qui modus est ...inctus ab alijs tribus. In ...timonijs verò quæ nobis opponuntur, refert D. Thom. eosdem modos, cum eodem ordine: cum hac differentia, quod hic non exprimitur conversio quantitatis, (qui modus est vltimus in sententiarijs) & loco illius ponit pro vltimo modo, quod datur quantitati quod sit materia. Ex quibus vnum è duobus infertur, vel quod D. Thom. diminute processit referendo modos, quibus ex speciebus possunt generari vermes in testimonijs aductis in *pro*, & in *contra*; vel quod vltimus modus quem vbique refert, est idem secundum rem diversis tamen vocibus expressus; primum non debet dici: ergo secundum est iuxta mentem D. Thom.

107 Constat. 2. ex perpetua consuetudine D. Thomæ, qui dum refert plures opinionis, semper vltimo loco refert eam inquam magis inclinat; sed in sententiarijs post creationem materiæ novæ, quæ erat penultima opinio, refert convorsionem quātitatis in materiam; & in testimonijs obiectis similiter post creationem novæ materiæ, quæ est penultima opinio relata, refert dari divinitus quantitati esse materiam: ergo vel in sententiarijs tenet sententiam diversam ab ea quam tenet in summa, & quod libero, quod est inconveniens; vel vtrobique eandem sententiam tenet diversis vocibus expressam; quod est verum. Et maximè si attendatur ad solutionem tertij argumenti articuli 5. in cuius corpore fundatur sententia cōtraria, vbi vtrūque coniūgit, nempè, & dari quantitati vim, & proprietatem substantiæ, & posse transire in substantiam, idest in illam converti.

108 Nec obstat contra hoc 1. quod D. Thom. in 4. contrag. cap. 66. in medio, impugnat sententiam eorum, qui dicunt miraculosè accidentia in substantiam converti: ergo impugnat quantitatem in materiam substantialem converti.

Obstat 2. quod illa conversio esset miraculum, & non ex ipsa consecratione accideret; sed hoc dicit D. Thom. non rationabiliter dici: ergo.

Obstat 3. D. Thom. Relinquit sen-

sententiam asserentium, in tali generatione à Deo provideri materiam, vel per creationem, velquocumque alio modo; sed quantitatem converti in veram materiam, est illam provideri aliquo modo: ergo.

Denique obstat, quod de quantitate conversa in materiam non verificatur, quod est quantitas; sicut de pane converso in corpus Christi non verificatur, quod est panis; sed D. Thom. absolutè asserit, quantitatem esse subiectum sequentium formarum, & quod illi datur quidquid ad materiam pertinet: ergo.

109 Ad 1. Resp. quod ibi non reijcit D. Thom. conversionem quantitatis in materiam ex qua proximè, & naturaliter generentur vermes; solum reijcit sententiam illorum qui asserebant, accidentia totaliter converti in totam substantiam vermis: ad modum quo totaliter convertitur substantia panis in corpus Christi, in qua nihil est naturale. Quod legenti contextum literæ manifestè constabit, & ex impugnatione D. Thomæ sumpta ex eo, quod putrefactio, & combustio consueto naturæ ordine accidunt in speciebus, quod non solet esse in his, quæ miraculosè fiunt.

110 Ad 2. Resp: quod caput miraculi non vitatur in sententia contraria, & intra lineam miraculi magis recedens à primo miraculo, & à naturis rerum. Tùm quia miraculum est, quod idem accidens maneat in genito, quod erat incorrupto, & quod quantitas non corrumpatur adveniente nova forma substantiali: Tum quia esset perpetuum miraculum iam transactio Sacramento, cum illo non habens necessariam connexionem, quod fierent entia naturalia sine connaturali materia, vsque ad finem mundi imò & quod quantitas esset pars substantialis hominis per totam æternitatem.

Prætterquamquod ex testimonio D. Thomæ, primo loco à nobis adducto in favorem nostræ sententiæ, habetur quod secundum quamlibet opinionem, aliquid debet esse miraculosum, & aliquid naturale in illa generatione. Miraculosum quod est in nostra opinione, est minùs miraculosum, quam in sententia opposita; magis consequens ad primum miraculum; & relinquens magis naturalem illam generationem. Prima pars patet; minùs miraculosum est, quod corruptis speciebus transacto Sacramento non maneat quantitas, quamquod maneat per se subsistens post quam desinit

nit Sacramentum, & cùm alijs muneribus fortè quantitati repugnantibus, & ad minùs maximè recedentibus à suo modo naturali, & connaturali ordine rerum.

Secunda pars etiam constat, quia consequentius ad primum miraculum est, quod quantitas cui in vi consecrationis munùs substantiæ datum est, quoad recipere dispositiones ad novam generationem, (quod munùs exercet vsque ad non esse Sacramenti) convertatur in instanti generationis in materiam, quæ subijci posit formæ substantiali; quam quod maneat quantitas sine subiecto non continendo corpus Christi, & quod maneat incorrupta corruptis alijs accidentibus, & alia plurima supra insinuata. Denique vltima pars non minùs canstat, quia esse aliquid naturale in illa generatione, melius salvatur (imò aliter nequit salvari) si datur materia vera substantialis, ex cuius potentia naturali agens naturale formam substantialem educat, vitando monstrum perpetuum constans ex accidenti & substantia, in cuius generatione, & constitutione nihil naturale apparet, nec perseverat.

Disparitas inter redditum, vel creationem materiæ ex vna parte, & conversionem quantitatis in materiam ex alia (quoad novitatem miraculi in primo casu, & non in secundo) constat ex eo, quod creatio materiæ, vel redditus antiquæ esset miraculum nullo modo nec primario, nec secundario pertinens ad illud esse, quod acquisivit quantitas ex vi cōsecrationis: at verò conversio illius in materiam habet connexionem cum illo esse quod acquisivit, vt suppleret vicem materiæ quoad receptionem dispositionum, quia quod disponitur suscipit formam; & quia quantitas, vt pote accidens, nequit informari substantia, nec permanere incorrupta corruptis alijs accidentibus; ideo quasi connaturaliter exigit, quod Deus ex ea formet materiam modo aptiori, qui est per conversionem.

III Ad 3. dicimus, Div. Thomam ibi reliquisse sententiam asserentium, à Deo provideri materiā, vel per creationem, vel quocumque alio modo omnino inconnexo cum munere substantiali dato quantitati in vi consecrationis: constat ex voce *provideri*, qua vtitur Div. Thom. providentiæ propriæ est de medijs quorum nullum præcedit vestigium, sed de novo à providente eliguntur ad finem præ intentum; vnde conversio quan-

titatis iam dispositæ in materiam, non est quasi effectus novæ providentiæ, sed est quasi effectus providentiæ, quæ incepit in instanti consecrationis, in quo accepit quantitas munera substantiæ, & materiæ capacis dispositionum ad generationum novam, casu quo corrumperentur species: vnde eadem providentia qua quantitati data fuit capacitas ad recipiendas dispositiones ad novam generationem, datum est illi, vt fieret capax recipiendi formam genitam: Cum autem hoc modo fieri capacem repugnet illi manente in sua entitate, remanet vt fiat capax per sui conversionem, quæ non est novus modus providendi materiam, sed executio medij electi vi providentiæ consecrativæ.

112 Ad vltimum dicimus, quod sicut est frequens in Scriptura, & Patribus, rem quæ fit per conversionem alterius in ipsam appellari nomine rei conversæ. Dicitur enim Gen. 2. *hoc nunc os ex ossibus meis*: & Exod. 7. *devoravit virga Aaron virgas eorum*: idest serpens factus ex virga. Imò corpus Christi vocatur panis, Ioannis 6. *Panis quem ego dabo*. Ita materiam in qua conversa est quantitas appellavit Div. Thom. quantitatem in aliquibus testimonijs, quam in alijs vere in materiam converti expressit.

113 Obijc. 2. non repugnat quod per miraculum quantitas per se existat: ergo nec repugnat quod per miraculum sit primum subiectum formarum substantialium. Probat. conseq. Sicut essentia substantiæ non est per se existere, sed esse ens cui connaturaliter debetur per se existere; ita essentia materiæ non est esse primum subiectum, sed cui connaturaliter debetur esse primum subiectum: sed propter primum, per se existere non repugnat accidenti: ergo propter secundum, esse primum subiectum non repugnavit quantitati.

114 In primis instatur argumentum in ratione primi actus, quæ est essentia formæ substantialis, vt supra insinuavimus. Deinde negatur prima consequentia: ad prob. negatur antec. Tum quia in probabili sententia, quantitas repugnat per se existere positivè, sicut, & munus primi subiecti, quod est quid positivum proprium substantiæ: solum illi datur per miraculum per se existere negativè.

Tum quia dato quod per se existere positivè conveniat quantitati, si tenere paritas, ex illa sequeretur, esse pri

primum subiectum esse solum proprietatem materiæ ; sicut per se existere est tantum proprietas substantiæ , quod est contra D. Thom. loco supra citato num. 76.

Differentia igitur inter munus materiæ , & munus existendi per se, stat in eo quod in substantia possumus distinguere , & existere per se; & id cui est debitum existere per se, nempè quidditas, seu essentia: in materia vero non potest distingui , & esse primum subiectum, & id cui debeatur esse primum subiectum , hoc enim non est aliqua quidditas distincta à ratione primi subiecti: Imperceptibile est quid sit illud distinctum à ratione primi subiecti , cui hæc ratio sit debita, & non primus eius conceptus ; subindeque licet existere per se possit convenire accidenti ; non tamen esse primum subiectum formæ substantialis.

ARTIC. III.

Vtrùm generatio substantialis sit essentialiter mutatio?

115 Quidditatem generationis substantialis in communi explicatu agredimur , & licet productionem novæ formæ substantialis in subiecto substantiali præsupposito , generationem substantialem vocemus: Sunt tamen in tali productione plures formalitatis , de quibus merito dubitatur ; an sint de essentia generationis , & in qua essentia illius consistit. Est enim in generatione formalitas mutationis , conversionis, eductionis, vnitionis , productionis. Dicitur mutatio , quatenus in illa est transitus materiæ de non esse ad esse substantiale. Conversio vero, quatenus materia respicit formas, quarum vnam desserit, & aliam acquirit , & vnam quasi vertit in aliam. Eductio , quatenus est fieri formæ dependens à concursu materiæ. Est vnitio, secundumquod formam & materiam applicat, vt communicent in eadem vnitate compositi. Deindeque est productio respectu totius compositi, quod de novo ponit in esse, vel etiam respectu formæ de novo genitæ.

Quæ omnes formalitates fundantur in vna, & eadem actione, qualis est actio generativa quæ ab vnica virtute , & in ordine ad vnum terminum singularem tendit . Et quia inter omnes has formalitatis, expressior, & per quam magis innotescit generatio (cum communiter per illam diffiniatur) sit formalitas mutationis, ab ista exordium sumimus a 1

quidditatem generationis explicandam.

116 Si recolantur ea quæ diximus in 3. physicorum art. 1. constabit, mutationem contineri sub motu in communi ibidem diffinito, & distingui à motu strictè sumpto, per hoc quod mutatio versatur inter formam, & privationem, motus vero inter terminos positivos: quod mutatio est instantanea, motus vero dicit successionem, & latitudinem percurrendam. De mutatione, & non de motu est difficultas, de mutatione quidē, de cuius ratione est, vt ait D. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. *Quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius*: & consequenter, quod versetur inter duos terminos, quorum vnus sit privatio, alter vero forma positiva, & quod idem subiectum maneat sub vtroque termino: de hoc genere mutationis inquirimus, an sit de essentia generationis substantialis.

117 Certum enim est, generationem substantialem, quæ regulariter fit virtute agentis naturalis creati, esse mutationem, cum regulariter nihil substantialiter generetur, nisi in materia existente præviè sub alia forma, quam præviè disponit agens, vt novam formam introducat, expellendo antiquam: & sic regulariter habetur illud axioma philosophicum, quod *generatio vnius est corruptio alterius*: materia enim sub forma corrupta, est sub vera privatione novæ formæ, a qua privatione transit per generationem ad acquisitionem novæ formæ; & consequenter verè transmutatur. Inquirimus, an sic transmutari materiam, ita sit essentia generationis, quod repugnet vera generatio substantialis, sine tali transmutatione.

§. I.

Vnica Conclusio.

118 G*Eneratio substantialis non est essentialiter mutatio.* Oppositum huius tenent Bañez, Mag. à S. Thoma, Prado, Lerma, & alijs Recentiores ex nostris, & ex extraneis Conimb. & Rubio. Sed nostram conclusionem tenent Zanard. PP. Carmel. & extra Scholam D. Thomæ Fonseca, Hurtado, Arriaga, Alphonso, & communiter Recenciores.

Prob. 1. generatio substantialis essentialiter non involuit transmutationem materiæ primæ: ergo generatio substantialis non est essentialiter mutatio: prob. ant. generatio substantialis essentialiter non involuit materiam sub priva-

vatione formæ genitæ: ergo nō involuit tranſmutationem materiæ, conſequentia pat. nam vera mutatio petit eſſentialiter, quod mobile ſit ſucceſsivè ſub vtroque termino *à quo, & ad quem*, & terminus à quo mutationis generativæ eſt vera privatio formæ genitæ.

Antec. vero probat. formam ſubſtantialem introduci in materia præſuppoſita, eſt formam vere generari; ſed formam ſubſtantialem introduci in materia præſuppoſita, non involuit eſſentialiter materiam ſub privatione formæ: ergo. Prob. min. Formam ſubſtantialem introduci in materia præſuppoſita, non involuit eſſentialiter materiam prius tempore carentem forma quæ introducitur: ergo non involuit eſſentialiter materiam ſub privatione formæ: conſeq. pat. nam cum introductio formæ, & ipſa forma ſint in eodem inſtanti, in quo repugnat quod ſit vera privatio ipſius formæ; ſi privatio formæ ibi eſſentialiter importatur, debet eſſe pro priori temporis ad ipſam, introductionem formæ: & anteced. probat. materiam prius tempore carere forma quæ introducitur, non eſt de conceptu eſſentiali introductionis formæ, nec præſuppoſitionis materiæ: ergo introductio formæ ſubſtantialis in materia præſuppoſita non involvit eſſentialiter materiam prius tempore carentem forma: antecedens quoad primam partem videtur certum, quia introductio formæ novæ ex conceptu ſuo, ſolum dicit materiam non deficere dum ipſa introducitur, ſed materiam non deficere dum forma introducitur, non dicit eſſentialiter materiam prius tempore eſſe ſub carentia formæ, cum in ipſo inſtanti introductionis formæ poſsit provideri materia: ergo.

Quoad ſecundam partem etiam prob. præſuppoſitio materiæ ex conceptu ſuo ſolum dicit, materiam ſupponi pro priori ad formam, & illius introductionem: ſed hoc ſalvatur, ſine eo quod materia prius tempore careat forma: ergo. Prob. min. Materiam terminare actionem ſui productivam diſtinctam, & pro priori ad introductionem formæ, eſt materiam ſupponi proprio-ri ad formam, & illius introductionem; ſed non repugnat quod in eodem inſtanti reali pro aliquo priori, materia terminet ſui productionem diſtinctam ab introductione formæ: ergo. Min. latè eſt probata in 1. phyſicorum, dum formas Cœlorum potuiſſe edu-

el de potentia materiæ, defensavimus.

119 Confirm. 1. præsuppositio materiæ tantum requiritur ad generationem, quã tum sufficit ad finem primo, & per se intentum à generante; sed ad illum finem sufficit præsupponi materiam propriori naturæ: ergo ad generationem essentialiter non requiritur materia sub vera privatione formæ: mai. ex terminis videtur nota: & min. probat. Finis per se primo intentus à generante est introdũctio formæ in materia, vt ex illis resultet compositum genitum; sed vt forma introducatur in materia, sufficit quod materia sit in eodem instanti in quo est forma, cum prioritate solum naturæ ad ipsam, & illius introductionem: ergo.

120 Confirm. 2. quod non est de primaria intentione generantis vt talis, non est de primario conceptu constitutivo generationis vt talis; sed de primaria intentione generantis vt talis, solum est introducere formam in materia, vel formam ex materia educere; non vero quod materia prius sub privatione præcedat: ergo. Mai: patet, quia generans vt tale, à generatione vt tali habet consequi finem ab ipso primario intentum, & ad istum finem instituta est à natura generatio: Minor vero probat. Tum quia finis primario intentus à generante vt tali, est qui consequitur primario media generatione; sed generans media generatione, consequitur primario formam introductam, vel eductam ex materia: ergo. Tum quia quod excluditur (si forte adest) per terminum primario intentum à generante, non est de primaria intentione generantis; sed privatio (si adest in materia) excluditur per formam genitam, quæ est terminus primario intentus à generante: ergo.

121 Secundo probat. conclusio, quod materia prius tempore præcedat formam, est de conceptu essentiali mutationis illius ad talem formam; sed quod materia prius tempore præcedat formam genitam, non est de conceptu essentiali generationis vt sic: ergo generatio vt sic non est essentialiter mutatio: mai. constare videtur, tum quia mutatio quoad essentiam ad formam non est, sine transitu de privatione ad ipsã, & privatio in subiecto prius

tem-

tempore debet præcedere, cum nequeat coexistere formæ in eodem instanti.

Tum quia D. Thom. quod lib. 11. artic. 4. ait: *Omnis mutatio habet terminos, quos non contingit simul esse, vnde impossibile est, quod aliquis motus, vel mutatio sit in instanti, hoc modo quod idem instans ambos terminos complectatur.* Tum quia vt supra ex D. Thoma vidimus de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius; quod totum verificari nequit, si materia mutabilis de privatione ad formam prius tempore non præcedit sub privatione formæ.

Min. primi syllogismi probat. Tum quia formæ Cœlorum in prima sui productione potuerunt educi de potentia materiæ: eductio enim non est cur non sit vera generatio, licèt non omnis vera generatio sit eductio, vt generatio hominis; sed in generatione possibili Cœlorum, materia prius tempore non præcederet formam genitam: ergo. Tum quia generatio vermium, vel ignis ex speciebus Sacramentalibus est vera generatio; & tamen materia non præcedit prius tempore formam vermis, vel ignis, vt vidimus artic. præcedenti: ergo.

122 Dices 1. quod si mutatio instantanea summatur secundum suum præcisum conceptum, dicit aliter esse nunc, quam prius prioritate naturæ, dum modo in subiecto impediatur privatio, ne detur; vnde in illo reali instanti est privatio, non afficiendo materiam, sed in expelli ab illa per actionem extrinsecam agentis introducentis formam.

123 Contra est 1. licèt prioritas naturæ sufficiat, vt ea quæ coexistunt eidem instanti, vnum dependeat ab alio, non tamen sufficit, vt eadem res aliter realiter se habeat; sed vera mutatio essentialiter dicit rem aliter realiter se habere; ergo vt materia vere mutetur non sufficit quod solum prioritate naturæ præcedat formam: antec. quoad primam partem constat, quia prioritas naturæ est solum prioritas dependentiæ, quæ salvatur etiam si causa prius tempore non præcedat effectum; vt in causa materiali, & formali, immò, & in causa efficienti, vt in sole, & illuminatione, & in actibus Angeli in primo suæ cōditionis instanti. Quoad secundam prob. idem aliter realiter se habere, est idem realiter habere aliquid quod realiter non habebat; ergo est idem realiter habere aliquid quo realiter carebat, sed habe-

re aliquid, & eo carere realiter in eodem instanti, eidem subiecto repugnat: ergo non sufficit vnicum instans, vt pro diversis signis naturæ, eadem res aliter realiter se habeat.

124 Contra 2. in instanti reali in quo est materia sub forma, nec est privatio talis formæ, vt afficiens materiam, nec in expelli; sed sine privatione aliquo ex his modis non datur vera mutatio: ergo si materia prius tempore non præcedit formam, non vere mutatur: mai. pro prima parte constat, & pro secunda probat. Privatio quæ nec est, nec fuit in subiecto, nequit esse in expelli ab eodem subiecto; sed in materia prius tempore non præcedente formam, nec est, nec fuit privatio talis formæ: ergo in tali materia non est privatio in expelli.

125 Tertio, mutatio vel motus cum termino *à quo* qui nec est, nec fuit, sed potuit, vel debuit esse, est mutatio vel motus, qui nec est, nec fuit, sed qui potuit, vel debuit esse; sed in materia prius tempore non præcedente formam nec est, nec fuit vera privatio, quæ est terminus *à quo* mutationis (quidquid sit, an potuerit, vel debuerit esse:) ergo in materia solum prioritate naturæ præcedente formam non est, nec fuit mutatio ad formam: mai. constat, nam de essentia motus, vel mutationis (cum sit transitus de vno termino ad alium) est terminus *à quo*, qui necessariò de relinquitur.

126 Dices 2. quod in illis generationibus defficiisset privatio per accidens, vel quia materia non præcessisset sub alia forma, vel quia ratione miraculi deficit panis, cuius materia per se loquendo habebat esse subiectum alterationis præcedentis, & privationis formæ vermis.

Contra est: ergo transmutatio materiæ de privatione ad formam non requiritur essentialiter ad veram generationem. Probat. conseq. quod est de essentia alicuius rei, nec per accidens potest rei deficere; sed deficiente privatione, licet per accidens, deficit licet per accidens vera mutatio ergo si datur generatio cui per accidens deficiat privatio, datur generatio ad quam essentialiter non requiritur transmutatio de privatione ad formam.

127 Si dicas, quod ad veram mutationem sufficit exigentia privationis, quæ exigentia perseverat deficiente per accidens privatione. Contra est, ad veram mutationem non sufficit, quod mobile exi-

gat

gat transire de termino *à quo* ad terminum *ad quem*: ergo nec sufficit exigentia termini *à quo*; qui est privatio: anteced. constat, quia mutatio nihil est nisi transitus mobilis ab vno termino ad alium; *& quod quid est rei* non convenit rei in exigentia, specialiter in rebus quæ consistunt in exercitio; sicut essentia actionis non consistit in exigentia egressionis, nec essentia relationis in exigentia referendi subiectum ad terminum: mutatio enim, sicut & motus consistunt in exercitio: conseq. vero prob. repugnat transitus actu de vno termino ad alium, si actu deficiat terminus *à quo* derelictus, & terminus *ad quem* acquisitus: ergo ad transitum actualem, & non præcisè exactum, non sufficit terminus *à quo* exactus, sed requiritur actualis.

128 Denique dices, quod in generatione vermium ex speciebus Sacramentalibus, præcessit privatio actu, non in materia quæ non est vsque ad instans generationis, sed in quãtitate vicem gerente materiæ quoad munus subiecti dispositionum præcedentium; & consequenter ipsius privationis. Sed hæc solutio est sufficienter impugnata à nobis in 1. physicorum. Tum q. 2. artic. 2. à numero 43. Tum q. 4. art. 4 à numero 85. vbi redditur disparitas inter privationem, & dispositiones.

§. II.

Argumenta solvuntur.

129 OBijc. 1. Aristotel. & Div. Thom. perpetuò diffiniunt generationem substantialem, per mutationem tanquam per genus; sed genus essentialiter prædicatur de specie: ergo mutatio est de essentia generationis. Confirm. iuxta Philosophum, & D. Thomam. ad fieri entis naturalis concurrũt tria principia, materia, forma, & privatio, quia fieri entis naturalis est transmutatio; sed fieri entis naturalis est illius generatio: ergo.

130 Ad 1. resp. Philosoph. diffinisse generationem cuius notitiam assequutus est per principia naturalia præcisse, & quæ fit virtute agentis naturalis, & adhuc generatio hac virtute facta, licet per se petat transmutationem materiæ; per accidens, & ratione miraculi salvatur sine illa, vt generatio vermium ex speciebus Sacramentalibus, & licet Div. Thomæ notitia transcenderit principia præcisè naturalia, egit de generatione præcisse philosophicè, hoc est conformiter ad talia principia. Per

Per quod patet ad Confirm. assignant enim principia ad fieri connaturale entis naturalis, quod fit virtute agentis naturalis, iuxta exigentiam naturalium principiorum: hoc modo fieri, vel generari ens naturale, non datur sine transmutatione materiæ, ac subinde sine concursu triplicis principij.

131 Sed instan. 1. nam Div. Thom. q. 2. de potentia artic. 1. ad 15. absolute asserit, *quod generatio est species mutationis*; sed genus non præcisè connaturaliter, sed essentialiter convenit speciei: ergo generatio non præcisè connaturaliter, sed essentialiter est mutatio.

Secundo idem D. Thom. 1 part. quæst. 77. artic. 2. ait. *Generatio nihil aliud est quam mutatio de non esse ad esse*, sed id extra quod rei nihil est, non est rei præcisè connaturale, sed essentiale: ergo.

Tertio, incredibile videtur, quod in locis in quibus Philosoph. & D. Thom. ex professò de generatione pertractant, non explicent illius naturam per id quod est ei essentiale, sed præcisè connaturale; & quod nullibi generationem quoad essentiam expresserint; sed vbi ex professo agunt de generatione, illam per mutationem diffiniunt, & nullibi aliam diffinitionem assignant: ergo.

132 Ad 1. Resp. Div. Thom. absolutè non asserere generationem esse speciem mutationis, sed præcisè ex illa parte qua forma recipitur in materia aliqua capaci transmutationis, quod non solùm quod si forma per generationem recipiatur in aliqua materia, quæ non sit subiectum mutationis, illa generatio non sit species mutationis. Et quod hæc sit mens D. Thomæ, constat ex verbis, quæ nobis obijciuntur, & immediatè sequentibus: *Generatio est species mutationis, ex illa parte qua natura per generationem communicata, recipitur in aliqua materia, quæ est mutationis subiectum.*

Ad 2. dicimus, loqui D. Thomam de generatione, quæ est simul corruptio, vel cum corruptione coniuncta, vt cōstat ex solutione ad primum, quod sibi obijcit D. Thom. sumendo pro maiori propositionem, non prout nobis obijcitur, sed prout à nobis explicatur, quam explicationem admittit in solutione ad primum convenire propositioni, quæ habetur in corpore articuli, & in præsenti replica: generatio enim corruptioni opposita; & illi coniuncta non est sine vera mutatione.

Ad

Ad 3. dicimus quod Philosop. & D. Thom. ex professo de generatione tractant iuxta exigentiam principiorum naturalium, quia hoc prçcisè conducit ad intentum Philosophi naturalis, ex quibus principijs adiunctis alijs, quæ altiori lumine cognoscuntur, habetur perfecta notitia generationis quoad suam essentiam: cum enim videamus quod per accidens aut per miraculum, salvatur vera generatio, sine aliquo prædicato eis debito connaturaliter, rectè inferimus tale prædicatum non esse essentiale absolutè, & ex terminis, sed solum connaturale. Nec est verum Philosoph. nullibi diffinisse generationem nisi per mutationem, cum in 2. Physic. text. 14. illam diffiniat dicendo: *Generationem esse viam ad naturam*, nulla facta mentione mutationis.

133 Sed instas 1. non stat generationem esse viam ad naturam, quin sit mutatio: ergo iuxta hanc vltimam diffinitionem generatio est mutatio: prob. antec. non stat via sine terminò *à quo* qui deseritur, & termino *ad quem* qui adquiritur; ergo idem est generationem esse viam ad aliquem terminum, ac esse transitum, aut mutationem de vno termino ad alium.

Instas 2. generatio est via ad formam: ergo alicuius est via: non formæ, quia hæc est terminus viæ; ergo materiæ quæ tendi: media generatione ad formam: ergo materia propriori ad formam, & in ipso fieri formæ, est in statu viali: quare male negavimus statum vialem materiæ propriori ad formam, & essentiæ propriori ad existentiam.

134 Ad 1. neg. antec. ad prob. dicimus, quod via strictè sumitur pro spatio pertransibili per motum, iuxta illud: *ostende mihi viam, per quam ambulem*: & minùs strictè sumitur etiam pro ipso motu; ac denique latè pro quolibet medio intercedente inter principium, & terminum. In prima & secunda acceptione, non datur via sine termino *a quo*, & *adquem*: at verò in tertia acceptione, sicut salvatur sine motu, ita salvatur sine mobili quod transeat de vno termino ad alium, sed solum salvatur in transitu ab agente in passum, & in fieri ipsius termini, in quo sensu omnis productio vel actio creativa, aut immanens potest dici via ad esse, vel ad terminum, quin sit mutatio, nec motus: vnde generatio dicitur via, non tanquam spatium, aut motus alicuius mobilis, sed præcisè tanquam medium, quo generans con-

consequitur suum terminum.

Ad 2. iuxta dicta dicimus, quod sumpta via pro medio, seu tendentia ad aliquem terminum, generatio propriè loquendo non est via materiæ, nec formæ, sed generantis, cum media illa tendat ad terminum, & quamvis etiam materia per generationem tendat ad formam, & in hoc sensu materia sub generatione, sit sub via ad formam; non propter hoc admittimus statum vialem in materia, & in essentia, quem impugnavimus in 1. Physicor. quia ille status non consistebat in eo, quod materia subijciatur generationi, quæ est via, & fieri formæ, sed quod propriori ad formam, media generatione habeat aliquod esse, vel actualitatem realem non provenietem à forma, qua discernatur a nihilo, & fiat capax ad recipiendam formam, & sit incompletè extra causas, quod nos reijcimus: vnde materia sub generatione est sub via ad omne esse, non tamen habet esse viale, vel est sub via quasi activè, non tamen passivè, & intrinsicè habet esse viale non proveniens à forma, & existentia formæ.

135 Obijcies 2. generatio essentialiter versatur inter duos terminos *à quo*, & *ad quem* in aliquo subiecto; sed tendentia de termino *à quo* in terminum *ad quem* in aliquo subiecto, essentialiter est mutatio: ergo generatio est essentialiter mutatio: min. constat, nam in illa tendentia vnus terminus acquiritur à subiecto, & alius deseritur; & cōsequenter subiectum mutatur de vno in alium: mai. vero prob. generatio essentialiter est tendentia ad formam, vt ad terminum *ad quem*, à quo specificatur: ergo essentialiter respicit terminum *à quo*; ac subinde essentialiter versatur inter terminum *à quo*, & *ad quem*: prima conseq. prob. impossibile est, quod aliquis terminus *ad quem* fiat de novo, nisi ex aliquo termino *à quo* negativo, positivo, avt privativo; sed in generatione terminus *à quo* nequit esse pure negativus, cum præsupponatur subiectum, & non sit fieri ex nihilo; nec etiam est positivus nisi solum per accidens, quatenus generatio est conversio: ergo terminus *à quo* generationis necessario est privativus.

Conf. 1. generatio essentialiter est transitus materiæ primæ de non esse formæ ad esse illius; sed omnis transitus à quodam inquidam subiecto manente est mutatio: ergo. Conf. 2. si creatio admitteret subiectum manens sub vtroque termino, nihil illi deficeret ad rationem muta-

ta-

tationis ſed generatio eſſentialiter habet materiam manentem ſub termino *à quo*, & *ad quem*, alio qnim non differet à creatione: ergo.

Conf. 3. ſic comparatur generatio ſimpliciter ad materiam primam; ſicut generatio ſecundumquid ad totum compoſitum; ſed generatio ſecundumquid eſt tranſmutatio accidentalis compoſiti: ergo generatio ſubſtantialis eſt tranſmutatio ſubſtantialis materiæ.

136 Neg. maiorem verſari inter terminum *à quo*, & *ad quem* in aliquo ſubiecto, eſt ſubiectum eſſe commune vtrique termino, quod non convenit generationi educenti formam ex materia prius tempore non præcedente, in qua ſit carentia formæ quæ eſt terminus *à quo*: Ad prob. mai. diſting. antec. eſt tendentia ad formam, vt ad terminum *ad quem* motus, ſeu mutationis, neg. antec. productionis, conced. antec. habere terminum *ad quem* eſt commune omni rei conſiſtenti in tendentia ad aliquem terminum: vnde creatio, & aliæ plures actiones ſunt tendentiæ ad aliquem terminum *ad quem*, à quo ſpecificantur; & non ſunt motus, nec mutationes; ac ſubinde nec exigunt terminum *à quo*, niſi ad ſummum vt principium egreſſionis; at verò terminus *ad quem* motus ſeu mutationis eſſentialiter dicit terminum *à quo* tranſitus ipſius mobilis; vnde ſi repugnet quod mobile ſit ſub termino *à quo*, repugnat tranſitus de illo ad alium, & conſequenter motus.

Per quod patet ad 1. conf. neg. mai. cum dentur generationes in quibus materia non habet eſſe niſi ſub forma genita; & ſic non tranſit de non eſſe formæ ad eſſe illius.

Si dicas, quod in his generationibus materia pro aliquo priori naturæ præcedit formam; ſed pro illo priori non habet formam: ergo pro illo priori habet carentiam formæ: ergo, & privationem, quia carentia formæ in ſubiecto capaci habendi illam, privatio eſt.

137 Reſp. iuxta dicta à nobis 1. phyſic. quæſt. 2. à numero 41. quod illa prioritas naturæ materiæ ad formam, eſt ſtatus in quo ſolum conſiderantur ea quæ ex parte materiæ prærequiruntur, vt in illo inſtanti recipiat formam, & præſcinditur ab his, quæ ex parte materiæ non requiruntur; cum autem nec forma, nec carentia formæ prærequiruntur ex parte materiæ, vt recipiat formam, ſit vt pro illo priori nec materia habet for-

mam,

mam, nec habet carentiam formæ, sed ab vtroque præscinditur. Videantur ibi dicta. Et insuper probat replica creationem rerum materialium cœlorum. V. g. fuisse mutationem, cum propriori causalitatis ad formam Cœli, materia præcedat formam, & fiet idem argumentum.

Ad 2. Confirm. concessa mai. neg. min. nec enim differt generatio à creatione præcisè per hoc, quod generatio habeat materiam manentem sub vtroque termino, sed etiam per hoc quod sit productio ex subiecto præsupposito, quod salvatur etiam si materia prius tempore non præcedat sub termino à *quo*; ac subinde, quin sit sub vtroque termino, vt in generatione posſibili Cœlorum, & vermium ex speciebus.

Ad vltimum confirm. admissa mai. neg. min. loquendo de generatione, secũdum quid quoad suam essentiam, cum sit probabilissima sententia, gratiam habitualem educi ex potentia obedientiali Angeli, quin substantia Angeli prius tempore præcederet sub carentia gratiæ, cum esset Deus, illius condens naturam, & largiens gratiam: & sic potest dari generatio secundum quid sine mutatione.

136 Denique obijc. non stat vera eductio formæ ex materia sine vera mutatione materiæ; ergo nec vera generatio: probat. antec. non stat vera eductio, quin per illam materia reducatur de potentia ad actum formæ; sed reduci de potentia ad actum est mutari: ergo. Confirm. non stat eductio quin forma quæ erat in potentia materiæ fiat in actu dependenter à materia; sed aliquid fieri actu quod erat in potentia, non stat sine mutatione, hoc est sine transitu de potentia ad actum: ergo.

139 Neg. antec. ad probat. preterquamquod per actionem creativam Cœlorum, illorum materia fuit reducta de potentia ad actum formæ, quin talis actio fuerit mutatio; disting. mai. sumpta reductione de potentia ad actum pro constitutione potentiæ sub actu formæ, concedo mai. sumpta reductione pro transitu potentiæ ad actum formę: neg. mai. & disting. min. eodem modo: & nego consequent. Reducere proprie loquendo est *Iterum ducere*, vel *rem ducere*. *Ducere* proprie dicit motum, & transitum rei, quæ ducitur de vno termino ad alium: vnde propriè loquendo illa potentia reducitur de potentia ad actum, quæ pro aliquo priori exis-

existens sub carentia actus, ducitur à tali carentia, vt à termino *à quo* ad ipsum actum vt ad terminum *ad quem*, quod quidem sine vera mutatione non est: Large tamen omnis potentia quæ sub proprio actu constituitur, dicitur ad actum reduci, non per hoc quod per motum ducatur à carentia reali actus ad ipsum actum, sed per hoc quod actui subijciatur, & sub illo constituatur, quod salvari potest, per hoc quod potentia fiat, & non sine actu, ad quem est in potentia: vt patet in creatione Cœlorum, & in illorum possibili eductione.

Per quod patet ad Conf. disting. mai. quæ erat in potentia materiæ, prius tempore, neg. mai. quæ erat proprio-ri naturæ, conc. mai. & disting. min. eodem modo, & neg. conseq. recolantur, quæ diximus in 1. Physic. asserentes formas Cœlorum potuisse educi; vbi plura argumenta, quæ contra præsentem difficultatem possunt obijci, solvuntur.

§. III.

Qualiter generatio substantialis sit eductio, & conversio, & distinguantur à creatione?

140 AD plenam notitiam generationis substantialis, aliqua dubia opportet resolvere, & quia ea quæ continentur in titulo non magni momenti reputamus, breviter in hoc articulo ab eis nos expediemus.

141 *Dubitabis 1. an formarum materialium eductio de potentia materiæ sit generatio substantialis?* Sunt qui arbitrentur, eductionem formarum, non esse generationem, quia distincta actione producitur forma quæ educitur, ab illa, qua producitur vnio illius ad materiam; & solum actio productiva vnionis dicitur totius generatio, ita tenet Durand. Hurtado, Alfonso referens pro se plures Recentiores.

142 Nos dicimus, *quod in naturalibus generationibus formæ materiales educuntur de potentia materiæ eadem actione, qua generatur totum; vnde non interveniunt duæ actiones substantiales, quarum vna paoducatur forma, & alia producatur vnio, & consequenter eductio est generatio.* Ita tenent communiter nostri, & ex extraneis Suarez, Rubio, & alijs.

143 Prob. ex Philosoph. & D. Thoma lib. 7. metaph. lec. 7. & alibi sæpè docentibus, quod forma non fit, sed compositum, proprie loquendo: ergo actio quæ terminatur ad formam, non est distincta ab ea, quæ terminatur

tur ad vnionem partium, ex quibus resultat compositum. Deinde D. Thom. in compendio Theologiæ cap. 93. ait. *Eius est fieri cuius est esse, ad hoc enim aliquid fit vt sit.* Ex quo formatur hic discursus, generatio substantialis est via ad esse substantiale, sed forma substantialis, & eius vnio habent tantum vnicum esse substantiale: ergo generatio prout terminatur ad formam, & vnionem est vnica actio: prob. min. ex forma, & vnione tantum resultat vnicum compositum substantiale; sed in vno composito tantum est vnum esse substantiale: ergo.

144 Secundo prob. si formæ naturales terminarent per se actionem distinctam partialem, ab illa qua fit compositum, essent per se subsistentes, sicut est anima rationalis; sed hoc est falsum (alias tales formæ haberent aliquas operationes independentes à corpore, vt ait D. Thom, 1. p. q. 75. artic. 3.) ergo formæ naturales (saltim ex natura rei) non terminant actionem distinctam ab ea, qua fit totum; prob. mai. quia quod per se terminat actionem sui factivam, fit per se: sed quod fit perse, per se est, & subsistit: ergo. Tum quia eisdem rationibus subsistentiam animæ rationalis deprehendimus.

145 Oppones 1. vnio supponit vnivilia: ergo forma prius ordine naturæ est aliquid in se quam vniatur materiæ; sed forma est aliquid in se ratione actionis per se ad illam terminatæ: ergo. Disting. antec. vnio eorum quæ per se possunt subsistere, conc. antec. vnio eorum, quæ non sunt nisi vt vnita, nego antec. & consequentiam, in formis non per se subsistentibus. Vnde formæ quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia, quam entia, & idcirco ad generationem totius generantur; ac subinde eadem actione qua fit totum fiunt, sicut sunt eodem esse quo est totum.

146 Oppones 2. vnio est complementum formæ substantialis: ergo supponit formam alia actione productam. Negatur consequent. existentia est complementum essentiæ, & subsistentia naturæ, quin existentia, terminet actionem distinctam, ab ea qua producitur essentia, nec subsistentia terminet actionem distinctam, ab ea qua producitur natura individua.

147 Oppones 3. Licet forma materialis produci non posit ex natura rei, quin in eodem instanti producatur vnio; producuntur nihilominus per diversas actiones: ergo. Probat. antec. Tum quia i-

ficet vltima dispositio nequeat produci, nisi in eodem instanti, in quo forma producitur; tamen vltima dispositio, & forma producuntur per distinctam actionem: ergo pariter. Tum quia in generatione possibili Cœlorum, illorum materia, & forma producuntur in eodem instanti; sed non per eãdem actionem: ergo.

Respond. quod nos non probamus identitatem actionis eductivæ, & vnitivæ, ex eo præcisse quod producantur in eodem instanti, quia hoc patitur mille instantias, & præter aductas in argumento: In eodem instanti creatur anima à Deo, & vnitur corpori ab homine. Probamus namque identitatem eductionis, & vnionis, ex esse ad quod terminantur, quod est vnicum, nempè esse compositi: esse autem vltimæ dispositionis, est distinctum ab esse compositi, cum sit esse accidentale; compositi verò substantiale: materia etiam debet terminare actionem distinctam ab actione terminata ad formam, dum forma generatur, quia generatio non est nisi ex præsupposito subiecto: præterquamquod illa generatio esset non connaturalis, & nos loquimur de naturali generatione.

147 Denique oppones: Probando generationem consistere in productione vnionis. Si detur in rerum natura materia, & forma, & non detur vnio; non datur generatio; & data vnione datur generatio: ergo generatio est productio non materiæ, nec formæ; sed vnionis. Confirm. quamvis materia, & forma hominis creentur, quia homo producit vnione millarum, dicitur hominem verè alium hominem generare: ergo generatio non est eductio, sed solum vnionis productio.

Respond. quod causa quo forma materialis præexisteret, & non fieret per eductionem ipsius ex potentialitate materiæ, non esset generatio naturalis de qua loquimur, sed actio alterius speciei, & ideo resurectio non est generatio, sed divina quædam operatio quæ potest dici regeneratio.

Ad Confirm. dicimus, quod in præsenti loquimur de generatione ab agente producente non solum vnionem, sed etiam formam, illam educendo ex potentia materiæ; & dicimus eadem actione produci formam, & vnire subiecto, & quatenus est productio formæ in materia, est proprissimè generatio, quia sivè hæc sit mutatio, sivè productio; terminus illius formalis est forma, vt infra dicemus; vbi etiam

tiam explicabimus, qualiter in generatione hominis terminus illius formalis sit forma, & non vnio.

Dubitabis 2. qualiter generatio substantialis sit conversio? Pro quo nota 1. quod conversio ex termini dicit *transitum vnius rei in aliam.* Hinc habetur, conversionem versari inter terminus positivos, cum hac tamen differentia à motu stricto, & mutatione; quod licet motus strictus versetur inter terminos positivus, propriè non est transitus vnius termini in alium, sed potius transitus rei ab vno termino in alium, & hoc modo etiam mutatio versatu inter duos terminos, quorum alter sit privatio, hinc ad motum, aut mutationem requiritur propriè loquendo mobile, vel subiectum commune, quod transeat ab vno termino in alium: conversio vero propriè est transitus vnius termini in alium, & licet posit dari aliquid commune vtrique termino sivè per modum subiecti, vt patet in generatione sub formalitate conversionis, quæ est transitus vnius formæ in aliam in materia, sivè per modum accidentis, vt in conversione Eucharistiæ, hoc quidem commune non exigitur per se ex conceptu conversionis.

149 Nota 2, quod ad conversionem, vltra terminos positivos inter quos versatur requiritur 1. ex parte termini *à quo*, quod iste desinat esse, quia si manet, non vertitur in alium: & quod desinat esse non absolutè per anihilationem, sed in alium terminum in quem convertitur. Requiritur 2. ex parte termini *ad quem* aliqua novitas, vel inceptio, licet non quoad esse, saltem quoad munus, vel modum essendi, ratione cuius terminus ad quem dicat aliquem respectum, vel connexionem cum termino *à quo*, & verificetur quod iste transit in alium.

150 Nota 3. quod conversio, alia est substantialis, alia accidentalis: substantialis est transitus vnius substantiæ in aliam: accidentalis est vnius accidentis in aliud. Rursus conversio, alia est formalis, alia totalis, formalis est quando manente subiecto formatum, fit transitus de vna in aliam, vt cum album fit nigrum, est conversio formalis accidentalis, & cum aer fit ignis, est conversio formalis substantialis. Totalis est quando totum vnum ens transit in aliud.

Conversio totalis, & formalis differunt in eo, quod totalis nequit fieri ab agente naturali, bene tamen conversio for-

formalis; primum patet. Tùm quia cum in totali, omne id quod est entitatis in vno termino transeat in omne id quod est entitatis in alio, solum potest fieri virtute illius qui habet activitatem in totum ens, qualis est solus Deus, vt ait D. Thom, 3.p. quæst. 75. artic. 4. ad 5. Tùm quia vt ibidem ait D. Thom. incorpore artic. nullum agens creatum potest agere nisi ad immutationem formæ, eo quod materia fit solum per creationem, & sicut virtute agentis creati ex nihilo nihil fit; ita materia in aliud nequit converti illius virtute.

Secundum etiam constat, in generatione regulari, quę est transitus vnius formæ in aliam. Sed est advertendum, quod hæc conversio formalis virtuté agentis naturalis non consistit in eo, quod vna forma fiat alia per conversionem entitatis vnius in entitatem alterius, quia vt ait Div. Thom. loco immediate citato, virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari; sed consistit in eo, quod vna forma succedat alteri in subiecto. Vnde solum verificatur de formis in concreto; nempè, quod aer convertitur in ignem, & album in nigrum, non vero quod albedo fiat negredo, aut in illam convertatur.

151 His suppositis nostra resolutio est: *Quod generatio substantialis est conversio formalis, non per se, sed per accidens.* Prima pars patet, in generatione connaturaliter facta vi agentis naturalis, in qua præsupponitur materia prius tempore sub alia forma, quia sine forma nequit pro aliqua duratione existere: alias forma per generationem inducta nequit simul existere cum præexistente, (quæ principia apud nos sunt stabilita in libris Physicorum) ergo in generatione connaturali transit materia de vna forma in aliam sicut aer transit in ignem, per hoc solum quod forma aeris desinat, non in nihil, sed in formam ignis, manente materia sub vtraque forma, in quo conversio formalis consistit.

Secunda pars etiam constat; nam ly *per se*, vel sumitur connaturaliter, vel essentialiter: si essentialiter constat ex dictis in hoc articulo, non esse de essentia generationis, quod materia prius tempore præcedat formam genitam: ergo nec quod materia sit sub alia forma; si connaturaliter, solum per se petit esse murationem de non esse ad esse: ergo ex parte termini à quo solum petit privationem, non vero formam positivam.

152 Si dicas, non stat vera privatio formæ in materia, quin materia prius tempore sit sub alia forma: ergo si generatio connaturalis per se petit esse transitum de privatione ad formam in materia, etiam per se petit esse transitum de vna forma in aliam; ac subinde saltem generatio connaturalis erit per se conversio.

Hoc argumentum solvimus in 1. Physicor. q. 2. à num. 62. & ex dictis ibi neg. conseq. Quia forma præcedens solum requiritur in materia, vt fiat satis exigentiæ materiæ non potentis existere sine forma; non vero vt fiat satis exigentiæ generationis, vt fit virtute agentis naturalis, qui solum præexequirit materiam privatam forma, vt illam ad receptionem formæ possit disponere; vt autem materia disponatur ad huius formæ receptionem, non conducit aut iuvat, sed resistit forma præcedens; non tamen resistit, sed potius iuvat, quod materia prius tempore careat forma. Videantur quæ ibi diximus.

153 Ex quibus omnibus habetur, qualiter eidem actioni generativæ conveniant formalitates generationis, mutationis, eductionis, & conversionis. Est generatio, prout est via ad esse substantiale, aut productio formæ substantialis in subiecto, & hoc est essentiale generationi in communi. Est mutatio, prout est productio formæ in subiecto vere illa privato, & hoc per se convenit omni generationi ab agente naturali facta, iuxta exigentiā principiorum naturalium. Est eductio, prout est productio formæ dependentis à concursu materiæ, non solum quoad sui receptionem, sed etiam quoad sui productionem, & hoc convenit per se omni generationi cō naturali formarum materialiū. Denique est conversio, prout est productio formæ, in quam transit alia quæ erat in subiecto, vel quæ succedit alteri in eodem subiecto, & hoc per accidens convenit generationi.

154 *Dubitas 5. qualiter generatio differat à creatione?* vt magis appareat quidditas generationis, opportet differentiam illius ab alijs actionibus, quæ generatio non sunt, explicare, inter quas est actio creativa. Nihil communius, quam quod creatio est productio entis *ex nihilo.* Generatio vero *ex aliquo præsupposito subiecto.* Sed vt hæc differentia, & aliæ quæ inter has actiones intercedunt magis pateant.

Adverte, quod creatio, alia est completa, & adequata, quæ simpliciter creatio dicitur

tur; alia incompleta, & inadæquata, quæ dicitur concreatio, qualis est productio materiæ primæ, aut productio formæ materialis quando fit per creationem: vnde creatio alicuius totius constantis ex partibus, licèt sit vna indibisibilis actio attingens ipsum totum, & partes, non tamen æquæ denominantur omnia creari; totum enim creatur vt subsistens, & habens esse vt *quod*; partes vero creantur, vt principia constituentia illud totum, & habentia esse solum vt *quo* hinc nascitur illa distinctio creationis cõpletæ, & incõpletę, & prima dicitur absolute creatio, secunda vero concreatio; quæ doctrina est D. Thomæ 1. p. q. 44. artic. 2. & q. 45. artic. 4. & alijs in locis.

155 Hoc supposito dicimus: *Quod generatio differt à creatione, tum ex parte modi producendi, tum ex parte termini formalis producti, licèt in termino totali materialiter sumpto, possint convenire.* In modo producendi, differunt generatio, & creatio ex parte vtriusque termini *à quo, & ad quem.* Ex parte termino *à quo* differunt, quia creatio est ex nullo subiecto, & sic habet pro termino *à quo* puram negationem aut nihil: generatio vero subiectum supponit carens forma, & sic habet pro termino à *quo* privationem. Differunt etiam in modo producendi ex parte termini *ad quem*, quia generatio facit totum vniendo partes, non producendo illas vt in generatione hominis, vel saltim non producendo aliquam scilicèt materiam, vt in alijs generationibus: Creatio vero facit ipsum totum simpliciter producendo omnia, quæ in eo sunt, quare in principio dum Deus creavit materiam omnium rerum, creavit etiam illarum formas (quidquid sit, an de possibili aliter accidisset.

In termino formali differunt generatio, & creatio, quia generatio, vt infra videbimus, solum habet pro termino formali formam dantẽ speciem composito, sivè vt eductam, sivè vt materiæ communicatam: Creatio vero habet pro termino formali totum compositum; prout includit materiam, & formam: vnde in creatione coincidunt terminus formalis, & totalis, & id quod est totale in generatione; est formale in creatione; & horum ratio est, quia cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniversali; propria ratio obiecti creationis est ens, & ex hoc dicitur aliquid creatum, quia ens participatum; & sic terminus formalis creationis est tota ratio entis, quæ est in composito: vnde terminus for-

malis creationis, est tota ratio entis, quæ est incomposito; generatio vero solum attingit talem rationem entis, illam scilicèt, quæ constituit in tali specie entis, & hæc est forma. Denique generatio, & creatio possunt convenire in termino totalia materiali, quia idē homo esset factus per generationem, & creationem.

ARTIC. VI.

Quænam sit generatio viventium?

156 Licèt in hac parte philosophiæ destinata ad generationem in cōmuni, non sit ita proprium agere de particulari generatione viventium; aliqualem illius notitiam tradere nos cogit: tùm vsus communis reliquorum Philosophorum præcipue Recentiorum; tùm quia non omnes partes philosophiæ naturalis iuxta illarum naturalem seriem, & ordinem traduntur discipulis in scholis, & sic aliquæ res, quarum notitia illis necessaria est licèt non in proprio, incongruentiori loco disputantur, ne illarum notitia priventur, sic contingit in præsenti. Cavare cōnabimur à principijs pure philosophicis recedere, remittentes lectorem in pluribus, quæ hic à Recentioribus inferuntur, ad Theologiam vbi, de generatione Verbi Divini disputatur.

§. I.

Explicatur diffinitio generationis viventium.

157 Generationem viventium definit Div. Thom. 1. part, quæst. 27. artic. 2. dicendo: *Quod est origo viventis à principio vivente coniuncto in similitudinem naturæ*: quæ definitio est communiter recepta ab omnibus Theologis, & Philosophis per esse originem convenit generatio viventium cum alijs generationibus, nam licèt vt notabimus in præmio, proprietas vocis *originis*, *vel ortus* conveniat solum generationi viventium, iam communiter pro eodem vsurpatur origo ac generatio: Difficultas est in alijs duabus particulis, quæ se habēt per modum differentiæ.

158 Prima est *à principio vivente coniuncto* per quam differt à Generatione non viventium iuxta Arist. 5. Metheor. text. 5. vbi ostendit quod inanimata, quæ generantur non sunt coniuncta principio generanti, bene tamen animata. Pro quo nota primo, quod in non viventibus nec res genita, nec materia ex qua generatur requiritur quod sint intra principium ge-

generans; nec ipsi coniuncta vt cum generatur ignis in ligno, lignum non est intra ignem coniunctum, & vnitum; sed præcisè iuxta positum, & extrinsece applicatum; & tunc patet quomodo ignis genitus sit separatus ab igne generante: in viventibus verò secundum maiorem vel minorem perfectionem gradus vitæ reperitur maior vel minor coniunctio geniti cum generante consistens in eo quod viventia intra se formant id quod generant, & ex sua substantia præbent materiam ex qua generatur.

159 Pro quo 2. nota ex Divo.Thom.4.cont.gent.cap. 11. & in 3. dist. 8.quæst. 1.art. 1. diversos gradus vitæ iuxta quos diversam, & intimiorem coniunctionem geniti cum generante deprehendes. In plantis igitur, in quibus est infimus gradus vitæ, est infima coniunctio in processu vnius ab altera, qui partim est ab interiori partim ab exteriori. Ab interiori quidem quatenus humor intraneus plantæ in semen convertitur: ab exteriori vero in quantum illud semen oportet ab arbore se iungi, & terræ mandari vt crescat in plantam.

160 In animalibus verò perfectis quæ perfectiori vita gaudent, & ideò perfectiori generationi adest perfectior coniunctio quia processio vnius ab alio est omninò ab interiori principio vivente quantum ad materiam ex qua formatur, & quantum ad virtutem seminis formativam quæ à generante deciditur. Vltra hoc tàm in plantis, quàm in animalibus adest alia coniunctio quatenus ipse fœtus in principio colligatur generanti vt fructus arbori, & embrio matrici vsque ad animalis nativitatem in qua tandem à generante separatur.

161 In vita autem sensitiva quæ perfectior est præcedentibus, est perfectior coniunctio quatenus per ipsas potentias sensitivas producitur sensitiva cognitio, quæ intima est suo principio, cùm fiat per actionem immanentem, sed adhuc non est omninò intima, & principio coniuncta, quia perit comprincipium ad extra, speciem scilicèt impressam, & terminus productus, & quasi fætus idolum scilicèt aut species desideratur à potentia generante in alijs potentijs vt à sensu externo in sensum communem, & à sensu communi in phantasiam, & ab ista in memoriam.

162 Omnibus ijs intimior est coniunctio reperta in vita intellectiva, quia licèt in homine requirat species impressas provenientes ab extrin-

seco principio, species tamen expressa, aut verbum quod est quasi fętus formatus ab intellectu medijs speciebus non transit ad alias potentias, sed manet in ipso intellectu ipsi quo colligatus.

163 Sed adhuc in vita intelectiva Angelica, quæ altior est, est intimior coniunctio Angeli enim cum careant sensibus non accipiunt species ab extra, sed vel intra intellectum nascuntur, vel infunduntur à Deo, & ipsa expressa seu verbum manet intra intellectum, hoc autem verbum cum non sit substantia, sed accidens non producitur per secta generatione.

164 Restat quod in perfectissimo omnium viventium, qui est Deus, sit perfectissima per intellectum generatio, in qua, & id quod procedit est substantia, & ita coniunctũ suo principio, vt sit idem, & consubstantiale cum illo: Hac igitur mira & Angelica doctrina (& quid mirum si tota est Div. Thomæ) radicitus explicatum manet qualiter generatio viventium sit à principio coniuncto.

165 Secunda particula differentialis, scilicet: *in similitudinem naturæ*, quæ particula declarat, tum causam finalem, tum causam formalem specificativam generationis. Causam quidem finalem, quia finis generationis est propagatio naturæ generantis in individuo sibi simili, & eiusdem naturæ, & ratio est quia inclinatio generantis, & generationis vt talis, est eidem cum inclinatione naturæ generantis, secundum quod est principium generationis, sed natura generantis, vt est principium generationis inclinat ad sui propagationem vt perpetuetur quantum fieri potest licet non in eodem individuo saltim in diversis eiusdem speciei, & similibus in eadem natura: ergo.

166 Designat etiam causam formalem, & specificativam generationis, quia generatio specificatur à forma geniti, vt similli, & expressa à generante taliter vt actio generativa ex sua specifica ratione sit assimilativa; ita vt non sufficiat ad generationem, quod genitum sit simile generanti in se essentialiter, sed requiritur quod procedat ab eo per viam assimilationis, & sic hæc propositio: *Generans assimilat* debet esse ita formalis in quarto modo dicendi per se; sicut istæ: *ædificator ædificat, calidum calefacit*: quia tota formalitas generationis consistit in propagatione naturæ cum expressione similitudinis, ita vt nihil aliud sit generare, quam similitudinem sui propagativam expri-

me

mere. Sed pro maiori explicatione prædictæ diffinitionis sit.

§. II.

Solvuntur argumenta.

167 Obijcies 1. animalia producta ex putrefactione terræ sunt genita generatione viventium; & tamen non sunt à principio vivente: ergo hæc particula non convenit omni contento sub diffinito. Si dicas, quod Cœli, & Sol, quorum virtute illa animalia generantur, accipiunt virtutem generativam ab intelligentia motrice, quæ vivens est. Contra est nam hoc dato non salvatur, quod sint à principio vivente coniuncto.

168 Huic argumento respondet Div. Thom. in 3. dist. 8. q. 1. artic. 1. ad 7. quod talia animalia procedunt à principio vivente quasi eminenter, quatenus virtus solis, & aliorum cœlestium supplet vicem virtutis formativæ, quæ est in semine à vivente deciso: quæ virtus corporum cœlestium est diffusa per omnia corpora inferiora; propter quod Aristot. lib. 17. de generatione animalium cap. 10. ait, quod omnia plena sunt virtutibus animæ; & ideò sicut animalia, quæ generantur ex semine se habent ad feminam, ita prædicta animali se habent ad terram, & sicut illa se habent ad Patrem, ita ista se habent ad corpora cœlestia. Ex quo infertur, quod sicut sufficit vt generatio vnius plantæ ab alia sit à principio vivente coniuncto, quod virtus seminis fuerit à principio coniuncta ipsi plantæ viventi, & generanti aqua fuit decissa; ita ad salvandam hanc generationem animalium imperfectorum, sufficiet salvare coniunctionem cum virtute intelligentiæ viventis, quæ illi coniucta est.

169 Sed dices adhuc, licet à prædicta generatione salvatur cum doctrina data quod sit processio à vivente coniuncto, minimè tamen salvatur, quod sit in similitudinem naturæ, hæc enim animalia nec conveniunt in genere proximo cum Angelo, nec ex vi suæ processionis petunt cum Angelo illa causante assimilari: ergo.

Propter quod plures ex nostris asserunt prædictam diffinitionem tantum dari ad explicandam naturam generationis provenientis à causa particulari, & vnivoca; non aquacumque causa vniversali, & æquivoca, qualis est generatio animalium imperfectorum, & aliorum viventium præternaturaliter productorum.

170 Obijcies 2. similitudo naturæ sufficiens ad generationem viventium vel est similitudo generica, & hoc non potest esse, aliàs capilli, & vermes ex homine geniti, essent hominis filij, quod est falsum; vel est similitudo specifica, & nec hoc potest esse, alias mulus genitus ex equo, & Asina neutrius esset filius, cum ab vtroque differat specie: ergo.

171 Resp. quod similitudo naturæ exacta, vt salvetur diffinitio, est illa, quæ requiritur vt id quod procedit non solum sit genitum, sed etiam filius. Ad filiationem autem requiritur primo, quod id quod procedit sit completum in specie generantis, propter quod fructus arboris, capilli, & alia huiusmodi non sunt filij quamvis dicantur gigni, & nasci. Requiritur secundo quod procedad simile in natura eiusdem speciei, vel generis proximi, propter quod vermes qui generantur in animali non procedunt proprie generatione viventium, nec dicuntur filij: bene tamen homo procedens ab homine, & equus ab equo, quia procedunt similes in natura specifica; & etiam mulus procedens ab equo, & Asina, quia procedit similis in natura eiusdem generis proximi, inferioris quidem ad genus animalis, & superioris ad species equi, & Asinæ vt notat Arist. 7. metaph. textu 28.

172. Sed instas. Eva formata ex Adamo processit similis illi in natura specifica, similiter vna plāta procedit multoties similis alteri in natura specifica. Denique Spiritus Sanctus procedit similis Patri in natura specifica, imo, & numerica; & tamen Evā nec propriè est filia Adami, nec vna planta alterius, & Spiritus Sanctus nec est filius, nec genitus: ergo.

173 Respond. quod ad generationem viventium hic diffinitum requiritur, quod aliquid procedat in similitudinem naturæ, non solum ex parte rei genitæ; sed etiam ex parte modi procedendi, hoc est modo assimilativo. Eva processit similis, sed non processione assimilativa, & propagativa naturæ, & expressiva imaginis generantis propter quod Div. Thom. 4. contrag. cap. 23. notat, quod si Deus tribueret homini virtutem producendi alterum, sicut facit Artificiata, vel ex aliquo membro suo, homo productus licèt esset similis producenti, non tamen filius, quia non procederet, similis ex modo, & vi talis productionis.

Circa productionem plantarum notat D. Thom. 3. p. q. 32. artic. 3. quod vltra assi-

mi-

milationem, requiritur ad filiationē, quod sit perfectissima generatio, qualis requiritur in solis animalibus perfectis, propter quod proprie non dicimus vnam plantam esse alterius filiam, aut Matrem.

Circa processionem Spiritus Sancti cur non sit generatio bene tamen processio verbi non est præsenti loci, nec instituti pure philosophici disputare, videantur Theologi in tractatu de Trinitate: sufficiat pronunc instruere lectorem in eo quod processio Spiritus Sancti est quidem processio rei similis identicè essentialiter, & concomitanter, ea generali ratione, qua quidquid est intra Deum est Deus: formaliter vero Spiritus Sanctus solum procedit, vt impulsus divinus, cui ex eo quod est divinus non tàm convenit similitudo, quam summa identitas cum eo, à quo procedit. Verbum vero ex ipsa formali ratione qua procedit intra intellectum, qui assimilativus est, procedit vt simile principio generanti, non solum ratione identitatis repertæ inter omnia divina, sed ratione; & in vi processionis assimilativæ in substantia, & natura Patris, hoc est in ipso intelligi, & intelligere divino. Sufficiant hæc pro philosophis, & eum, qui plus in hoc puncto desiderat, ad locum citatum remittimus.

ARTIC. V.

Qualiter generatio substantialis distinguatur ab alteratione?

174 PRocedit difficultas de generatione cōnaturaliter facta virtute agentis naturalis, quæ non datur sine alteratione (vidimus enim artic. 3. dari posse generationem quæ mutatio non sit, ac subinde sine alteratione, quæ quidem sicut mutatio, petit materiam præcedere tempore instans generationis).

175 Supponimus quod in generatione, & in alteratione possunt distingui tres formalitates, nempè actionis, motus, & passionis, quas distingui ante operationem intellectus in 3. physicor. defensavimus: vnde difficultas procedere potest de distinctione generationis substantialis ab alteratione sub hac triplici formaliter.

176 Supponimus etiam ex 3. Physicorum q. 14. artic. 3. generationem, & alterationem (& idem de alijs actionibus formaliter transeuntibus) posse summi, & activè, & passivè; activè sumuntur pro ipsa actione; qua agens denominatur, & constituitur generans, & alterans, & sub hac consideratione ibidem diximus tales actiones recipi in agente passive vero

sumuntur pro motu, & passione, à qua effectus denominatur in fieri productus, & in hac consideratione recipiuntur in passo.

177 Nec procedit difficultas de quacumque distinctione generationis ab alteratione, quia nullus dubitat aliquo modo distingui, imò, & ante operationem intellectus distingui non negant aliqui Authores contra quos disceptabimus. Procedit ergo difficultas de distinctione illarum in ratione actionis. An scilicet posito motu, vel actione alterativa generatio resultet non vt noua actio eductiva, sed præcisse vt noua resultantia vi alterationis inducta sine noua efficientia, sicut resultant passiones posita essentia: An vero generatio sit noua actio distincta ab alteratione præcedente, indigens noua, & distincta efficiencia?

178 Certum debet esse generationem substantialem sub formalitate motus, & mutationis distingui realiter ab alteratione. Tum quia sicut diximus in 5. Physicor. motus, & mutationes essentialiter distinguntur ex terminis ad *quos*; sed generatio substantialis terminatur ad substantiam, alteratio vero est motus ad qualitatem; ergo. Tum quia generatio substantialis est mutatio nullo subiecto sensibili manente eodem sub vtroque termino, cum præcisse manet materia prima, quæ non sentitur nisi medij qualitatibus: Alteratio vero est motus eodem subiecto sensibili manente sub vtroque termino; cum corpus idem manens prius sit calidum, & postea frigidum, quandoque album, quandoque nigrum: ergo motus alterationis est distinctus realiter à mutatione generativa.

179 Restat solum difficultas circa distinctionem generationis ab alteratione in ratione actionis activè aut passivè sumptæ. Sentiunt aliqui ex nostris, & extraneis generationem substantialem non esse novam & distinctam actionem ab alteratione præcedente, sed puram resultantiam terminatam ad formam substantialem. Pro qua sententia citantur, Caiet. Herbeus, Fonseca, illamque propugnat PP. Carmel. Opposita sententia communior est quam tenent Capreolus, Flandria, Soncinat, Ferrar. Bañez, Araujo, Mag. S. Thoma, Prado Lerma, & alijs item Scot. Henrichus Simplicius, Alensis, Suarez, Rubio, & alijs communiter.

§. I.

Vnica Conclusio.

180 G*Eneratio substantialis est actio nova, & distincta ab alteratione praecedente*: Ratio á priori sumitur ex D. Thom. 3. contrag. cap. 69. artic. o. dicente: *Si igitur formae accidentales, quae sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem: non est autem huiusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formae accidentales, igitur forma generantis est principium actionis, vt forma substantialis introducatur in generantem*. Ex quibus verbis prob. 1. à priori conclusio vbi est novum, & distinctum agere est nova, & distincta actio; sed generare substantiam, est novum, & distinctum agere ab eo, quod est alterare subiectum: ergo generare est actio nova, & distincta ab alteratione. Mai. constat, nam vt diximus in logica, & physica actio (praecipue praedicamentalis) nihil aliud est quam forma secūdum quam in id; quod subijcitur, agere denominamur.

Min. prob. 1. generare substantiam est nova, & distincta efficientia in actu secundo ab alteratione subiecti; sed nova, & distincta efficientia in actu secundo est novum, & distinctum agere; ergo generare substantiam est novum, & distinctum agere ab alteratione subiecti: probat. mai. novus, & distinctus effectus, vt talis non est sine nova, & distincta efficientia in actu secūdo; sed substantia, ad quam per se terminatur generatio, est distinctus effectus ab accidenti ad quod per se terminatur alteratio, ergo generare substantiam est distincta efficientia in actu secundo ab alteratione subiecti.

Secundo agere sequitur ad esse in actu: sed forma substantialis dat esse substantiale distinctum ab esse accidentali, ergo formae substantiali correspondet distinctum agere ab eo, quod correspondet formae accidentali, sed agere correspondens formae substantiali, vt distinctum à forma accidentali, non est aliud nisi generare substantiam, quia alterare correspondet formae accidentali, ergo generare substantiam est agere distinctum ab alteratione, quae probatio continetur in verbis D. Thom.

181 Dices quod licèt forma substantialis det esse substantiale distinctum ab esse accidentali non sequitur quod formae substantiali, & acciden-

tae

tali realiter distinctis correspondeat agere, vel actio realiter distincta, sed vna, & eadem, sub diversa tamen ratione: nā vna, & eadem actio, & est actio v. g. caloris, & est actio formę substantialis ignis quatenus subordinatur calori, vt virtuti principali, & æquali cum calore producendo est actio propria caloris, & dicitur alteratio, seu actio dispositiva: cæterum quatenus subordinatur formæ substantiali, vt principio radicali, & principali respectu formæ generandæ, est actio propria eiusdem formæ substantialis, & appellatur generatio.

182 Contra est: generatio, & alteratio prout subordinantur formæ substantiali, & accidentali, non identificantur in ratione motus, aut mutationis; ergo nec in ratione actionis. Probo conseq. quoties datur duplex motus, vel mutatio, datur duplex egressio motus, vel mutationis ab agente; sed egressio motus, vel mutationis ab agente dicitur actio, ergo si generatio, & alteratio in ratione motus non identificantur, nec in ratione actionis.

Confirm. motus alterationis nequit subordinari formæ substantiali generantis, ita vt entitative sit mutatio substantialis generativa; ergo actio alterativa nequit subordinari formæ substantialis generantis, ita vt entitative sit actio generativa: antecedens constat, & conseq. prob. Sicut substantia non est immediate agens ita non est immediate movens aut mutans, quia non datur movere, aut mutare aliud sine agere, & operari; & sicut accidens agit substantiam, vt subordinatum substantiæ, ita movet ad substantiam substantiæ subordinatum; sed subordinatio accidentis, vt moveat, aut mutet, non tollit, quod motus ad substantiam distinguatur entitative à motu ad accidens: ergo nec illa subordinatio tollit, quod actio ad substantiam, qualis est generatio, distinguatur realiter ab actione terminata ad accidens, quæ est alteratio.

183 Secundo probatur conclusio. Forma substantialis non fit per resultantiam ex actione alterativa, & termino eius qui est dispositio, sed forma substantialis fit per generatione; ergo generatio substantialis non est resultantia, sed nova actio; probo maiorem primo nihil potest resultare ab alio cum quo est incompatibile; sed forma genita est incompatibilis cum dispositionibus prævijs (ea enim adveniente: cessant dispositiones) ergo forma genita non resulat ex ipsis.

Se-

Secundo. Resultantia, seu dimanatio est productio alicuius minus principalis, & quasi apendicis ad productionem principalioris, sed principalior terminus generantis est forma substantialis, ergo non producitur per resultantiam.

Tertio. Resultantia termini secundarij alicuius actionis per se loquendo est sine nova mutatione subiecti vt constat in resultantia proprietatum sed per se loquendo generatio est vera mutatio distincta ab alteratione præcedente, vt contrarij admittunt, ergo etiam est nova efficientia, & actio.

Denique. Ex opposito sequeretur quod omne id quod est incomposito substantiali de novo genito fieret per resultantiam, nihilque in eo produceretur per actionem propriam ad illud terminatam consequens ex ipsis terminis videtur absurdum: ergo sequela prob. omne id, quod est incomposito de novo genito, est illius forma substantialis, & accidentia, sive proprietates ad illam sequuta: sed proprietates resultant ex forma substantiali, & forma substantialis iuxta adversarios fit per resultantiam ex alteratione, & prævijs dispositionibus: ergo nihil esset in composito substantiali de novo genito productum per propriam actionem.

184 Tertio, & vltimo probatur conclusio: mutationi generativæ debet correspondere aliqua vera actio, quia non datur novus motus, seu mutatio, quæ ab aliquo movente non sit, & motus prout ab agente est actio; sed mutationi generativæ non correspondet actio, quæ entitativè sit alteratio: ergo correspondet actio realiter distincta ab alteratione. Probatur min. Actio correspondens mutationi generativæ, debet esse illa, per quam generans agit in subiecto, quod mutatur per generationem; sed per actionem, quæ entitativè sit alteratio, generans non agit in subiecto, quod per generationem mutatur: ergo mutationi generativæ non correspondet actio, quæ entitativè sit alteratio. Mai. est certa: nam illa actio correspondet motui, vel mutationi, per quam movetur, vel mutatur subiectum, cum agat in illo medio motu, vel mutatione. Probatur min. Per actionem alterativam solum agit generans in subiecto, quod movetur motu alterationis; sed hoc subiectum est distinctum ab eo, quod per generationem mutatur, imò deficit, dum adest mutatio generativa: ergo per actionem alterativam non agit generans in subiecto, quod per generationem mutatur. Min. constat:

nam subiectum motus alterationis est, quod corrumpitur, & quod deficit, dum aliud generatur. Et mai. probatur. Nam agens medio motu solum agit in illo subiecto, quod motui subijcitur: ergo agens per alterationem, solum agit in illo subiecto, quod motui alteratio nis subijcitur, & consequenter sicut generans generat, & alterat agendo in diversis subiectis, medijs distinctis motibus; ita etiam medijs distinctis actionibus motibus correspondentibus.

§. II.

Diluuntur argumenta.

185 OBijcies 1. Id ipsum habet calefactio in actu secundo, quod habet calor in actu primo; sed ad producendam substantiam ignis non requiritur aliqua virtus proxima distincta à calore, sed sufficit calor vt subordinatus substantiæ ignis agentis: ergo, ad producendam eandem substantiam non requiritur actio distincta à calefactione, quæ est alteratio, sed sufficit calefactio vt subordinata substantiæ ignis agentis. Min. cum conseq. constat, & mai. probatur. Nam actio est actuale exercitium, & externa diffusio virtutis activæ: ergo id habet actio in actu secundo; quod habet virtus in actu primo.

186 Si aliquid probat argumentum, convincit, alterationem terminari, & producere substantiam sine nova resultantia, aut mutatione media, sicut calor se ipso est virtus ignis, & in virtute illius producit substantiam sine nova entitate, aut modo superaddito, vt diximus in 2. Physicor.

Resp. quod actio maiorem proportionem exigit cum termino, vel effectu per illam producto, quam cum principio, & virtute producente; nam sicut vna virtus est sufficiens ad plures effectus, ita etiam ad plures actiones effectibus correspondentes; cum autem alterationi, & generationi correspondeant effectus realiter, imò & generice distincti, quales sunt substantia, & accidens, etiam sunt actiones realiter distinctæ servantes eundem ordinem, qui est in effectibus: vnde virtus generantis eadem manens movit ordine quodam duplici actione ordinata, (sicut & duplici motu) prima per alterationem vt causa principalis dispositionis, quæ est proprius terminus, & effectus illius: Secunda per generationem substantialem, qua attingit substantiam vt proprium terminum, & effectum, non virtu-

tutis secundum se, sed vt subordinatæ substantiæ generantis vt causæ principali.

187 Sed instas: actio instrumenti in quantum est instrumentum non est alia ab actione principalis agentis, vt expresse habet Div. Thom. 3. p. q. 19. artic. 1. ad 1. Sicut facere scamnum non est operatio securis distincta ab operatione artificis, sed alteratio, & dispositio sunt instrumentum generantis ad substantiam generandam: ergo eadem alteratio, quæ virtute propria attingit dispositionem, in virtute substantiæ attingit substantiam, & erit generatio.

Respond. hoc solum probare, quod cùm agens principale operetur medio aliquo instrumento, instrumentum vt tale agit actione, quæ alia non est, quam actio principalis agentis; sicut generatio substantialis eademmet correspondet igni vt causæ principali, & calori vt virtuti instrumentariæ: hoc autem non tollit, quod i instrumento non vt instrumento, sed vt causæ principali correspondet aliquis effectus correspondeat etiam propria actio distincta ab actione principalis agentis; & maxime si effectus correspondens instrumento vt causæ principali sit prior in executione, & in diverso subiecto, ac est effectus causæ principalis; sicut prior, & distincta est sectio ligni, quam forma scamni, & digestio cibi, quam generatio carnis: ita etiam prior est alteratio, & eius terminus, quam substantiæ generatio, & ita prior, vt pereat subiectum alterationis, & termini illius, dum adest generatio.

188 Obijcies 2. Forma substantialis producitur per eandem actionem, per quam ponitur vltima dispositio præuia; sed vltima dispositio, cùm sit accedens ponitur per alterationem: ergo etiam forma substantialis. Probatur mai. Quæ habent necessariam connexionem, eadem actione debent produci; sed vltima dispositio præuia, & forma vnita habent necessariam connexionem, vt experientia constat: ergo.

Confirm. 1. eodem modo se habent res in *producti*, sicut in *corrumpti*; sed eadem actio, quæ tollit vltimam dispositionem, tollit formam substantialem: ergo eadem actio, quæ ponit vltimam dispositionem, ponit formam substantialem.

Confirm. 2. Corruptio resultat ex alteratione præcedente: ergo etiam generatio. Conseq. videtur bona, quia generatio vnius est corruptio alterius, & licèt sint duæ mutationes, non tamen duæ actiones, vt infra dicemus. Antec. ve-

vero probatur. Forma corrupti est incompatibilis cum vltima dispositione prævia ad formam generandam: ergo posita tali vltima dispositione deficit forma corrupti, in quo corruptio consistit; sed talis vltima dispositio ponitur per alterationem, vt patet: ergo ex illa sine nova actione resultat corruptio.

189 Ad argumentum nego mai. ad probationem distinguo mai. Quæ habent necessariam connexionem coexistentiæ vtriusque, eadem actione producuntur, omitto mai. necessariam connexionem successionis, & ordinis nego mai. Hoc vltimo modo connectuntur vltima dispositio prævia, & forma genita: non primo modo, quia vltima dispositio prævia destruitur adveniente forma genita, & sic hæc indiget nova, & distincta actione, quia cum actio terminetur ad existentiam effectus, sicut existentia vnius effectus interrumpitur adveniente alio, ita interrumpitur actio terminata ad vtrumque, quod non contingit in essentia, & proprietatibus connexis per coexistentiam vtriusque, & sic eandem actionem possunt terminare: connexio per successionem extremorum consistit in eo quod producto vno effectu, necessitetur agens ad productionem alterius; quare non tàm est connexio inter effectus, quàm inter actiones productivas, sicut posito assensu præmissarium, necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, hoc secundo modo connectitur vltima dispositio prævia cum forma.

Ad 1. confirmat. constabit ex dicendis quæst. sequenti: quod licèt vltima dispositio ablata comparetur ad corruptionem formæ; sicut vltima dispositio posita ad generationem: ex hoc infertur, quod sicut generatio non est resultantia ex positione vltimæ dispositionis præviæ, sed nova actio, ita, & corruptio, quæ licet in ratione mutationis, differat à generatione; non tamen in ratione actionis (in eo sensu in quo corruptio potest dici actio) de quo plura quæst. sequenti. Per quod patet ad secundam confirmationem: forma corrupti est incompatibilis cũ vltima dispositione ad formam genitam præcisse dispositivè non formaliter; formaliter vero expellitur per formam novam, & sic corruptio magis est effectus actionis introducentis novam formam, quam actionis alterativæ.

190 Obijcies 3. Generatio hominis non est actio distincta ab alteratione præcedente; sed eadem ratio currit

in

in alijs generatationibus: ergo. Mai. probatur ex D. Th. 1. part. quæst. 118. artic. 2. ad 4. dicente: *Quod homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis eius, disponitur materia ad susceptionem talis formæ*: Sed dispositio materiæ in quantum talis est alteratio: ergo generatio hominis non est actio distincta ab alteratione.

191 Sed quidquid sit de disparitate constituta ab aliquibus inter generationem humanam, & reliquas, in quibus producitur à generante forma substantialis geniti. Nos dicimus etiam in generatione humana intervenire actionem distinctam ab alteratione, quæ fit vera generatio, cuius terminus formalis assignabitur artic. sequenti.

Ad authoritatem Div. Thom. dicimus: quod ibi solum intenditur: quod homo generans non sit causa ipsius formæ, sed præcisè dispositionum, & vnionis formæ ad materiam dispositam: vt constat ex eodem Div. Thom. quæst. 3. de Potent. articul. 9. ad 6. dicente: *Quod in alijs generationibus generans est causa ipsius formæ; in anima autem rationali est causa vnionis talis formæ ad materiam per hoc, quod disponit materiam ad eam, nec opportet, quod sit causa ipsius formæ*: An autem eadem actione, qua attingit dispositiones, attingat etiam vnionem Div. Thomas non dicit, & nos dicimus esse actionem distinctam, cuius terminum assignabimus articul. sequenti.

192 Obijcies 4. Nulla actio creata potest immediate efficere substantiam; sed generatio vt distincta ab alteratione, attingeret immediate substanriam: ergo generatio non est actio distincta ab alteratione. Maior probatur: tum ex Div. Thom. quæst. vnica de Anima artic. 12. dicente: *Quod si est aliquod agens, cuius actio immediate, directè terminetur ad substantiam, quod huiusmodi agens agit per suam essentiam: & sic non erit in eo aliud potentia activa, & eius essentia.*

Tū quia principiū immediatum, & terminus immediatus actionis creatæ debent esse in eodem ordine, vel substātiæ, vel accidentis; sed nequit actio creata immediatæ elici à substantia, vt diximus in 2. Physicor. ergo nec immediare terminari ad substantiam. Probatur maior. Nam similitu-

do, quæ semper requiritur inter causam, & effectum, debet attendi penes rationem formalem, & proximam operandi, & rationem formalem, & proximam terminandi: ergo si ratio formalis proxima operandi est accidens, etiam ratio formalis proxima terminandi.

Confirmatur, actio, quæ prius saltim in executione non attingit accidentia disponentia, sed immediate fertur ad substantiam, non attingit illa sed ratione aliqua limitata, & consequenter est actio agentis Infiniti: ergo repugnat, quod actio creata attingat immediate substantiam. Probatur antecedens. Ideo forma substantialis fit hæc in individuo, & limitata, quia educitur ex materia disposita per has potius dispositiones, quam per alias: ergo actio agentis creati non alitèr hanc formam attingit potius, quam aliam, nisi in quantum prævie producit has potius dispositiones ad illam, quam alias; ac subinde actio, quæ tales dispositiones non attingit, non attingit substantiam sub ratione aliqua limitata.

193 Nego mai. ad primam probationem ex Div. Thom. dicimus: ibi solum intendere, quod agens creatum nequit producere substantiam, quin prius producat dispositiones accidentales, quod nos libenter fatemur: ibidem enim asserit: *Necesse est, quod ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis correspondens dispositioni materiæ:* Sed quod actio producens dispositiones, sit eadem entitativè cum actione producente substantiam, ibi non dicit Div. Thom. vnde actio immediate terminata ad substantiam non connexa, nec supponens necessariò actionem terminatam ad accidentia disponentia, esset actio agentis per suam essentiam, quod quidem non contingit in actione generativa, quæ quamvis distinguatur ab alteratione, illam necessariò præsupponit, & cum illa connectitur vt terminus illius saltim extrinsecus.

Igitur actio generantis creati, & potest summi adæquate, & complete pro adæquato exercitio suæ virtutis vsque ad productionem formæ substantialis, & potest summi inadæquate: primo modo actio generantis dicit disponere materiam, & introducere formam, quæ quamvis sint duæ actiones, ad

ad integrant exercitium adæquatum generationis creatæ: vnde alteratio dicitur etiam generatio initiativè: secundò modo actio generantis est solum, vel disponere materiam, vel introducere formam.

Quare in forma ad primam probationem explico D. Thom. Agens, cuius actio adæquatè, & complete sumpta immediate terminatur ad substantiam, est agens per suam essentiam, concedo. Cuius actio inadæquatè sumpta immediatè terminatur ad substantiam, nego. Vel aliter: agens cuius actio tam secundum id, quod dicit formaliter, & in recto, quam secundum id quod connotat, & præsuppnit, immediate terminatur ad substantiam, agit per suam essentiam, concedo. Cuius actio immediate terminetur ad substantiam formaliter, & in recto, connotat tamen, & præsupponit aliam actionem terminatam ad accidens, nego.

194 Ad 2. dicimus: quod principium immediatum, & terminus immediatus actionis generativæ creatæ adæquate, & complete sumptæ sunt in eodem ordine; quia sicut principium immediatum est forma accidentalis; ita terminus immediatus est accidentalis dispositio, vt paulo ante vidimus ex Div. Thom. Cæterum non requiritur, quod terminus immediatus alicuius actionis; quæ non est adæquata agentis creati, correspondeat principio immediato agendi, quia correspondentia ideo requiritur, quia sicut agit per virtutem limitatam, quæ cum substantia identificari non potest; ita producit substantiam secundum rationem limitatam, quæ limitatio provenit ex sigillatione materiæ ab his dispositionibus potius quam ab alijs; cum autem actio generativa, quamvis distinguator ab alteratione, & immediatæ terminetur ad substantiam, supponat, & connectatur necessariò cum actione producente determinatas dispositiones, producit substantiam secundum rationem limitatam; subindeque non exigit pro termino immediato aliam dispositionem accidentalem, Per quod patet ad confirm.

195 Obij 5. Non datur nova actio, si non datur agens, à quo de novo egrediatur; sed multoties in instanti generationis non datur agens, à quo egrediatur de

novo aliqua actio: ergo generatio præcisse est resultantia actionis alterativæ. Probatur min. 1. In generatione viventium, in qua generans, vel est absens, vel mortuum in instanti introductionis formæ viventis. Hoc argumentum tangit difficultatem, quam infra examinabimus articul. 8.

196 Denique obijcies: D. Thom. pluribus in locis asserit, quod generatio substantialis est terminus alterationis, & quod mutationes instantaneæ sunt terminus motus continui, sed quod terminat actionem, non est nova actio: ergo generatio non est nova actio, sed ad summum nova resultantia.

197 Resdondetur: quod sicut actio non est terminus actionis; ita nec motus terminat motum, quo non obstante quamvis generatio sit terminus alterationis, est nova mutatio: ergo quamvis terminet alterationem potest esse nova actio. Loquitur enim Div. Thom. de termino alterationis extrinseco ethe-rogeneo, seu diversæ rationis; non vero de termino intrinseco specificante, aut resultante: vel de termino alterationis tanquam finis illius, & tamquam actio principalior, ad quam terminatur alteratio: Sicut si diceretur, quod assensus conclusionis est terminus assensus præmissarum. Vtrúmque docet D. Thom. tum quæst. 1. de Virtutibus artic. 1. & quod lib. 7. artic. 9. subdit: quod eodem modo illuminatio est terminus motus localis, sicut generatio alterationis. Idem expresse habet quod libet. 11. artic. 4. & alijs in locis; constat autem, quod illuminatio est actio distincta à motu locali.

ARTIC. VI.

Quis sit terminus generationis substantialis?

198 Duplex terminus generationis substantialis creatæ communiter assignatur à Philosophis: alius dicitur terminus *qui*, alius dicitur terminus *quo*: Terminus *qui* est genitum quod subsistit vt quod: Terminus *quo* est id, quo per modum formæ genitum constituitur in sua specie.

Ratio huius distinctionis terminorum est duplex. Prima est: quia res eo modo terminant sui produ-

ductionem, quo sunt, cum productio ad dandum esse rei terminetur; sed aliquid habet esse vt *quod*, quia subsistit, & operatur; & habet esse vt *quo*, quia est forma, & ratio, vt aliquid sit in tali specie: ergo. Secunda est: quia terminus generationis correspondet principio illius; sed principium generationis aliud est generans vt *quod*: aliud est à quo incipit generatio, velut initium illius, quod est privatio formæ generandæ: ergo ex parte termini debet esse genitum vt quod correspondens generanti vt quod; & terminus *quo*, seu forma per generationem inducta correspondens privationi sui. Quæ doctrina est D. Th. in 1. dist. 5. q. 3. art. vnico.

199 Rursus terminus *quo* dicitur formalis, & meritò, quia ab illo genitum, & generatio specificantur, & dare speciem, solum convenit formæ: Terminus vero qui dicitur adæquatus, quia cum generatio tendat ad dandum esse rei, per id adæquate, & integre terminatur, per quod res dicitur adæquate, & integre esse; solum enim quod subsistit vt quod adæquate, & integre est, & consequenter merito terminus adæquatus generationis nominatur.

200 Deinde terminus formalis sub dividi potest in totalem, & partialem: totalis est integra natura geniti constans ex forma, & materia vnitis, vt condistinguitur contra suppositum, & personam: partialis est forma, quæ vnita materiæ, & ab illa distincta dat speciem naturæ, & composito: hoc enim est sub divisio termini formalis, quia non solum anima v.g. sed etiam humanitas dicitur forma hominis, quia est id quo homo est homo.

§. I.

Prima Conclusio.

201 T*erminus qui, seu adæquatus generationis substantialis est compositum vt subsistens; ita vt subsistentia non precisse extrinsece resultet, sed intrinsece terminet.* Conclusio est communis inter Thomistas, quos superfluum erit referre, contra Vazquez, Conimb. Rubio, & alios Recentiores asserentes terminum qui adæquatum esse naturam totalem; suppositum vero esse solum terminum, vel extrinsecè resultantem, vel speciali actione productum.

202 Probatur 1. conclusio ex Philos. 7. Metaph. textu 27. vbi iuxta expositionem D. Thom. ibidem lect. 7. habetur: quod id, quod fit, & gene-

ratur, non eſt forma, neque quidditas, ſed compoſitum, & nomine formæ intelligitur forma partialis; nomine autem quidditatis intelligitur tota natura, quæ eſt forma totalis, quia ſola forma partialis non eſt quidditas, vel natura, ſed principium conſtitutivum illius: reſtat igitur vt nomine compoſiti intelligatur ipſum compoſitum vt condiſtinguitur à natura, vel forma totali. Qui textus Philoſophi ſæpe numero adducitur à D. Thom. ad probandum formas non fieri, ſed ipſum compoſitum ſubſiſtens, vt 1. p. q. 65. art. 4.

203 Probatur 2. ratione ex his deducta: generatio eſt via ad eſſe ſubſtantiale: ergo terminus adæquatus illius eſt id, quod habet eſſe integre, & adæquate in linea ſubſtantiæ; ſed hoc eſt compoſitum ſubſiſtens vt quod: ergo hoc eſt terminus adæquatus generationis ſubſtantialis. Prima cõſeq. conſtat ex antecedenti certo, & min. Subſumpta probatur: eſſe integrum perfectum, & adæquatum in linea ſubſtantiæ eſt eſſe terminatum intra eandem lineam; ſed terminus proprius lineæ ſubſtantiæ eſt ſubſiſtentia: ergo ſolum compoſitum ſubſiſtens vt *quod* eſt, quod habet eſſe integrum, & perfectum in linea ſubſtantiæ.

204 Confirm. 1. Forma totalis, vel natura non habet eſſe niſi vel ſubſiſtens in ſe, vel vnitum alteri ſubſiſtenti, ſicut humanitas in Chriſto: ergo quandiu natura non accipit à generante tale eſſe ſic ſubſiſtens in ſe, vel in alio, non accipit ſuum eſſe integrum, & perfectum: ergo nec generatio talis naturæ eſt integre, & adæquate terminata. Patet illa conſeq Quia tunc eſt adæquatus terminus, in quo ſiſtit generatio, vbi ſiſtit, & terminatur eſſe ipſius rei genitæ; ſed eſſe naturæ ſubſtantialis ſiſtit, & terminatur per ſubſtantiam: ergo ſubſiſtens in tali natura eſt adæquatus terminus generationis illius.

205 Confirm. 2. Terminus qui adæquatus generationis debet correſpondere principio adæquato, cui proprie attribuitur generatio tum quia ſic docet D. Thom. vbi ſupra, tum quia omne id, quod complet principium actionis, reſplendet in effectu, quia ad hoc datur in principio, vt aſsimilet ſibi effectum, & ſe explicet in illo, ſed principium adæquatum, cui proprie attribuitur generatio (ſicut, & omnis operatio) non eſt forma totalis vt condiſtincta à ſubſiſtentia, ſed ſuppoſitum ſubſiſtens, quia actiones ſunt proprie ſuppoſitorum: ergo terminus qui adæ-

adæquatus generationis non est forma totalis, sed suppositum subsistens.

206 Confirm. 3. Perfecta generatio tendit non solum ad dandum formam, sed etiam consequentia ad ipsam, vt sunt passiones; sed respectus rei genitæ intimior est subsistentia, quam passiones, quia istæ sunt accidentia pertinentia ad ornatum, & vt operetur; subsistentia est substantialis complens rem vt sit: ergo completa generatio non est non terminata per subsistentiam illius.

207 Vltimo probatur conclusio specialitèr quoad vltimam sui partem: quia respectu accionis per se primo tendentis ad constituendam rem sub esse completo, & perfecto illius, non se habet secundario, aut per resultantiam id ipsum, quod rem constituit sub esse perfecto, & completo; sed generatio substantialis per se primo est via ad esse substantiale completum, cum generatio sit fieri, & per se primo fit, quod completo est; sunt autem res completæ per subsistentiam: ergo hæc non se habet secundario, aut per resultantiam respectu generationis.

208 Sed contra precedentem conclusionem oppones primo. Generatio per se primo tendit ad constituendam rem in esse; sed esse præstatur rebus ab existentia, ergo non res subsistens, sed existens est terminus adæquatus generationis substantialis.

Respondet, quod existentia effectus est terminus intrinsecus generationis, sed communis illi, & omni actioni productivæ, sivè generatio sit, sivè non cum sit terminus intrinsecus rerum sub communi ratione entis subsistentia vero est terminus, & complementum proprium lineæ substantiæ propter quod illam ponimus pro termino adæquato generationis, non qualiscunque, sed substantialis.

209 Oppones 2. Beatissima Virgo Maria verè, & propriè fuit genitrix Dei; & tamen terminus generationis ex ipsa non fuit suppositum; quia hoc cum sit divinum nequit effici, aut causari à creatura: ergo compositum vt subsistens non est terminus omnis generationis substantialis.

210 In primis argumentum fortius militat contra adversarios ponentes pro termino adæquato generationis solam humanitatem, ex qua cum ex alia parte non resultet suppositum Divinum, actio Beatissimæ Virginis non videtur terminari ad illud, nisi materialitèr, quatenus terminatur ad humanitatem, quæ alia ac-

actione non pertinente ad Virginem est assumpta ad subsistendum in Divino supposito.

In nostra vero sententia facilius respondetur dicendo: quod sicut in alijs generationibus hominum generans verè generat totum hominem, & personam subsistentem in humanitate (licet non producat formam, nec eius subsistentiam aut existentiam, quæ fiunt solum per creationem) per hoc præcisse quod vnit materiam illi formæ, & illud esse animæ subsistens, quod fit à solo Deo, & est esse totius compositi à generante communicatur ipsi corpori, (in sensu infra amplius explicando) ita Beatissima Virgo est vere mater illius hominis, seu personæ Divinæ vt subsistentis in humanitate (licet non producat nec animam, nec subsistentiam, aut existentiam Verbi) per hoc præcisse, quod actio illius generativa attingit vnionem, non hypostaticam, sed corporis formati ad animam, quam prius natura assumpsit Deus ad esse Verbi, & illud met esse, & subsistentiam Divinam, quam actio Virginis invenit in anima assumpta, communicavit corpori. De quo plura Theolog. 3. p. q. 17. vt Naçarius Vincentius, & alij.

211 Oppones 3. Posita natura per actionem generativam resultat suppositum vt terminus, & modus illius: ergo suppositum non pertinet ad terminum intrinsecum, sed præcisse ipsa natura. Probatur antec. Si humanitas nunc divideretur à Verbo resultaret de novo subsistentia creata: ergo quia supponeret terminū generationis, qui est natura adæquate productum.

Confirm. Natura, quæ constat ex vnione materiæ, & formæ; est integra, & totalis substantia: ergo de se terminat totalem actionem: ergo de se est terminus adæquatus generationis. Quare D. Thom. 3. p. quæst. 35. artic. 1. non attribuit supposito esse terminum generationis, sed illius subiectum, quatenus subijcitur, vel supponitur naturæ adæquatè terminanti.

212 Nego antec. Resultantia est illorum, quæ rem intrinsece non constituunt in esse, ad quod per se tendit generatio, vt sunt accidentia; subsistentia vero, & existentia sunt esse adæquatum naturæ; & illam constituunt in ratione totius adæquati, quod quidem sicut perfectè est; ita, & terminat, & complet actionem dantem esse; actio enim generativa humanitatis Christi terminata fuit intrinsece; & adæquatæ per subsistentiam Verbi in sen-

ſenſu paulò ante explicato; ſi autem dimitteretur à Verbo, & reſultaret propria ſubſiſtentia, reſultaret non in vi actionis prius generativæ, quæ iam completa, & terminata erat, ſed in vi actionis alterius ſpeciei, vel terminaret intrinſece generationem præcedentem, quia terminus intrinſecus illius totalis eſt ſubſiſtens in humanitate, ad quod ſe habet de materiali variatio ſubſiſtentiæ de Divina in humanam.

Ad confirmationem diſtinguo antec. eſt integra, & totalis ſubſtantia vt id, quod ſubſtantialiter eſt, & ſubſiſtit, nego antec.: vt id quo aliquid eſt in ſua ſpecie, & natura, concedo antec. & diſtinguo conſequens, de ſe terminat totalem actionem vt terminus formalis totalis, concedo conſeq. vt terminus qui adæquatus, nego cõſeq. D. Thom. dum naturæ, & non ſuppoſito tribuit rationem termini generationis, loquitur de termino formali, & ſpecificativo, qui abſolute dicitur terminus.

213 Oppones 4. Terminus qui generationis accidentalis eſt ſola forma: ergo idem contingit in generatione ſubſtantiali. Probatur anteced. Generatio accidentalis eſt vna actio per ſe: ergo debet terminari ad id, quod eſt vnum per ſe; ſed ſola forma, & non concretum accidentale eſt vnum per ſe: ergo ſola forma, & non concretum accidentale eſt terminus qui generationis accidentalis.

Nego antec. ad probationem diſtinguo antec. eſt vna actio per ſe in ſe ſubiectivè, concedo antec. Terminativè ſubdiſtinguo: ex parte termini *quo*, & formalis, concedo antec. Ex parte termini *qui*, nego antec. In hoc enim differunt generatio ſubſtantialis, & accidentalis, quod prima tendit ad dandum eſſe ſimpliciter; ſecunda verò ſicut dat ſolum eſſe ſecundum quid, ita terminus qui illius habet ſolam vnitatem ſecundum quid.

§. II.

Secunda Concluſio.

214 T*Erminus formalis generationis ſubſtantialis eſt id, quod habet rationem formæ conſtitutivæ rei genitæ.* Hęc concluſio ſicut præcedens eſt communis inter Thomiſtas, contra aliquos in hoc puncto diverſimodi opinantes. Aliqui dicunt terminum formalem non eſſe formam, quia multoties hæc non producitur, ſed vnionem: ita Durand. Suarez, Hurtado, & alij Recentiores. Alij dicunt, quod ſi forma per generationem producitur, illa eſt

est terminus formalis; si vero forma non producitur, sed solum vnitur; terminus formalis est vnio: ita communiter. Alij denique dicunt terminum formalem, vel conflari ex vnione, & forma, vel quod generatio humana habet præcipue duos terminos formales vnum productum, qui est vnio, & alium communicatum, qui est anima: Sic Lugo, & Cabero.

205 Sed conclusio nostra de omni generatione substantiali creata probatur 1. ratione D. Thom. 3. p. q. 35. artic. 1. Generatio est via in naturam, vt vidimus ex Philosoph. supra artic. 3. ergo habet pro termino formali *quo* formam constitutivam naturæ, vel essentiæ. Patet conseq. Quia via, vel tendentia per se ordinata ad aliquem terminum, terminatur formaliter in id, quod formalius est in termino; sed quod formalius est in natura, quæ est id, ad quod per se tendit generatio, est forma constitutiva illius: ergo hæc est terminus formalis generationis.

216 Confirm. 2. Terminus formalis generationis debet correspondere principio *quo* generans generat; vt supra vidimus ex Div. Thom. sed natura, & forma illius constitutiva fuit terminus formalis generationis. Min. constat ex D. Thom. 1. p. quæst. 41. artic. 5.

217 Confirmatur 3. Terminus formalis actionis est ratio illa, ad quam primo, & per se terminatur; sed generatio primo, & per se terminatur ad formam vt communicantem esse materiæ: ergo forma vt sic est terminus formalis generationis. Mai. constat: nã terminus formalis actionis est obiectum formale illius, & obiectum formale actionis est illa ratio, quæ per se primo terminat actionem Min. vero probatur. Quia forma vt communicans esse materiæ est, quæ opponitur directè privationi, quæ est terminus à quo per se generationis: ergo forma prout sic est terminus ad *quem* primo, & per se terminatur generatio.

218 Secundo probatur conclusio excludendo vnionem à termino formali. Terminus formalis alicuius actionis est illud, quod in termino adæquato, & totale illius se habet vt forma; sed forma termini totalis generati non est vnio, sed forma substantialis vnita; ergo hæc est terminus formalis generationis. Mai. constat, nisi ab vtamur terminis, quibus quidditas termini formalis actionum explicatur, & min. non minus liquet, quia vnio tantum se habet vt nexus, & applicatio partis formalis ad ma-

materialem, ex quibus, & non ex vnione, constat genitum.

219 Explicatur amplius, munus termini formalis generationis, quæ formaliter assimilat genitum generanti, est constituere genitum in specie generantis, & specificare actionem, & formalizare ipsum terminum totalem; sed omnia hæc solum conveniunt formæ constitutivæ geniti: non vero vnioni: ergo.

220 Confirm. 1. Quia finis per se primo intentus à generante media generatione est assimilare sibi genitū in forma, qua constituitur, & posita assimilatione cessat generatio; sed generatio non cessat in vnione, sed potius hæc se habet vt medium, & applicatio, vt consequatur assimilatio in forma: ergo hæc, & non vnio est terminus formalis generationis.

221 Confirmat. 2. Vnio, qua forma communicatur materiæ, eodem modo se haberet, quamvis genitum fieret per actionem specifice distinctam à generatione: ergo proprium distinctivum formale, & constitutivum generationis non est vnio propter vnionem, sed propter formam vnitam, sed terminus formalis actionis est, qui illam specificat, & distinguit ab alijs: ergo non vnio, sed forma vnita est terminus formalis generationis.

222 Si dicas: quod licet terminus formalis partialis generationis sit forma; terminus tamen formalis totalis est natura, ad quam se habet de formali vnio, sine qua non datur natura, nec forma totalis.

Contra est: Nam licèt sine vnione tanquam conditione, & applicatione præcisse nō detur forma totalis; datur tamen sine vnione vt constituente formam totalem, & naturam; sed forma totalis est formalis terminus generationis per id, quod eam formaliter constituit: ergo terminat formaliter generationem ratione formæ, qua in specie constituitur; non vero ratione vnionis; unde terminus formalis generationis substantialis absolutè est forma constitutiva tam naturæ, quam compositi subsistentis, licèt quia natura vt distincta à supposito comparatur ad illud vt forma, sicut dicitur forma totalis; ita etiam appellatur terminus formalis totalis generationis, sed totam formalizationem in terminando, & constituendo habet forma totalis à forma partiali, quæ dat speciem, & sic hæc absolutè est terminus formalis quo generationis.

223 Sed contra præcedentem

dentem conclusionem oppones 1. Actio productiva debet habere pro termino formali terminum productum; sed generatio substantialis, quæ est actio productiva, multoties de novo non producit naturam, aut formam, sed vnionem aut suppositum; ergo terminus formalis generationis non est forma totalis, aut partialis, sed vnio, aut suppositum. Minor quoad naturam, aut formam totalem constat in generatione Divina, in qua non producitur natura, sed persona subsistens. Et quoad formam etiam constat in generatione humana, in qua anima non fit per generationem, sed à Deo per creationem.

224 Nego mai. Aliud enim est ratio formalis terminandi actionem productivam, & aliud ratio noviter producti in termino actionis. produci de novo convenit ei propriè, quod de novo fit, fieri propriè convenit ei quod est; esse propriè convenit composito subsistenti, vt diximus conclusione præced. & sic ei propriè convenit produci de novo, forma vero, cui solum convenit esse vt quo, non est necesse, quod producatur, vt sit terminus formalis actionis productivæ, quia cum munus terminandi formaliter actionem conveniat ei, in quantum dat speciem, & formalizat terminum propriè productum per actionem; qui est compositum subsistens, & possit exercere hoc munus sine sui nova productione per solam sui novam communicationem; fit vt non solum terminus formalis actionis productivæ petet de novo produci, sed sufficiat de novo communicari.

Quare terminus formalis generationis Divinæ non est persona, sed natura, in qua assimilatur genitum generanti in principio *quo* primo; terminus quidem formalis non productus, sed communicatus. Similiter terminus formalis generationis humanæ non est vnio; sed anima non vt noviter per generationem producta, sed communicata iuxta existentiam dispositionum, quas de novo generans introducit, cuius actio non sistit in vnione, sed attingit animam, non secundum esse illius in se, quod à solo Deo est, sed secundum illius in esse, ita vt vnio solum se habeat, vt conditio applicans anima vero vnita vt constituēs genitum, & formaliter terminans generationem.

225 Oppones 2. Actiones productivæ differunt specie, non ex parte formæ constituentis terminum totalem productum, sed præcisse ex parte vnionis; ergo terminus

bus formalis specificans generationem non est forma constitutiva geniti, sed vnio. Probatur antec. Forma constitutiva hominis producti per creationem, aut ex Limo terræ, vt Adam, aut per resurectionem, vt Lazarus eadem est cum illa, qua constitueretur factus per generationem, & tamen actiones illæ differunt specie inter se, & à generatione: ergo tam ista, quam illæ non habent pro termino formali formam rei genitæ, sed vnionem, in qua omnes differunt.

226 Respondetur: quod illæ actiones, vt supra diximus potius conveniunt ex præcissa ratione vnionis, quia in omnibus illis, cum producatur totum, producuntur partes vt vnitæ: vnde si est diversitas in vnione summitur non ex ipsa, sed extremis, quæ connotat: creatio enim, & generatio differunt in termino formali, quia licèt anima constitutiva hominis creati, & geniti sit eadem specificè, illa præcisse non est terminus formalis creationis, sed totum compositum factum ex nihilo quoad materiam, & formam. Vnde quod est terminus adæquatus generationis est terminus formalis creationis, vt supra diximus explicantes differentiam generationis à creatione; terminus formalis generationis cum præsupponat essentialitèr vnam partem compositi, est præcisse anima vt communicata materiæ præsuppositæ.

Similiter terminus formalis aliarum actionum substantialium, vt resurectio &c. & diversitas specifica illarum non summitur ab vnione, sed ab anima vt diverso modo communicata materiæ iuxta huius diversas dispositiones, & transmutationem: resurectio enim terminatur ad animam communicando illam materię cum diversis dispositionibus à prima generatione, & connotando illas, & primam vnionem fuisse corruptam, & materiam ad talem communicationem animæ diverso modo transmutatam: Vnde anima vt terminus diversæ transmutationis materiæ, vt ipsi communicetur, est anima vt formalitèr terminans diversam actionem sui communicativam, quia diversæ mutationes inferunt diversas actiones, & terminos formales illarum.

ARTIC. VII.

Quodnam sit subiectum generationis substantialis?

227 SVpposita distinctione generationis substantialis ab alteratione in ratione actionis transeuntis

tis formaliter, queri potest subiectum ilius secundum tres formalitates, quas involuit, nempè actionis, motus, & passionis, quæ omnia nomine generationis substantialis comprehendi possunt.

§. II.

Status difficultatis proponitur.

228 PRo confusione vitanda (in quo resolutio huius difficultatis præcipue consistit) adverte 1. quod subiectum in præsenti materia potest summi, vel pro subiecto denominationis, & hoc respectu generationis est res, quæ denominatur genita. Vel pro subiecto exercitij, aut in quo exercetur generatio, & hoc in generatione, vt mutatio, est illud, quod subijcitur vtroque termino mutationis. Vel pro subiecto inclusionis, in quo scilicèt inhæneret generatio, secundum quod est quoddam accidens.

Certum quidem est: materiam primam non esse subiectum denominationis, quia hoc, respectu generationis, est illud, quod est capax denominationis geniti, quæ denominatio materiæ primæ convenire nequit, sed formæ vt *quo*, & composito absolute, & vt *quod*. Deinde est certum quod subiectum mutationis sumptum pro eo, quod subijcitur vtrique termino, & transit de vno ad aliud, est sola materia prima, quia hæc sola sub est privationi, & formæ, & transit de vna ad aliam.

229 Adverte 2. quod solum illud, quod participat aliquam veram rationem accidentis indiget subiecto inhæsionis, quia inhærentia propria solum vero accidenti convenit propriè, modo autem sivè substantiali, sivè accidentali, secundum quod præcisse dicit quidditatem incompletam propriè non convenit inhærentia: sicut nec quod sit accidens constitutum in aliquo genere, vel specie completa accidentis: vnde, modus propriè non inhæret; sed adhæret, afficit, vel adiacet rei, cuius est modus: propter quod solet modus diffiniri, quod est adiacens rei determinatio.

Ex quo (adiunctis his quæ in Logica, & Physica docuimus) colliges 1. quod motus (sicut, & mutatio instantanea sub illo contenta) cum sit post prædicamentum non constituens, nec constitutum sub aliquo genere entis, solum habet esse incompletum, & viale, & est modus, & affectio quædam quæ sicut reliqua post prædicamenta per omnia gene-

ra-

ra divagatur; vnde motus præcisse consideratus secundum se propriè non indiget subiecto inhæsionis, sed affectionis, vel adiacentiæ.

Colliges 2. quod in sententia identificante actionem, motum, & passionem, si actio, & passio sunt vera accidentia, eidem subiecto, cui inhærent actio, & passio, inhæret etiam motus; licèt non per se, & ratione sui, saltim per accidens, & ratione identitatis cum actione, & passione, quæ propriè inhærent.

Colliges 3. quod in sententia (quam veriorem reputamus in 3. Physicor.) quod motus realiter saltim modaliter distinguitur ab actione, & passione, nō videtur necessarium, quod motus, actio, & passio habeant idem subiectum, & quanvis actio, & passio, quæ vera accidentia sunt, petant subiectum inhæsionis; motus vero, aut mutatio, cum non sit vere accidens, licèt petat subiectum, quod afficiat, & cui adiaceat; non vero subiectum propriè inhæsionis.

230 Nota, vel adverte 3. ex his, quæ diximus in 1. Physicor. q. 2. artic. 2. num. 21. quod mutatio substantialis instantanea est aliquid præter terminum à *quo*, & ad *quem* medians inter illos, nec illos includit vt partes sibi intrinsecas, sed adæquate distinguitur ab illis. Quod constat: Tum quia talis mutatio generativa substantialis est instantanea, in quo differt à motu strictè sumpto: ergo partes ilius sunt in eodem instanti coexistentes; sed terminus à quo, & ad quem mutationis instantaneæ, cum sint privatio, & forma in eodem instanti non sunt coexistentes: ergo talis mutatio non constat ex suis terminis vt ex partibus: tum quia mutatio essentialiter est via, & transitus ab vno termino ad alium; sed via distinguitur adæquate ab vtroque termino, sicut medium ab vtroque extremo: ergo mutatio consistit in aliquo adæquate distincto ab vtroque extremo.

Ex quo infertur Magistros Bañez, & à Sancto Thoma, & alios adæquate non explicare, materiam primam esse subiectum generationis, vt mutatio est, per hoc, quod sit subiectum terminorum inter quos versatur mutatio; restat enim explicare, an subiectum terminorum mutationis sit etiam subiectum illius formalitatis adæquatè distinctę à terminus, in qua consistit mutatio, quod quidem non explicant.

231 His suppositus clare iam constat, in quo consistat præcipua difficultas, & consistit in duobus (supposita distinctio-

tione reali actionis, motus, & passionis in actione formaliter transeunte, qualis est generatio substantialis, vt nunc supponimus.) Primo: quodnam sit subiectum generationis, vt est actio, & passio realiter distincta à mutatione, quam involuit? Secundo: quodnam sit subiectum ipsius, vt præcisse mutatio est? Vel an secundum tres formalitates realiter distinctas, quas involuit generatio habeat idem subiectum? Cum autem ex 3. Physicor. maneat stabilitum actionem formalitèr transeuntem activè, seu methaphysicè sumptā subiectari in agente; non quærimus in præsenti subiectum generationis substantialis sub hac consideratione, hoc quidem est generans; sed disputamus de subiecto illius, vt est mutatio, & actio physica, vel passivè sumpta, vel vt est passio.

232 In qua difficultate (relicta opinione Avicenæ; & B. Alberti, & aliorum asserentium; materiæ esse coævam formam corporeitatis, ac subinde materiam sub illa esse primum subiectum generationis, quam sententiam impugnavimus in libris Physicor. & forte quæst. sequenti vltra reijciemus. Prima sententia docèt: materiam primam esse subiectum inhæsionis generationis substantialis, vel quia nō reputant inconveniens, materiam esse immediatum susceptivum accidentium, præsertim incompletorum, & vialium: vt tenent Benetus, Toletus, Conimbric. Rubio, & alij RR. vel quia generatio non est actio distincta ab alteratione, sed præcisse mutatio, & instantanea adquisitio formæ substantialis, quæ prout sic non est accidens, sed modus quidam substantialis: vt tenent Patres Carmel. vel quia licèt sit mutatio, & actio distincta ab alteratione. non est actio accidentalis de prædicamento actionis, sed substantialis, quasi non ponens in numero cum forma genita: vt tenet Prado citans pro hac sententia Caiet. Flandr. Soncina, & alios.

Secunda sententia docet: subiectum inhæsionis generationis substantialis non esse materiam primam, sed compositum genitum: ita Bañez, Mag. Sancto Thoma, Sanchez, Lerma, Pyni, & alij.

§. II.

Prima Conclusio.

233 A*ctio generativa passivè sumpta pro ipso fieri passivo formæ substantialis, vel pro passione non habet pro subiecto immediato inhæsionis materiam primam*, Probatur 1. Ma-

Materia prima nequit esse immediatum subiectum inhæsionis alicuius veri accidentis; sed generatio substantialis sumpta passivè pro passione, vel pro fieri passivo formæ substantialis, est verum accidens: ergo non habet pro immediato subiecto inhæsionis materiam primam. Mai. à nullo Thomista negatur, vt constabit infra, dum de subiecto accidentium fiat sermo. Et min. probatur. Generatio substantialis est actio, passio, & mutatio realiter distincta ab alteratione: ergo generatio substantialis sumpta passivè pro passione, vel pro fieri passivo formæ substantialis est verum accidens. Antec. constat ex dictis supra artic. 5. & conseq. probatur. Omnis actio formaliter transiens inferens motum, & passionem sumpta activè est verum accidens de prædicamento actionis, & sumpta passivè, est verum accidens de prædicamento passionis; sed generatio substantialis vt distincta ab alteratione, est actio formaliter transiens inferens motum, & passionem distinctam à motu, & passione alterativa; ergo generatio substantialis sumpta tam activè, quam passivè est verum accidens prædicamentale; ac subinde sicut generatio activè sumpta subiectatur in composito generante ita passivè sumpta subiectatur non in nuda materia, sed in composito de novo genito.

234 Nec dicas 1. Actiones instantaneas non contineri in prædicamento actionis, quia non sunt cum motu successivo, qui est motus stricte; generatio autem est instantanea in ratione actionis, & motus.

235 Contra est 1. Motus diffinitus in 3. Physicor. non datur sine actione, & passione prædicam... communiter tenent Philosophicum Aristot. & D. Thom. sed generatio substantiali comprehenditur sub motu ibi diffinito; ergo etiam sub actione, & passione prædicamentali.

2. Nam actiones formaliter transeuntes, quamvis sint instantaneæ, vt illuminatio, & aliæ similes, pertinent ad prædicamentum actionis; sed generatio quamvis instantanea est actio formaliter transiens: ergo pertinet ad prædicamentum actionis.

236 Dices 2. quod actio formaliter transiens est quid analogum ad actionem substantialem, & accidentalem: hæc secunda ponitur in prædicamento actionis, prima vero propriè; & essentialiter

 sump-

sumpta, & vt distincta al alteratione, nan pertinet ad prædicamentum actionis, sed reducitur ad genus substantiæ.

237 Contra est 1. Nam voluntarie, & sine vllo fundamento distinguitur duplex genus actionum formaliter transeuntium: aliud substantialium: aliud accidentalium, quia denominatio actionis substantialis tantum summitur à termino per illam producto; non vero ab entitate actionis in se subiectivè consi-

238 2. Actioni generativæ correspondet potentia proxima operativa, seu generativa, quæ accidens est (alias substantia esset immediate operativa, saltim alterius substantiæ) ergo actio genetativa vt distincta ab alteratione est subiectivè accidens. Probatur conseq. Exercitium potentiæ quæ subiectivè, & entitativè est accidens, debet esse subiectivè, & entitativè accidentale; sed ge- substantialis est exerci- proprium potentiæ generativæ, quæ est entitativè accidens; ergo.

239 3. Licèt potentia generativa sit entitativè accidens; tamen vt est virtus substantiæ continet, & causat effectum substantialem, vt est certum in via D. Th. ergo actio, quæ vt causalitas correspondet tali potentiæ, vt attingat effectum substantialem, non requiritur, quod sit entitativè substantia, sed entitativè accidens, & virtualitèr substantia.

240 Denique sequitur ex prædicto modo dicendi, quod accidens vt virtus instrumentaria substantiæ non operatur media actione, quæ entitativè sit accidens: consequens est absurdum in via D. Th. ergo. Sequela patet. Nam iuxta prædictum modum dicendi, omnis actio accidentalis immediate terminatur ad accidens, & est alteratio; sed respectu alterationis, & termini immediati illius, qui est dispositio, accidens, quod se tenet ex parte principi operativi, non operatur vt virtus instrumentaria substantiæ, sed vt causa principalis, vt est certum: ergo accidens vt virtus instrumentaria substantiæ iuxta prædictum modum dicendi solum operaretur media actione substantiali, & non accidentali entitativè.

Falsitas vero consequentis probatur: Ideo in sententia Thomistarum substantia non operatur immediate, sed medio accidenti vt virtute ipsius instrumentaria, quia virtus proxima operativa substantiæ debet specificari ab operatione, quæ accidens est; & substantia nequit specifica

ti ab aliquo accidenti: ergo falsum, & absurdum est in via Div. Thom. quod actio correspondens accidenti reduplicative vt est virtus substantiæ, non sit entitatiuè accidens; sed actio correspondens accidenti reduplicatiuè vt est virtus substantiæ, non est alteratio, quia hæc correspondet illi vt causæ principali: ergo talis actio accidentalis; à qua specificatur accidens, vt est virtus substantiæ, est generatio, substantialis tantum terminatiuè, & accidentalis entitatiuè.

§. III.

Secunda Conclusio.

241 *Mutatio substantialis sumpta pro eo, quod est rem aliter se habere nunc, & prius habet pro subiecto immediato materiam primam: sumpta vero pro transitu medio distincto ab vtroque termino proprie non habet subiectum inhæsionis, sed affectionis, & hoc non est materia prima, sed ipsum genitum.* Quod mutatio admittat illam duplicem acceptionem, & proprie pro vtraque vsurpetur, constat ex eo, quod quandoque explicatur mutatio per hoc quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius; vt videre est in D. Th. 1.p.q.45. art. 2. ad 2. Quandoque per transitum medium de non esse ad esse, & per modum actus vialis entis in potentia secundum quod in potentia, cum sub diffinitione motus in communi comprehendatur, vt vidimus in 3. Physic.

242 Hoc supposito: prima pars conclusionis probatur. Sola materia prima est res, quæ eadem manens se habet aliter nunc, & prius in generatione substantiali: ergo sola materia prima est subiectum immediatum mutationis generatiuæ sumptæ pro eo, quod est rem aliter se habere nunc, & prius. Probatur anteced. Sola materia prima est, quæ nunc est sub forma, & prius sub priuatione illius; sed hoc est rem aliter se habere nunc, & prius in generatione substantiali prout mutatio est: ergo sola materia prima est res, quæ aliater se habet nunc, & prius in generatione substantiali.

243 Confirmatur; Res quælibet se habet aliter nunc, & prius ratione præcisè terminorum, quorum vnum desserit, & alium adquirit: ergo illud, quod fuerit subiectum termini, qui prius desseritur, & termini, qui nunc adquiritur, erit proprium subiectum mutationis in hoc sensu; sed sola materia

Thomistarum; alias materia prima prius esset sub actu aliquo viali, & secundumquid, quam sub actu simpliciter formæ substantialis. Et antecedens probatur. Mutatio generativa est actus entis in potentia, cum comprehendatur sub diffinitione motus vt sic: ergo habet rationem actus saltim vialis, & imperfecti.

Ex quo infertur vltima pars conclusionis. Subiectum quod intrinsece afficit mutatio generativa, debet esse in instanti, in quo est mutatio: ergo non recipitur in corrupto; alias non afficit, nec recipitur immediate in materia prima: ergo afficit intrinsece, & immediate recipitur in genito.

§. IV

Soluuntur argumenta

246 OBijcies 1. contra primam conclusionem Eductio formæ ex materia est generatio, sed eductio recipitur immediate in materia prima: ergo etiam generatio. Probatur min. Eductionem formarum explicuimus in 1. Physicor, per hoc, quod non solum forma; sed etiam productio formæ dependeat à concursu pasivo materiæ; sed dependentia formæ à concursu pasivo materiæ consistit in eo, quod materia formam recipiat: ergo dependentia productionis à concurso pasivo materiæ consistit in eo, quod materia ipsam productionem recipiat.

Confirm. Creatio compositi materialis pasivè sumpta differt ab eductione formæ materialis; sed creatio pasivè sumpta recipitur in toto composito, vel in materia mediante forma: ergo eductio non recipitur in toto composito, vel in materia mediante forma, sed immediate in materia.

247 Ad hoc argumentum (quod re vera difficultate non caret, suppositis, quæ circa eductionem docuimus in 1. Physicor,) respondetur iuxta doctrinam infra late tradendam circa subiectum accidentium, negando maior. Ad probationem explico mai. per hoc, quod non solum forma sed etiam illius productio dependeat à concursu pasivo materiæ vt subiecti eductionis, & exercitij, concedo mai. Vt subiecti propriæ inhærentiæ, aut informationis, sub distinguo: vt subiecti *quo*, concedo mai. vt subiecti *quod*, nego mai. & concessa min. distinguo conseq. Consistit in eo, quod materia ipsam productionem recipiat vt subiectum eductionis, & exercitij, concedo conseq. vt subiectum inhærentiæ

propriè, aut informationis sub distinguo; vt subiectum *quo*, cōcedo conseq. vt subiectū *quod*, nego conseq.

Explicatur solutio: actio eductiva, & potest considerari in genere causæ formalis vt forma quædam accidentalis, & in genere causæ efficientis, vt exercitium, & causalitas effectiva ipsius efficientis: sub prima consideratione petit subiectum, à quo dependeat in suo esse, & à quo substentetur; hoc autem subiectum (vt suo loco late dicemus) respectu omnium formarum accidentalium, aliud est quod, & aliud quo: Subiectum *quod* est, quod habet sufficiens esse, & actualitatem, vt possit substinere accidentia, quæ propter suam imperfectionem in se non possunt subsistere, sed in alio habente esse in se, quod quidem materia esse non potest, sed compositum substantiale; cum autem compositum vt recipiat, debeat esse in potentia, & radix omnis potentialitatis sit materia, sequitur, quod materia sit subiectum *quo* accidentium, idest, id quo compositum constituitur in potentia ad illa recipienda, & substentanda: ex quo infertur, quod actio eductiva (sumpta pro fieri passivo formæ eductæ) considerata vt forma quædam accidentalis, aut in genere causæ formalis, nequit inhærere, aut informare materiam primam vt subiectum *quod*; quia cum accidens sit entis ens inhæret in eo, quod est ens, aut habet esse, quod quidem non habet materia sine forma, nec est capax esse secundum quid, nisi prius habeat esse simpliciter provenians à forma substantiali.

Si verò consideretur actio eductiva in genere causæ efficientis, solum explicat esse exercitium, & causalitatem efficientis, & prout sic non petit subiectum inhæsionis, aut informationis, quia efficiens vt efficiens non explicat informationem, sed efficientiam: petit tamen actio eductiva adhuc sub hac consideratione subiectum eductionis, aut exercitij, vel subiectum, in quo exerceatur, & hoc est sola materia primà: esse autem subiectum eductionis, aut exercitij non consistit in eo, quod actio eductiva effectivè sumpta materiam informet, sed in eo quod materia producta per aliam actionem determinet agens ad talem actionem, taliter vt exercitium talis actionis essentialiter dependeat à materia præsupposita, non vt à subiecto substentante, sed determinante agens, & actionem, vt non aliter, nisi materia præsupposita formam producat; hoc

hoc autem est actionem eductivam effectivè sumptam dependere à cōcursu passivo materię, & recipi in illa quasi exercite, idest, non exerceri nisi in illa, aut illa præsupposita: & in hoc sensu intelligēda est receptio productionis in materia, dum per illam explicuimus eductionem formarum.

248 Per quod patet ad confirmat. Dato enim, quod actiones creativæ cōpositi materialis, & eductivæ formæ, considerata in genere causæ formalis, seu vt formæ quædam accidentales, conveniant in subiecto *quo*, & *quod* Inhæsionis; differunt tamen in genere causæ efficientis, seu consideratæ effectivè, tum in eo, quod per vnicam actionem, vtraque pars compositi producitur per creationem; ad eductionem vero essentialiter requiritur duplex actio, alia prior terminata ad materiam, & alia posterior terminata ad formam dependens essentialiter à priori actione: tum in eo, quod actio creativa à nullo subiecto præsupposito depēdet effectivè sumpta nec in *quo*. nec ex *quo*; hoc est, nec inhærentiæ; nec exercitij, aut determinationis; actio vero eductiva effectivè sumpta dependet essentialiter à subiecto, licèt non in *quo*, & inhæsionis; bene tamen ex quo seu eductionis.

249 Obijcies 2. & potest esse replica contra præcedentem solutionem: non potest intelligi eductio formæ ex potentia materiæ sine concursu passivo materiæ (vt nos explicantes eductionem docuimus) non solum respectu formæ eductæ, sed etiam respectu eductionis, seu productionis formæ; sed concursus passivus materiæ est concursus subiecti receptionis, seu informationis: ergo non stat actio eductiva, nisi recepta, & inhærens in materia: sed non præcisse vt in subiecto *quo*, & mediato, quia hoc est commune actioni non eductivæ, & omni accidenti materiali: ergo eductio recipitur, & inhæret in materia prima immediate vt in subiecto *quod*.

250 Distinguo min. Concursus passivus materiæ est concursus subiecti receptionis, seu informationis respectu formarum, quæ ad illam comparantur in genere causæ formalis, concedo min. Si ad illam comparentur in alio genere causæ, nego min. & conseq. Genus enim causæ materialis receptivæ, & genus causæ formalis se habent correlativè, & connexivè, ita vt vnum sine alio exerceri, nec subsistere, possit; si enim dabilis sit casus quod aliqua forma, quæ alias petit subiectum inhæsionis res-

piciat aliquod subiectum, non sub munere formæ, sed efficientis, vel alterius generis, nec forma sub tali munere inhæret, nec subiectum, quod prout sic respicit, est subiectum inhæsionis.

Habemus aliquale exemplum in dispositionibus, quæ cum sint formæ accidentales, petunt subiectum inhæsionis; quia tamen reduplicato munere dispositionum non explicant munus formæ, licèt respiciant materiam vt subiectum, quod disponunt, & materia illas immediate respiciat vt subiectum dispositum, & determinatum per illas, materia nec est subiectum inhæsionis, nec receptionis ipsarum, sed præcisse subiectum determinationis. Pariter licèt actio eductiva sit forma accidentalis, quia tamen pro priori ad formam solum explicat munus causalitatis effectivæ formæ; non vero munus formæ informantis, aut inhærentis, licèt adhuc pro illo priori respiciat materiam vt subiectum (in quo ab alijs actionibus nō eductivis distinguitur) non respicit illam vt subiectum inhæsionis, quia nec materia pro illo priori respicit talem actionem sub munere formæ, sed efficientiæ.

251 Nec est verum, quod omnis concursus passivus materiæ sit concursus subiecti propriè receptivi, seu informationis, quia respectu dispositionum sub munere dispositionum aliqualem cōcursum passivum exercet, & non subiecti receptionis, sed passivę determinationis: similiter ipsæ dispositiones concursum passivum generis materialis exercent, tam respectu formæ, quā respectu actionis agentis, cum determinent ipsum agens ad productionem formæ determinatæ, quin nec forma, nec actio agentis subiectentur, nec informent ipsas dispositiones: & consequenter quamvis materia concurrat passivè ad actionem eductivam, prout hæc propriori ad formam exercet munus efficientiæ; quia tamen pro illo priori non exercet munus informationis, concursus materiæ pro illo priori non est subiecti informationis, aut inhærentiæ, sed præcisse determinationis, aut eductionis modo supra explicato.

252 Obijcies 3. Omnis causa, & causalitas præcedit effectum; sed generatio est causa, cum forma inducatur, & educatur ex materia; & causalitas agentis, seu passio illata ab agente causante; & inferente formam: ergo præcedit formam, & compositum: ergo nec recipitur in composito genito, nec in materia mediante for-

forma. Probatur hæc vltima conseq. Omne accidens in suo esse dependet à subiecto, in quo recipitur, cum esse accidẽtis sit in esse; sed nulla causa in suo esse dependet à suo effectu: ergo generatio nec à forma, nec à genito dependet vt à subiecto inhæsionis.

Confirmatur: sic se habet generatio ad genitum, sicut corruptio ad corruptum; sed corruptio non est in corrupto, sed potius est causa, vt sit corruptum: ergo generatio nõ est in genito.

253 Distinguo primum conseq. ergo generatio præcedit formam, & compositum in genere causæ efficientis, concedo conseq. In genere causæ formalis, nego conseq. Ex quo etiam nego secundam conseq. Ad cuius probationem dicimus, quod non repugnat, quod in diverso genere causæ sit mutua dependentia inter causam, & effectum: de quo plura artic. 9. Ab actione generativa dependent forma, & compositum effectivè, & est prior illis, quod non obstat, vt generatio ab illis dependeat; vt à subiecto inhæsionis, & sic posterior illis in genere causę formalis. Et quidem qui extra Scholam D. Thom. asserunt actionem creativam Dei esse formaliter transeuntem, & recipi in passo, tenentur dicere, quod talis actio est prior, & causa subiecti, in quo recipitur in genere causæ efficientis, & posterior illo in genere causæ formalis.

Ad confirmat. dicimus: Quod corruptio in ratione actionis non est distincta à generatione, & sic in eodem subiecto recipitur; & quamvis in ratione mutationis distinguatur, cum sit ad terminum negativum, non exigit subiectum positivum.

254 Obijcies 4. contra secundam conclusionem. Omnis motus est in mobili; sed mobile motu, vel mutatione generativa est sola materia prima: ergo materia prima est subiectum generationis, saltim vt mutatio est.

255 Distinguo maior: Omnis motus est in mobili vt in subiecto exercitij, aut in quo exercetur, concedo mai. vt in subiecto, quod afficit, aut quasi inhæret sub distinguo: Motus strictè sumptus exigens subiectum aliquó modo in actu admitto mai. Motus latè, sivè mutatio instantanea exigẽs subiectum in pura potentia, nego mai. Motum strictum inter alia distinximus à mutatione instantanea in 5. Physicor. per hoc, quod motus exigit subiectum, in quo exerceatur, existens in actu substantiali, & consequenter capax actualitatis

via

vialis, & secundum quid provenientis à motu: mutatio vero instantanea, cum subiectum in quo exercetur, sit in pura potentia, non potest illi præstare immediate actualitatem vialem, qua gaudet, nisi prius sit in actu simpliciter à forma substantiali.

256 Obijcies 5. Mutatio generativa est via, fieri, & inchoatio formæ, & geniti; sed prius intelligitur via, quam terminus, fieri, quam factum esse, & inchoatio rei, quam eius cõsumata perfectio: ergo mutatio generativa prius intelligitur, quam forma, & genitum: sed pro illo priori non est aliud subiectum, in quo sit, nisi materia prima: ergo.

257 Distinguo min. Si via, fieri, & inchoatio, sicut & mutatio ipsa considerentur in genere causæ efficientis, vt medium, quo agens effectivè attingit suum terminum, concedo mai. Si considerentur sub conceptu actualitatis cuiusdam vialis incompletæ, seu in genere causæ formalis saltim modificantis, nego min. Proportione servata potest discurri de mutatione generativa eodem modo de actione generativa.

258 Obijcies 6. Mutatio generativa vt distincta à termino *à quo*, & *ad quem* est veluti via ad formam, & genitum; sed via non est in termino, sed potius cum illo incomparitur, & adveniente termino deficit: ergo mutatio sumpta pro transitu, & via media inter terminum *à quo*, & *ad quem* non afficit, aut quasi inhæret in genito, sed in materia prima.

259 Distinguo min. Sud formalitate viæ, & vt est prior termino in genere causæ quasi efficientis, concedo min. Sub formalitate actualitatis modalis, & incompletæ, aut in genere causæ quasi formalis, nego min. Mutatio instantanea differt à motu strictè sumpto, quod iste cum sit ens successivum non est cum termino: nec motus, & terminus possunt simul coexistere in eodem instanti: mutatio vero instantanea coexistit in eodem instanti cum suo termino, in quo instanti pro priori à *quo* causalitatis effectivæ mutatio præcedit formam, & est via ad illam, & in eodem instanti est posterior ipsa forma in genere causæ formalis, quatenus ipsa forma prius actuat simpliciter materiam, reddendo illam capacem actualitatis modalis mutationis generativæ.

§§§

§

AR-

ARTICVL. VIII.

Qualiter diſpoſitiones requirantur ad generationem ſubſtantialem?

260 NOmine diſpoſitionis in præſenti intelligimus id, quo materia efficitur congrua, & apta ad receptionem formæ, & ſunt in duplici differentia: aliæ dicuntur præviæ, quæ quidem præcedunt tempore formam generandam, nec cum illa compatiuntur; ad ſunt tamen ſimul cum forma corrupti, licèt ad illius corruptionem tendant, & iſtæ ſunt productæ per alterationem præcedentem generationem: aliæ dicuntur diſpoſitiones ſimultaneæ concomitantes, & ſimplicitèr vltimæ, quæ ſunt ſimul cum forma nova, & ab illa inſeparabiles.

De vtriſque præcedit difficultas an, & quomodo requiratur ad generatio nem ſubſtantialem, & præcipue vrget difficultas, ſuppoſitis principijs noſtræ ſcholæ (quæ infra pro dignitate firmabimus) quod ſcilicèt nullum accidens, quod erat in corrupto, poſsit manere in genito, & quod materia nullum accidens valeat immediatè recipere, nec ſimul duas formas ſubſtantiales.

261 Certum enim debet eſſe, quod diſpoſitio vltima, ſeu concomitans, vt calor ſumus (ſupponamus, quod eſt calor vt octo) nunquam eſt ſimul cum forma aquæ vel ligni, quæ corrumpitur, dum ignis illis generatur, ſed præciſſe cum forma ignis de novo genita: ita habet Div. Thom. quæſt. 28. de Veritat. artic. 7. ad 11. dicens: *Quod calor conſumatus ſimul introducitur cum forma ignis*; Sed forma aquæ vel ligni non eſt ſimul cum forma ignis ergo nec cum calore conſumato, qui eſt vltima diſpoſitio.

Quare licèt accidentia reciperentur in materia prima immediatè, cum materia non poſsit habere ſimul oppoſitas, & incompoſibiles formas, nec etiam poteſt ſimul habere diſpoſitionem vltimam, & formam corrupti; & ſicut forma genita vt formaliter expellat corruptam, non requiritur, quod ſimul ſit cum illa in materia, ſed ſufficit, quod illi coniungatur, non per ſimultatem, ſed per ſucceſsionem, & expulſionem; ita vltima diſpoſitio, vt ſaltim diſpoſitivè expellat formam corrupti; non requiritur, quod ſit ſimul cum ea, ſed quod illi ſuccedat per expulſionem.

262 Diſpoſitiones vero infra vltimam; calor v. g. citra ſum-

summum, & in gradibus inferioribus ad calorem vt octo, vt prævia dispositio ad formã ignis reputantur, & receptus in ligno, vel in aqua, licèt ad corruptionem illorum tendat, cum forma illorum compatitur, vsque dum talis forma corrumpitur, qua corrupta, perijt etiã ipse calor, & omnia accidentia deficiunt ad corruptionem subiecti, in quo sunt, nec possunt trãsmigrare de subiecto in subiectum, vt nunc supponimus, & infra amplius constabit.

263 Hinc iam consurgit difficultas, eaque gravissima de concursu dispositionum antecedentium, & concommittantium ad introductionem formæ substantialis in materia. Qualiter scilicet materia ab illis disponatur sine eo, quod materiam immediate afficiant. Qualiter etiam dispositiones præviæ conducant ad introductionem formæ, si dum forma introducitur, iam non sunt. Ac denique qualiter dispositio vltima, & concommittans concurrat ad introductionem formæ, cui est anexa, & inseparabilis; & an effectivè procedat à tali forma: hunc vltimam difficultatem vt præcipuam in hoc puncto, artic. sequenti latè tractabimus; nunc vero reliquis difficultatibus sequentibus conclusionibus satisfaciet.

§. I.

Prima conclusio.

264 AD *generationem substantialem virtute agentis naturalis requiruntur accidentia, medijs quibus materia disponatur ad receptionem formæ substantialis.* Est communis omnium Philosophorum, & probatur 1. ex Philosopho in 2. de anima cap. 2. dicẽte: quod forma non inducitur, nisi in materiam dispositam. Et ex D. Thom. 2. contragent. cap. 71. in fine dicente: *Vnde dispositiones corporis, quibus fit proprium perfectibile talis formæ, hoc modo, id est via generationis possunt dici mediæ inter animam, & corpus.* Probatur 2. ratione. Nam materia prima secundum se est indifferens ad recipiẽdam hanc, vel illam formam substantialem: ergo vt recipiat hanc potius quam aliam, debet prius præparari, & disponi.

Confirm. virtus agentis naturalis, cum sit determinata, solum valet ad effectum determinatum, & in subiecto determinato: ergo solum valet producere formam determinatam, & in materia determinata; sed materia pro priori ad formam substantialem determinatam nequit determinari, medio aliquo substantiali, quia ad

ad hoc est indifferens sicut ad formam: ergo determinatur medio aliquo accidentali conformi, & connexo cum forma substantiali introducenda.

265 Sed oppones 1. quod D. Thom. 1. p. quæst. 76. art. 6. asserit: impossibile esse, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus, & animam, vel inter quamcumque formam substantialem, & eius materiam, & quod est impossibile quascumque dispositiones accidentales præexistere in materia ante formã substantialem: ergo materia recipit nulla media dispositione accidentali.

266 Respondetur: quod vt vidimus ex 2. contragent. supra citato D. Thom. expresse admittit dispositionem mediã inter animam, & corpus, nec sibi contradicit in 1. p. in qua negat solum præexistere dispositionem mediã ante formam, via informationis, & actualitatis præviæ; non vero via generationis, & determinationis auferentis indifferentiam materiæ, forma enim secundum respectum, & causalitatem formalem, qua informat materiam; respicit illam secundum entitatem nudam materiæ, & vt substantialiter informabilis; sic enim non est informabilis; à forma substantiali mediante accidente, sed per se ipsam immediate; respicit tamen forma materiam medijs dispositionibus, nõ per modum nexus, aut informationis præparantis materiam ad vlteriorem informationem per formam, sed per modum determinationis auferentis indifferentiam materiæ ad talem formam.

267 Quod clare explicat D. Th. in 3. dist. 13. q. 3. art. 1. *Quod dispositio præexistit in materia ante formam ordine fiendi, non ordine essendi*: sicut calor disponit ad formam ignis, non quia medium cadit inter formam, & materiam, sed materia appropiatur ad formam ignis per adventum caloris.

268 Oppones 2. Materia prima per se ipsam est sufficienter proportionata, & coaptata cum qualibet forma substantiali: ergo ad receptionem cuiuslibet non indiget dispositione præparante. Probatur antec. Ideo negavimus modum vnionis medium inter materiam; & formam, quia pura potentia ex se, & nullo alio superaddito est proportionata cum primo actu; sed quælibet forma substantialis est primus actus materiæ: ergo materia per se ipsam est sufficienter proportionata cum qualibet forma substantiali.

269 Distinguo antec. est proportionata cum qualibet forma substantiali, vt dante

te primum esse substantiale absolute, concedo antec. vt dante tale esse substantiale specificum, & individuale, nego ant. Nec obstat contra hoc probatio antecedentis; modus enim vnionis si esset necessarius inter materiam, & formam, non esset ad auferendam indifferentiam, quam materia habet respectu omnium formarum, nec determinaret materiam, ad recipiendam hanc formam potiusquam aliam, quia pro priori ad vnionem debet supponi materia praeparata, & determinata; sed esset veluti conditio necessaria, & generalis ex conceptu communi potentiae, & actus vt exercitium illorum.

270 Oppones 3. Nullum accidens se tenet ex parte materiae, coaptando illam ad receptionem formae substantialis: ergo nullae dantur dispositiones. Probatur antec. Tum quia omne accidens supponit in materia formam substantialem, cum non recipiatur immediate in materia prima: ergo nullum accidens coaptat materiam ad formam substantialem.

Tum quia accidens, quod esset dispositio, deberet esse in toto composito, vt supponimus; ergo vel incorrupto, vel in genito: si in genito, supponit iam formam geniti in materia, & consequenter nō coaptat illam ad receptionem talis formae: si incorrupto: ergo deficit ad corruptionem compositi; ac subinde non coaptat materiam, vt in alio instanti formam novam recipiat, quia accidens in instanti in quo non est, non potest materiam disponere: Tum qua difficile percipitur, qualiter materia possit determinari, & coaptari medio aliquo accidente intrinsece in illa non recepto.

271 Neg. antec. Ad 1. probationem dicimus: quod dispositiones praeviae supponūt in materia formam substantialem corrumpendam; ad istam non disponunt (nisi ad summum via corruptionis) sed ad formam novam introducendam: dispositiones vero concommitantes, licet in genere causae formalis, & effectivae supponant in materia formam substantialem, ad quam disponunt; in genere vero causae materialis illam praecedunt cum sufficiente prioritate, vt possint coaptare materiam ad talem formam: de quo late art. sequenti.

272 Ad 2. dicimus. quod omnes dispositiones sunt inhaesivè in toto composito; praeviè incorrupto, & vltimae, & concommitantes in genito; quod non obstat, vt tam praeviae, quam vltimae disponant

ma-

materiam ad introductionem novæ formæ. Et in primis, quod vltimæ valeant disponere materiam, quamvis dimanent effectivè à forma, ad quã disponunt, constabit artic. sequenti. Sunt enim eiusdem rationis cum dispositionibus, quæ præcesserunt incorrupto, & quia sunt in summo gradu, licèt cum forma corrupti non compatiantur, sicut dispositiones antecedentes, sunt tamen terminus saltim extrinsecus illarum,& complementum operis dispositivi materiæ, quod dispositiones antecedentes ob illarum remissionem,& imperfectionem perficere non valuerunt: vnde actio alterativa quasi continuatur vsque ad vltimas dispositiones, & per illas saltim extrinsece terminatur, & perficitur, & sub hac consideratione illa accidentia, licèt dimanent effectivè à forma, possunt ad illam inducendam materiam disponere.

273 Quod autem dispositiones prævíæ(licèt præcedant tempore formam inducendam, nec maneant cum illa, quin potius corrumpantur ad adventum illius)verè disponant materiam, constat, quia licèt illæ deficiant, exigunt,& quasi connectuntur cum vltima illarum perfectione, quæ est vltima disqositio, & cum forma illarum connaturali in materia, in qua illæ præcesserunt; & sic determinant egens, vt in illa materia, non quam libet formam, sed illam, à qua dimanet vltima dispositio, quæ est illarum vltima perfectio, & terminus, introducat: vnde illis manet materia quasi signata, vt hanc formam potiusquam aliam recipiat; licèt enim motus calefactionis in instanti extrinseco in quo est calor, qui est terminus eius, deficiat, non tollit, quod sit quasi dispositio ad illum; sufficit enim,quod immediate ante fuisset.

Alteratio enim præcedens huc tendebat tanquam ad terminum, vt scilicet esset in aqua v.g. calor vt octo, & quia cum tali calore non potest esse forma aquæ,fit, vt talis motus non habeat terminum intrinsecum, quia aqua, quæ alterabatur desinit per primum non esse, & sic non potest designari ad quantum calorem mota sit aqua; assignatur tamen terminus extrinsecus, hoc est, nunquam fuit calida vt octo,& citra habuit maiorem, & maiorem calorem. Sit etiam aliquale exemplum casus canis ex turri, qui in medio moritur; in illo enim instanti,in quo non est animal,nõ est motus præcedens, neque terminus intrinsecus determinatus, sub quo vltimo fuit canis;

nihilominus quod cadaver sit in hoc loco, factum est propter motum, qui fuit in casu etiam si cadaver nunquam fuerit motum mortui canis. In hunc ergo modum dispositiones præcedentes, & si non sint simul, determinant nihilominus materiam ad hanc formam potiusquam ad aliam.

274 Ad ultimam dicimus: quod licèt accidentia non sint in materia vt in subiecto quod immediato, sufficit, vt sint in illa vt in subiecto quo, vt illam cohibeant, & contineant, ne habeat ad aliam formam, sicut illam continent, & cohibent, vt sit sub hac forma, & conservetur, vsque dum alia accidentia contraria introducantur ab alio agente fortiori; & hoc est determinare illam, & coaptare ad hanc formam potiusquam ad aliã, & proprium munus dispositionis, quod cum exerceatur in materia, vt formam recipiat, pertinet ad genus causæ materialis.

§. II.

Secunda conclusio.

275 V*Ltimæ dispositiones non concurrunt effectivè ad generationem formæ, ad quam disponunt; nec etiam dispositiones præviæ, quæ pereunt cum corruptione, ex quo nova substantia generatur.* Prima pars conclusionis est communis, & probatur primo. Ex D. Thom. q. 28. de verit. art. 8. ad 5. dicente: *Quod dispositio non facit aliquid ad formam effectivè, sed materialiter tantum, in quantum per dispositionem materia efficitur congrua ad receptionem formæ.* Ponit exemplum in contritione respectu gratiæ, ex quo colligitur loqui de dispositione vltima.

276 Probatur 2. ratione: Concursus effectivus talium dispositionum esset, in quantum essent virtus generantis; sed non sunt virtus generantis ad efficiendam formam, ad quam disponunt: ergo non concurrunt effectivè ad generationem talis formæ. Mai. constat: nam accidens nequit concurrere effectivè ad productionem substantiæ, nisi vt virtus substantiæ generantis. Min. probatur Vltima dispositio non dimanat à substantia generante, sed à substantia genita: ergo potius erit virtus substantiæ genitæ, quam generantis. Tum quia vltima dispositio profluit effectivè dimanativè saltim, à forma, ad quam disponit: ergo non concurrit effectivè ad illam per modum virtutis generantis; alias, mutuo se causarent in eodem infimo genere causæ.

277 Probatur 3.

tima dispositio recipitur, & inhæret in subiecto constituto per formam ad quam disponit: ergo non operatur ad illam effectivè. Antec. supponitur, & probatur conseq. Tum quia virtus, vel forma solum potest operari effectivè vt *quo*, quia calor non calefacit, sed est id, quo calidum, idest, subiectum cui inhæret, calefacit: ergo supponit subiectum, cui inhæret, vt sit effectivè operans vt quod: ergo supponit effectivè productam formam substantialem constitutivam subiecti operantis vt *quod*. Tum quia nulla forma potest effectivè agere in subiectum, in quo recipitur; vt constat ex D.Th. 1. 2. q.85. artic. 1. ad 4. Alias idem posset effectivè agere in se ipsum, aut se ipsum efficere; quia agens *quod* est subiectum, cui inhæret virtus effectiva; & similiter actum, seu generatum vt *quod* non esset forma producta, sed subiectum constitutum per talem formam, & idem esset subiectum, cui inhæret virtus effectiva, & quod constitueretur per formam effectam per talem virtutem.

278 Secunda pars conclusionis non est ita communis: illam tamen ex nostris tenent Bañez, Mag. à Sancto Thoma, & alij: & ex extraneis Suarez: & Rubio, & alij. Et licet Magist. Prado dicat, quod est commune inter Thomistas, quod dispositiones præviç concurrunt effective ad generationem formæ, ad quam disponunt, citans pro se Capreol. Soto, Nuño, Coquet, & alios; non est certum prædictos Authores nobis adversari in sensu in quo hæc pars conclusionis infrà à nobis explicabitur.

279 Probatur igitur 1. secunda pars conclusionis. Dispositiones præviæ, quæ pereunt cum corrupto, si effective concurrerent ad generationem geniti, maxime vt virtus generantis, sed hoc modo non concurrunt effective: ergo nullo modo. Probatur min. Virtus generantis, cum sit accidens, nisi recepta in aliquo subiecto vt *quod* operante; nequit effective operari; sed subiectum, in quo recipiuntur dispositiones præviæ, quæ pereunt, nequit operari, vt *quod* effectiuè generationem; quia tale subiectum est id, quod corrumpitur, & corruptum non genuit genitum, quia ridiculum est dicere, quod aqua generat ignem, sed quod ex aqua tanquam ex termino *à quo* generatur ignis: ergo dispositiones, quæ præcesserunt in corrupto, & cum illo perierunt, non concurrunt efficienter ad generationem.

280 Secundo: virtus, quæ non est, dum egreditur actio, non

on est virtus effectivè talis actionis; sed dispositiones prævię non sunt dum actio generativa egreditur: ergo tales dispositiones non sunt virtus effectiva actionis generativæ. Mai; videtur ex terminis nota, quia non datur egressio sine principio egressionis, ac subinde nec egressio in hoc instanti sine principio egressionis in hoc instanti. Minor probatur: Nam actio generativa cum sit instantanea, in eodem instanti, in quo est, egreditur, & coniungitur cum suo effectu; sed in instanti generationis non sunt dispositiones, quæ tempore antecedenti perierunt cum corrupto: ergo.

281 Si dicas: Quod virtus, quæ non est formaliter, nec virtualiter, dum egreditur actio, non est virtus effectiva; bene tamen si talis virtus, licèt formaliter deficiat, perseveret tamen virtualiter, & sic contingit in præsentia.

Contra est: permanere virtualiter, dispositiones prævias in instanti generationis, vt generationem efficiant, est vel quod in illo instanti detur virtus effectiva illarum, quamvis illæ in se formaliter, deficiant, vel quod in illo instãti detur aliquid, quod efficiat in virtute illarum: primum (præterquam quod est absurdum, quod detur virtus ipsius virtutis, & quod sicut dum deficit generans, substituit virtus; ita dum deficit virtus, substituat virtus ipsius virtutis) restat eadem difficultas de subiecto huius virtutis effectivæ manentis in instanti generationis, quodnam sit: non corruptum, non genitum, non materia: ergo.

Secundum etiam implicat, quia nihil est in instanti generationis, quod possit effectivè causare generationem in virtute dispositionum, quæ perierunt cum corrupto; non vltimæ dispositiones, vt vidimus in prima parte conclusionis; non forma genita, quia est effectus; non materia, quæ nec in virtute alterius est activa: ergo nihil est. Ac subinde prævię dispositiones nec formaliter, nec virtualiter manent; ita vt effectivè concurrant ad generationem.

282 Tertio: Nam agens, & patiens debent habere diversam materiæ portionem; sed si dispositiones, quæ pereunt cum corrupto: effectivè causarent formam genitam, in eadem portione materiæ esset virtus effectiva, & eius effectus; ergo. Min. patet: Nam forma, quæ introducitur, informat portionem materiæ, quæ erat sub forma corrupti, in quo erant dispositiones prævię. Maior vero probatur. Nam agens effectivè introduc-

duc-

ducens formam novam in materia, ex qua componitur, agit in se ipsum, & virtus talis agentis concurrit effectivè ad corruptionem tam sui, quam ipsius met virtutis, quia nova forma nequit informare materiam ipsius agentis, nisi corrupta forma constitutiva agentis, & ex consequenti virtute illius. Vnde D. Thom. loco supra citato ex 1. 2. ait: *Quod accidens non agit effectivè in subiectum, in quo est; agit tamen formaliter in ipsum.*

§. III.

Solvuntur obiectiones.

283 Contra secundam partem secundæ conclusionis (quia prima pars, vt diximus, est communiter recepta) obijcies præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ. Ignis non generat alium ignem in ligno, nisi medio calore vt virtute illius effectiva; sed multoties generat ignem in ligno, non medio calore subiectivè existente in igne generante: ergo generat ignem in ligno medio calore recepto in ligno; sed calor receptus in ligno ab igne generante est dispositio prævia, cum sit in subiecto corrumpendo; ergo dispositio prævia effectivè concurrit ad generationem vt virtus generantis.

Maior est evidens in nostris principijs, & minor etiam constat: quia multoties generans est distans à materia, ex qua generat, & consequenter etiam est distans virtus subiective in illo existens, & media virtute distincte, & remota à passo, nequit in illo aliquid generari ab agente naturali: Prima vero conseq. probatur ex dictis. Nam generans debet esse indistans, & immediatum passo, saltim in distantia, & inmediatione virtutis; sed in dicto casu non esset alius calor immediatus ligno, ex quo generatur ignis; nisi calor derivatus ab igne generante absente, & receptus in ligno: ergo in hoc casu generaret ignem in ligno medio calore in ipsa recepto; cum autem calor receptus in ligno, ex quo generatur ignis, sit dispositio prævia ad formam ignis; sequitur dispositiones prævias effectivè concurrere ad generationem ignis.

284 Respondentur: quod generans dupliciter potest se habere erga materiam, ex qua generat, vel immediatum immediatione non solum virtutis, sed etiam suppositi; sicut ignis est pro-

ximus ligno quod comburit, & tunc virtus effectiva generantis non est nisi in ipsomet supposito generante, scilicèt calor qui est in ipsomet igne. Aliquando vero generans est distans à materia ex qua generat, distantia suppositi; immediatū tamen immediatione virtutis, sicut cum sol generat plantas, & animal mediante semine, & virtute decissa, & ab ipso separata generat aliud.

285. Hoc supposito dicimus, quod in vtroque casu datur virtus generantis existens, & indistans à materia, & qua fit generatio in instanti generationis, & à quo egreditur actio generativa in illo instanti sine recursu ad previas dispositiones, quæ pereunt cum corrupto, & quæ propter rationes supra allatas nequeunt effective concurrere. In casu enim, quod generans est præsens præsentia suppositi, & virtutis generatio effectivè provenit à virtute subiectivè existente in igne generante v. g. non vero à calore recepto in ligno qui est prævia dispositio efficiens ad corruptionem ligni.

In secundo vero casu, quod generans distat supposito à materia ex qua fit generatio, hæc non provenit tamquam à virtute effectiva à calore existente in parte ligni, quod corrumpitur, & ex quo novus ignis generatur, sed à calore existente in parte proximiori ligno quod corrumpitur, sivè illa pars proximior sit eiusdē ligni, sivè alterius rei, & in ligno facile apparet, cum non in eodem instanti totū comburatur, sed paulatim, & successivè: quod quidem ex eo patet, quia vt dictum est, nihil effectivè agit in se ipsum, opportet enim distinguere agens, & passum, partem moventem, & partem motam, & quod generatio non egrediatur à virtute non existente; & id circo opportet quod dum generans non est præsens vt per se ipsum agat, fiat generatio agente vna parte in aliam.

286. Sed instas 1. calor existens in parte proximiori est inferior ad calorem, qui est vltima dispositio ad ignem (alias si in parte proximiori esset vltima dispositio, nō solum virtus ignis, sed etian ignis existere, & non esset casus argumenti) ergo ille calor nō est virtus effectiva nec vltimæ dispositionis, nec formæ ignis, pat. conseq. Quia calor inferior non continet in virtute calorē superiorem, & multo minus formam ignis.

287. 2. in generatione viventium non potest distingui pars movēs, & pars mota, quia nō generātur successivè à parte in partē, sicut inanimata, sed integre disposito corpore, &

organizato, tota generatio in instanti perficitur: ergo in hoc casu non est aliqua pars in qua sit virtus generantis absentis, nisi illa, in qua sunt dispositiones praeviae, & quae ad generationem viuentis corrumpuntur, ac subinde illae dispositiones praeviae erunt virtus effectiva generantis.

289 Ad primum dist. ant. Ille calor est inferior ad vltimam dispositionem, formaliter, & entitativè, conc. ant. Virtualiter, & vt virtus decissa ab igne generante, nego antec. & conseq. Calor infra summum, licèt entitativè, & formaliter sit illo inferior, virtualiter tamen, & vt virtus instrumentaria derivata ab igne, summum calorem potest continere: sicut licèt summus calor formaliter sit inferior ad substantiam ignis, continet illam virtualiter, & potest substantiam ignis producere vt virtus instrumentaria ignis. Si autem sit casus, quod calor infra summum debilitetur in absentia ignis, vel tunc casus non erit generatio, vel si est generatio, fiet virtute causae superioris supplentis defectum virtutis ignis generantis.

290 Ad 2. dicimus: quod in ipso semine decisso ab animali distinguuntur partes, aliae spirituosae, quae spumosiores sunt, aliae crassiores, & corpulentiores, forma faetus non introducitur in partibus spirituosis in quibus propriè residet virtus generantis, & seminis; sed in partibus crassioribus, & corpulentioribus ipsius seminis, & sanguinis: alias si in partibus spirituosis seminis formaretur faetus vt ex materia, destrueretur virtus in illis residens ad primam transmutationem illarum, & sic non maneret virtus in semine ad introducendū diversas formas, quas vocamus formas embrionis, vsque ad perfectae formae introductionem; nec virtute seminis posset perfici generatio, cum periret illa virtus in prima productione formae embrionis. Relinquitur ergo, quod virtus generantis manet in partibus spirituosis vsque ad instans in quo introducitur forma perfecta animalis, & istae partes cum tali virtute agunt in alias crassiores, vt in materiam, quae transmutatur per diversas formas embrionis vsque ad perfectam formam animalis. Completa iam generatione per introductionē formae animalis, partes in quibus erat virtus seminis, evaporantur in aliquod corpus, & deficit virtus seminis, quae cum sit instrumentalis, cessat producto effectu perfectè. Tota haec doctrina est D. Th. q. 4. de Poten. art. 11. ad 8. & 1. p. q. 118. art. 1. ad 3. & 4.

291 Ex his omnibus habetur 2. qualiter etiam in generatione animalium distinguitur pars movens, & pars mota; in quarum prima solum residet virtus generantis, & permanet cum tali virtute à prima introductione formæ embrionis vsque ad instans introductionis formæ animalis inclusivè.

Habetur 2. qualiter in instanti omnis generationis substantialis non deficiat virtus generantis à qua in illo instãti egrediatur actio generativa quamvis generans sit distãs, vel mortuum, sine recursu ad prævias dispositiones, quæ in illo instanti non sunt, ac subinde nec possunt esse virtus effectiva generantis; vitaturque illud inconveniens (semper difficilimum) nempè quod id quod non est, posit effectivè causare; licèt immediate ante fuerit.

Habetur 3. Solutio ad 5. argumentum, quod obiecimus supra art. 5. designamus enim agens à quo in instanti generationis egrediatur actio distincta ab actione alterativa, quæ tempore antecedenti præcessit. Denique habetur in quo sensu solum sit verum, quod dispositiones præviæ effective causant generationem, scilicèt non illæ, quæ sunt in parte materiæ, ex qua fit generatio, & non sunt in instanti generationis (istæ enim prout sic solum concurrunt in genere causæ materialis dispositivæ) sed illæ, quæ sunt in parte proximiori, & permanent in instanti generationis.

ARTIC. IX.

Vtrum vltimæ dispositiones ad formam substantialem sint efficienter ab ipsa?

292 Dispositiones vltimæ concõmitantes formam geniti, aliç dicuntur necessitatis, aliæ congruitatis, vt habet D. Thom. quæst. 29. de Veritat. artic. 2. vel vt idem S. Doct. docet in 3. dist. 13. q. 3. artc. 1. aliæ solum dantur ad ornatum, & perfectionem subiecti, vt decor, & pulchritudo personæ facit ad dignitatem Regiam: aliæ dantur ad vere præparandam materiam pro forma recipienda, vt calor summus præparat ad formam ignis, & dicitur dispositio necessitatis.

293 Valde difficile videtur multis, præcipue Recentioribus extra scholam D. Thomæ, quod aliqua qualitas (vel aliud accidens) sit vere dispositio præparans materiam ad formam substantialem, & prior illa, & quod effectivæ dimanèt ab ipsa formæ, sitque ipsa forma posterior: licèt facile perci-

cipiant quod qualitates, quæ sunt dispositiones ornantes, & perficientes genitum, formam consequantur, & ab ea dimanent. Sic Suarez, Aveasa, Montes. Lorca, & alij plures, & generaliter Recentiores Societatis, mutuam prioritatem, & dependentiam inter causas diversi ordinis, impugnant, & reijciunt.

Per oppositum vniversa Thomistica Schola, vt testatur Mag. Soto, & à temporibus huius Magistri, vsque modo, omnes nostri tenent vltimas dispositiones verè præparantes, & disponentes materiam ad formæ receptionem, ab ipsa forma effectivè procedere, aut dimanare: sic tenent in præsenti vt Philosophi; & vt Theologi 1.2.q.13.art.28. vbi etiam eam tenet Vazquez citans Maiorem, & Henricum, Valentia, & alij extra Scholam D. Thomæ.

§. I.

Vnica Conclusio.

294 V*ltimæ dispositiones ad formam substantialem, effectivè proveniunt, aut dimanant ab ipsa forma, ad quam vere præparant, & disponunt materiam.* Mens D. Thom. pro nostra conclusione clarior est, quam quæ aliquam interpretationem patiatur. Imprimis 3. p. q. 7. art. 13. ad 2. ait: *Quod calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis.*

Id etiam clare constat, ex 4. dist. 17. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. vbi ait: *Quod in eodem instanti terminatur alteratio ad dispositionem, quæ est necessitas, & generatio ad formam; & tamen secundum ordinem naturæ, vtrumque est prius altero aliquo modo, quia dispositio quæ est necessitas, præcedit formam secundam ordinem causæ materialis; sed forma est prior secundum ordinem causæ formalis, & secundum hunc modum illa qualitas consummata est etiam effectus formalis formæ substantialis, secundum quod forma substantialis est causa accidentalium.*

Fere idem habet D. Thomas q. 28. de Veritate artic 8. incorpore: *Est simile in rebus naturalibus de dispositione, quæ est necessitas ad formam, quæ quodammodo præcedit formam substantialem, scilicèt secundum rationem causæ materialis: dispositio enim materialis ex parte materiæ se tenet. Sed alio modo scilicèt ex parte causæ formalis forma substantialis est prior, in quantum perficit, & materiam, & accidentia materialia.*

295 In quibus testimonijs habetur clare, tum mutua prioritas, & dependentia in

inter duo in diverso genere causæ. Tum quod dispositio vltima quæ dicitur necessitatis, verè præparet, & disponat materiam ad formam substantialem, & ab eadem forma proveniat, quin obstet huic expressioni quod D. Thom. ex parte formæ non meminit causalitatis effectivæ in dispositiones, nec ex parte dispositionum præcedentium veram ad formam, sed solum *quodammodo*.

Non inquam obstat: nam dispositiones cum sint accidentia propria, vel communia, procedunt à forma substantiali; aut per dimanationem, quæ reducitur ad genus causæ efficientis; vel per veram efficientiam, & sic præcedentia formæ substantialis respectu accidentium, non solum est in genere causæ formalis, sed etiam efficiētis. Similiter dispositiones solum *quodammodo* præcedere formam, solum infert talem præcedentiam non esse causæ materialis simpliciter talis, qualiter materia præcedit formam quia causalitas dispositiva non est materialis simpliciter, sed secundumquid; non tamen tollit quod sit vera præcedentia pertinens ad genus causæ materialis, & vera dependentia formæ à dispositionibus in hoc genere. Sufficiant hæc testimonia, quia eandem doctrinam reperit D. Thom. pluribus alijs in locis citatis à Theologis, vt probent vltimam dispositionem ad gratiam, procedere effectivè ab ipsa.

296 Rationem quasi à priori non repugnantiæ mutuę prioritatis inter duo in diverso genere causę insinuavimus in 2. Physicor. quęst. 13. art. 5. prommittentes ibi latius in hoc loco mutuam prioritatem stabilire, & vt promissis stemus. Sic prob. 1. conclusio: illud precedit in genere causę efficientis, quod agens primo producit; & ratione cuius, influxus agentis extenditur ad aliud producendum illud etiam pręcedit in genere causę materialis, ratione cuius subiectum recipit aliquam formam; sed ignis generans v. g. primo producit formam ignis geniti, & ratione talis formæ producit calorem vt octo: & calor vt octo est materię ratio recipiendi formam ignis: ergo vltimę dispositiones ad formam substantialem effective proveniunt, aut dimanant ab ipsa forma ad quam verè disponunt materiam; ac subinde, datur mutua prioritas, & dependentia inter vltimas dispositiones, & formam ad quam disponunt. Mai. pro secunda parte est nota, & pro prima parte constat, nam non in alio consistit dimanatio, quam pertinere ad genus-

nus causæ efficientis diximus in 2. Physic.

Minor (prçterquamquod quoad vtramque partem asseritur à D. Thoma loco supra citato ex 1. p. quçst. 7.) quoad primam partem est nota, quia calor vt octo dimanat ab igne vt illius proprietas. Et quoad secundam partem prob. quod appropriat materiam vt formam ignis recipiat est materię ratio recipiendi formam ignis, quia nulla forma naturaliter recipitur nisi in subiecto proprio; sed calor vt octo appropriat materiam, vt formam ignis recipiat: ergo calor vt octo est materię ratio recipiendi formam ignis. Min. prob. Tum ex Div. Thoma in 3. dist. 13. quęst. 3. artic. 1. dicente: *Materia appropriatur ad formam ignis, per adventum caloris.*

Tum quia licèt forma substantialis ignis secundum rationem communem formæ substantialis corporeæ vniatur immediate materię, tamen vt forma talis speciei requirit dispositionem, ratione cuius materia illi approprietur, & ad illum necessitetur in primo instanti quo forma introducitur; sed hęc dispositio alia esse non potest nisi calor vt octo existens cum forma in illo instanti; quia calor pręcedens, cum in illo instanti non sit, nullam causalitatem realem adhuc materialem respectu formę potest exercere: ergo.

297 Confirm. 1. Anima rationalis nequit recipi in materia sine sensu tactus, & debita complexione ad illum; vnde tactus, & sufficiens complexio sunt dispositiones appropiantes materiam, vt anima in illam introducatur; & in illa conservetur, ita vt iuxta maiorem, vel minorem perfectionem, & complexionem requisitam ad sensum tactus, anima est perfectior, vel imperfectior, vt docet D. Thomas 1. p. q. 76. art. 5. in corpore. Sed tactus, & complexio ad illum, vtpotè potentia vitalis, & animalis, effectivè provenire debet à principio radicali vitę, ab ipsa scilicet anima: ergo.

298 Confirmatur secundo: Nam hęc mutua causalitas reperitur in conservatione formę substantialis: ergo, & in illius prima introductione, conseq. pat. & antec. probat. Quia forma ignis dependet à calore vt octo tanquam à dispositione à qua conservatur, illo enim sublato per contrariam alterationem, non conservabitur forma ignis in materia; & tamen idem calor effectivè conservabatur ab ipsa forma, à qua per naturalem resultantiã processit, & sine qua conservari non potest: ergo.

Con-

299 Confirmatur 3. forma quælibet substantialis (præsertim mixtorum perfectorum) dependet in fieri, & conservari à debito temperamento, quo ablato pellitur forma, vel dissolvitur vnio formæ cum materia, rursus debitum temperamentum dependet à forma: videmus enim aquam per se ipsam recuperare frigiditatem quam amisit: ergo datur mutua dependentia, & causalitas inter formam, & temperamentum naturale.

300 Dices: temperamentum in sui conservatione dependere à forma; formam vero non dependere à priori à debito temperamento, sed solum à posteriori.

301 Contra est 1. experientia docet formam substantialem expelli ob defectum temperamenti; morbus enim qui in defectu temperamenti consistit, est causa inferens mortem: ergo debitum temperamentum est vera causa vitæ, & salutis.

2. Iuxta Arist. 2. Physicor. cap. 3. Exercitatio corporalis est causa bonæ valetudinis, & bona valetudo est causa exercitationis corporalis: ergo idem quod prius.

302 Si dicas, bonam valetudinem præsentem esse causam exercitij præsentis, non tamen exercitium præsens est causa bonæ valetudinis præsentis: sed perseverantiæ valetudinis pro tempore sequenti.

303 Sed contra est: Tum quia sæpè defectu exercitationis perijt valetudo præsens: ergo ideo non conservatur quia deest exercitatio: ergo exercitatio non solum influit in valetudinem pro tempore sequenti, sed illam de præsenti conservat: Tum quia sicut valetudo eget alijs subsidijs ad sui conservationem, non est cur indigere non possit corporali exercitatione, quam causat. Tum denique, quia nulla adest ratio ad hoc vt exercitium, aut de ambulatio non habeat effectum suum de præsenti dum exercetur: ergo bona valetudo, & corporalis exercitatio, ita ad invicem comparantur, vt mutuo se foveant subindeque ad invicem dependeant.

304 2. prob. conclusio varijs exemplis, quibus comprobatur non repugnare vltimam dispositionem effectivè provenire à forma ad quam vere disponit, ex capite mutuæ prioritatis. Primum sit in creatione passiva, quam Authores contrarij communiter affirmant esse accidens dependens tanquam à subiecto ab ipsa creatura, quæ per illam effectivè producitur: ergo creatura est prior tali actione

ne materialiter, seu in genere causæ materialis, & posterior illi in genere causæ efficientis,

305 Si dicas cum adversarijs, quod actio creativa non habet terminum per ipsam productum pro subiecto inhæsionis, & à quo dependeat à priori in genere causæ materialis, sed solum pro subiecto adhæsionis, aut denominationis, & à quo solum dependet à posteriori.

306 Contra est 1. de essentia omnis veri accidentis est inhærere, si non actualitèr, saltem aptitudinaliter; sed actio creativa, iuxta adversarios, est verum accidens: ergo adminus debet esse apta inhærere alicui subiecto, assigna illud; si non est terminus per illam productus.

307 Contra 2. ex eo præcipue vltima dispositio verè disponens ad formam non posset ab ista provenire, quia causa efficiens prius debet intelligi vt existens quam vt causans, & forma nequit intelligi vt existens, nisi præ intellectis dispositionibus, à quibus dependet in esse; sed hoc idem argumentum militat in actione creativa, quamvis solum habeat subiectum adhæsionis. ergo. Prob. min. illa actio cum sit effectiva prius debet intelligi existens quam vt causans terminum: ex alia parte nequit intelligi existens nisi præintellecto termino vt subiecto saltem adhæsionis: ergo idem argumentum militat in vno, & in altero casu. Prob. min. illa actio pro nullo priori intelligitur existens in se, & per se, alias foret forma per se subsistens: ergo pro omni priori quo intelligitur existens, debet intelligi existens in aliquo subiecto saltem adhæsionis, aut denominationis: ergo subiectum adhæsionis actionis creativæ præintelligitur existens pro omni priori existentiæ actionis effectivæ sui; & consequenter nequit esse terminus per talem actionem productus, quia nihil præintelligitur existens ad sui productionem, & existentiam: ergo contrarij Authores tenentur solvere præcipuum argumentum, quod obijciunt contra nos.

308 Secundum exemplum familiare nostris Authoribus est illud de amissione, & introductione formarum substantialium. Prius enim in vno genere causæ introducitur forma geniti, quam expellatur forma corrupti. Cum forma nova expellat antiquam; & in alio genere causæ expulsio antiquæ prior est quam introductio novæ, quia hæc nequit introduci nisi materia sit libera à præcedentis formæ impedimento: ergo in expulsione, & introductio-

tione formarum datur mutua prioritas, dependentia, & causalitas.

309 Si dicas introductionem novæ formæ dependere ab expulsione antiquæ non à priori, sed à posteriori, hoc est, quod licet forma nova non possit introduci, nisi antiqua expellatur, expulsio antiquæ non præcedit vt causa introductionis novæ formæ, sicut licet materia non esset, si non esset quantitas; tamen materia non dependet à quantitate à priori, vt à vera causa sui.

310 Contra est 1. prius debet intelligi materia, vt subiectum proxime susceptivum formæ novæ, quam introductio formæ novæ intelligatur, quia subiectum proxime susceptivum est causa materialis formæ, sed materia nequit intelligi subiectum proxime susceptivum formæ novæ, nisi amissa forma antiqua: ergo prius intelligitur in aliquo genere causæ amissio formę antiquę, quam intelligatur introductio novæ; subindeque hæc dependet ab amissione antiquæ in aliquo genere causæ, & à priori.

311 2. non minus requiritur quod materia sit in pura potentia, vt recipiat formam substantialem, quam quod efficiens sit in actu existentiæ, vt producat effectum; sed causa efficiens propriori ad effectum debet intelligi in actu existentiæ: ergo materia propriori ad formam debet intelligi in pura potentia, hoc est sine vlla forma: ergo sicut affirmatio actus, & existentiæ, præcedit ex parte efficientis ad effectum; ita carentia omnis actus, & formæ præcedit ex parte causæ materialis, ad introductionem formæ.

312 Tertium exemplum quamvis vulgare prætermittere non licèt, de ingressu aeris, & appertione fenestræ. Prius enim aer ingreditur, quā fenestra aperiatur, cum ingressus aeris sit causa quod fenestra aperiatur; & ex alia parte prius fenestra aperitur, quam aer ingrediatur, ideo enim aer ingreditur, quia fenestra aperitur: ergo datur prioritas mutua.

313 Dices: Aeris ingressum non esse priorem apertione fenestræ, sed solum esse priorem impulsum, quem aer imprimit in fenestra, à quo provenit efficienter apertio fenestræ. Contra est: Nam licèt requiratur impulsus ad apertionem fenestræ, negari nequit quod aer, quod impellitur, ingreditur aperiendo fenestram: sicut cum clavo clavum extrahimus, requiritur quidem impulsus, sed negari nequit quod clavus percussus alterum expel-

pellat: ergo ingressus aeris est causa appertionis fenestrę. Rursus appertio fenestrae est praerequisitum à quo dependet ingressus aeris: ergo cum non ſtet dependentia ſine prioritate saltem naturę, & aliquali causalitate, datur mutua prioritas, & causalitatis in prædicto casu,

314 Dices iterum dependentiam ingressus aeris ab apertione fenestrae non esse à priori, sed à posteriori, quem admodum sol dependet ab illuminatione dependentia consistente in sola, connexione vnius cum alio, sine vera causalitate.

315 Contra est 1. dependentia motus ab spatio non impedito, est dependentia à priori; quod enim spatium sit capax ad recipiendum mobile, præcedit motum in genere causæ materialis; sicut capacitas subiecti ad recipiendam formam, præcedit in hoc genere formæ receptionem; sed appertio fenestræ constituit, medium vel spacium capax, & expeditum, vt aer posſit ingredi, ergo dependentia ingressus aeris ab apertione fenestræ est à priori.

316 2. id à quo res aliqua dependet solum à posteriori, nō requiritur vt res existat, sed quia existit, quem admodum illuminatio non requiritur vt existat sol, sed quia existit; sed appertio fenestræ non solum requiritur, quia aer ingreditur, sed vt ingrediatur: ergo aeris ingressus à priori dependet ab appertione fenestrę. Omnia hæc, & alia plurima exempla quæ omittimus, simul cum ratione quasi à priori, quam dedimus loco supra citato in 2. Physic. suadent sufficienter non repugnantiam mutuæ prioritatis, quo circa ex hoc capite (quod est præcipuum in hoc puncto) sufficienter suadetur non repugnare vltimam dispositionem verè ad formam substantialem disponere, & simul ab ipsa forma effectivè procedere; si enim non repugnat; connaturalius est quod vltima dispositio dimanet à forma effectivè, cum sit proprietas formæ, & quod forma non introducatur nisi in materia pravié vltimò disposita: ergo sic de facto contingit.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

317 Obijcies 1. accidens procedens effectivè à forma substantiali, procedit ab ipsa vt existente in materia: ergo nequit esse dispositio preparans materiam, vt in ipsam forma introducatur.

Par. conseq. Nam præparatio materiæ per dispositiones est vt materia formam recipiat, & vt hæc in materia existat, ant. autem probatur: concursus effectivus præsupponit existentiam in principio effectivè concurrente; sed forma substantialis incompleta (& maximè materialis) non existit nisi vt recepta in materia: ergo concursus effectivus huius formæ præsupponit illam existentem in materia.

318 Confirmatur. Vt quodlibet accidens dimanet effectivè à forma substantiali, debet præsupponi materia disposita: ergo repugnat quod accidens verè disponens materiam, proveniat effectivè à forma ad quam, materiam dispon. Prob. antec. Dimanatio effectiva accidentium à forma substantiali consistit in eo, quod generans primo producat formam substantialem, & ratione huius influxus generantis extendatur ad producenda accidentia: ergo prius intelligitur producta forma, quam dimanatio accidentium ab illa; sed vt generans producat formam debet præsupponi materia disposita: ergo vt accidentia dimanent effectivè à forma debet præsupponi materia disposita.

319 Pro solutione huius argumenti, & fere infinitorum, quæ congerunt adversarij contra mutuam prioritatem, & causalitatem. Adverte, quod tam in forma de novo genito, quam in vltima dispositione ad illam, vere distinguuntur duæ considerationes, secundum quas pertinere possunt ad diversum genus causæ. Forma enim geniti potest considerari primo, vt id quod generans primo producit, & ratione cuius influxus generantis extenditur ad accidentia propria, & in hac consideratione forma pertinet ad genus causæ efficientis vt principium dimanationis effectivè suarum proprietatum. 2. considerari potest vt forma incompleta, & limitata exigens subiectum à quo limitetur, & in quo existat, & si sit materialis, à quo dependet in fieri, esse, & conservari, & in hac consideratione forma pertinet ad genus causæ materialis vt effectus.

Similiter vltima dispositio potest primo considerari, vt accidens proprium connexum cum forma vt virtus illius, & ab ipsa dimanans, & sic pertinet ad genus causæ efficientis, vt effectus quasi secundarius generantis, & quasi primarius dimanationis ipsius formæ. 2. potest considerari (calor v.g. vt octo, qui vt proprietas à forma ignis dimanat) vt est terminus (saltem extrinsecus) com-

complens, & perficiens alterationem præcedentem, conveniens specificè cum calore infra illum, qui præcessit in corrupto disponendo materiam inchoativè, cui quasi substituit in genito calor vt octo cum munere disponendi continendo virtualiter præparationem ante actam, quæ periit, & illam veluti continuando, terminando, & complendo, & in hac consideratione calor vt octo, pertinet ad genus causæ materialis cum munere causæ dispositivæ.

320. Ex quo infertur, quod si summatur forma ignis in prima consideratione, quam vere admittit, est principium dimanationis, & vera causa caloris vt octo: ergo est verè, prior illo, saltem prioritate à quo dependentiæ, & causalitatis: si vero summatur in secunda consideratione, quam etiam verè admitit, est effectus materiæ primæ, sed non materiæ primæ vt indifferentis ad omnes formas: ergo est effectus materiæ vt determinatæ, & appropiatæ per calorem vt octo: ergo materia prout sic appropriata est verè prior forma: ergo calor ratione cuius appropriatur, gaudet eadem prioritate: sed ratione caloris vt octo, vt terminantis extrinsecè alterationem præcedentem, materia vltimate, & complete appropriatur formæ ignis: ergo calor vt octo sub hac consideratione, est vere prior forma ignis.

321. Ex quo in forma ad argumentum, disting. ant. procedit à forma vt existente in materia adæquate, & sub omni consideratione, nego antec. Inadæquate, & sub aliqua consideratione, concedo antec. Forma vt existens in materia dicit duo, & esse terminum primò productum à generante, cuius productio terminatur ad ponendam rem sub existentia, & dicit concursum materiæ vt subiecti, sine quo forma incompleta, & materialis non existit: calor vt octo procedit à forma ignis vt existente in materia sub prima cōsideratione, prout scilicet est id, ratione cuius influxus generantis ignem, terminatur ad calorem, non tamen procedit à forma vt existente in materia sub secunda consideratione, sub qua nullum concursum effectivum explicat forma, sed potius tam forma, quam existentia illius in materia, explicant esse effectum tam materiæ, quam dispositionum.

322. Sed instans 1. repugnat quod accidens procedat à forma vt existente in materia, & non secundum adæquatam considerationem: ergo ruit solutio. Probatur ant.

Re-

Repugnat quod aliquid existat & non secundum adæquatam rationem, quia existentia est vltimus actus, & adæquatus rei, & sic omnes rationes in illa repertæ existunt, vel nulla: ergo repugnat quod vltima dispositio procedat à forma vt existente in materia, & non secundum adæquatam considerationem.

323 2. efficiens vt tale præsupponit sui existentiam sub omni consideratione; sed vltima dispositio procedit à forma vt à principio effectivo: ergo procedit ab illa vt existente in materia sub omni consideratione.

324 Ad 1. disting. ant. ita vt existentia formæ in materia secundum adæquatam cõsiderationem se habeat de formali vt vltima dispositio à forma procedat, neg. ant. ita vt existentia formæ in materia secundum primam considerationem se habeat de formali, & secundum aliam considerationem se habeat solum concommittanter, vel vt conditio, vt vltima dispositio à forma dimanet, conc. ant. verum est quod si existit res, omnia munera, & cõsiderationes convenientes rei existunt simul, & in eodẽ instanti *in quo*: non tamen est verũ quod existentia se habeat de formali vt illa res existens præstet omnia sua munera: Nec materia, nec forma causant (quælibet in suo genere) nisi existant, quin existentia sit ratio vt mutuo se causent, sed solum conditio concommitans, vt diximus in 1. Physic. sic vltima dispositio non dimanat à forma nisi vt existente in materia, sed quod forma existens in materia sit effectus materiæ in genere causæ materialis, non est ratio quare vltima dispositio dimanet à forma, non, enim dimanat calor ab igne quia materia recipit formam ignis, sed quia est id ratione cuius, influxus generantis ignem extenditur ad calorem. Per quod patet ad probationem primi antecedentis.

325 Ad 2. instantiam disting. mai. Efficiens per verum influxum, & actionem ab ipso distinctam, conc. mai. Efficiens per dimanationem præcise, sub dist. ita vt existentia sub omni ratione se habeat de formali, vt ab illo dimanet effectus, nego mai. Sub aliqua consideratione de formali, & sub alia concõmittanter, conc. mai. & dist. min. eodem modo, & nego conseq Accidentia dimanantia, non tam sunt effectus formæ à qua dimanant, quã ipsius generãtis ipsam formã; & vt complementum ipsius formæ vt primo recipientis esse à suo generante, & sic princi-

cipium dimanationis non petit, quod sub omni consideratione præsupponatur complete existens, se habente esse cōpleto de formali ad dimanationem; sicut se habet in efficiente per verum influxum, & actionem.

326 Ex his etiam patet ad confirm. positam in principio, dist. ant. debet præsupponi materia in genere causæ materialis, conc. ant. In genere causæ efficiētis dimanativæ, sub dist. se habēte dispositione materiæ vt conditione præcisè, vt dimanent accidētia, conc. ant. Se habente de formali vt ratione à priori dimanationis, neg. ant. vt enim forma informet materiā, debet præsupponi materia disposita, cum quo stat, quod licèt materia disposita sit prior forma in genere causæ materialis, forma sit prior materia disposita in genere causæ formalis, & adhuc ipsa materia disposita, quæ est effectus formæ, est conditio necessaria vt forma in suo genere materiā causet, conditio inquam, necessaria concurrens non in genere causæ formalis, sed in alio genere causæ. Videantur quæ diximus in 1. Physic. q. 3. art. 5. solut. ad 1.

327 Obijc. 2. Vltima dispositio præcedit formā non solum sub munere dispositionis, sed etiam sub munere effectus alicuius principij efficientis: ergo sub nulla consideratione procedit effectivè à forma ad quam disponit. Conseq. pat. Quia effectus vt talis nequit præcedere suam causam, ant. vero prob. Dispositio sub munere dispositionis debet esse ab aliquo principio disponente; sed principium disponens est principium effectivum dispositionum vt talium: vt patet in alteratione, quæ est actio dispositiva, & effectiva dispositionū vt talium: ergo si vltima dispositio præcedit formam, illam præcedit non solum vt dispositio, sed etiam vt effectus efficientis causæ.

328 Disting. ant. Sub munere effectus principij efficientis se habente tali munere præcisè concommitanter ad munus disponendi, conc. ant. se habente de formali, neg. ant. licet munus disponendi, & munus effectus conveniant dispositioni vltimæ in eodem instāti reali, sed non pro eodem signo, & priori naturæ, licèt pro nullo signo intelligatur vnum munus, quin intelligatur aliud saltem concommittanter, & vt conditio; hoc est nequit vltima dispositio pro aliquo priori disponere, si pro illo priori non est (quia quod non est, non disponit) nec pro aliquo priori est dispositio, vel habet esse, nisi ab aliquo (quia à se ipsa nō est) & tamen munus disponendi

non habet formaliter exercere ex eo, quod dimanat à propria forma, ſed quia per ſuam quidditatem, & ſpeciem terminat totam alterationem præcedentem complendo, & perficiẽdo illam ſaltem extrinſece.

Ad prob. ant. Quatenus contra hoc poteſt obſtare, diſtinguo mai. Diſpoſitio non vltima, & ant. omitto mai. diſpoſitio vltima, & concommitans ſub diſting. debet eſſe à principio diſponente per modum termini extrinſeci ſuæ actionis, conc. mai. Per modum effectus producti per ſuam actionem, neg. mai. & diſt. min. principium diſponens eſt effectivum diſpoſitionis vltimæ, nego min. non vltimæ, conc. min. & neg. conſeq. Principiũ diſponens eſt ipſum generans, non vt generans, ſed vt alterans, ſecundum quod eſt principium motus alterationis, & actionis alterativæ productivæ diſpoſitionum antecedentium; diſpoſitio vltima cum ſit proprietas formæ genitæ procedit effectivè ſecundario ab ipſo non vt alterante, ſed vt generante, & dimanativè à forma genita: ſed quia eſt terminus, & complementũ alterationis antecedentis, reſpicit principium alterans non vt effectus actionis alterativæ, ſed vt terminus extrinſecus illius ſub qua ratione habet munus diſponendi.

Omiſsi, quod diſpoſitio non vltima ſub munere diſpoſitionis debeat eſſe ab aliquo principio diſponente, ſeu alterante: quia verius iudicamus quod munus diſponendi in omni diſpoſitione ſivè vltima, ſivè non vltima, non explicat reſpectum ad aliquod principium effectivum, ſed præciſe ad materiam, quam appropiat formæ, & ad formam ad quam diſponunt, ſicut licèt ſint formæ accidentales non explicant inhærentiam ſecundum munus diſponendi: vnde actio effectiva diſpoſitionum dicitur diſpoſitiva, non quia hoc quod eſt efficere diſpoſitiones ſit formaliter ratio diſponendi, ſed quia efficit id, quod habet munus diſponendi.

329 SI dicas: ergo actio productiva vltimæ diſpoſitionis poteſt dici actio alterativa, & diſpoſitiva; quia licèt illam efficere non ſit ratio formalis diſponendi, efficit tamen id, quod habet munus diſponendi; ſed conſequens eſt falſum quia vltima diſpoſitio fit per actionem generativam diſtinctam ab alteratione: ergo.

Neg. conſ. Quia ſpecies, & denominatio actionis ſumitur à termino, vel effectu primario qui in actione generativa, non eſt vltima diſpoſitio, ſed forma ſubſtantialis: terminus vel effectus primarius actionis alterati-

væ, seu dispositivę, sunt ipsę dispositiones prævię. Præterquam quod actio effectiva vltimæ dispositionis, potest dici dispositiva virtualitèr, nō formaliter, quatenus in vltima dispositione præbet materiæ virtualiter, quidquid præstitit alteratio in dispositionibus antecedētibus.

330 Obij. 3. Accidentia dimanantia à forma recipiuntur in toto composito, & in materia mediante ipsa forma, vt ratione recipiendi; & consequenter forma concurrit ad illa in genere causæ materialis receptivæ: ergo talia accidentia non possunt causare formā in genere causæ materialis dispositivę; alias in eodem genere causæ materialis causarent formā, & causarentur ab ipsa.

331 Neg. cons. & ad prob. dist. causarent, & causarētur in eodem genere proximo causæ materialis, nego. In eodē genere remoto causę materialis, cōced. Causare materialiter receptivè, & materialitèr dispositivè, sūt diversa genera proxima causæ, licèt contenta sub genere remoto causæ materialis: sicut causare principaliter, & instrumentaliter sunt genera causæ diversa contenta sub genere causæ efficientis; & sic contritio, quæ efficienter principaliter procedit à gratia, causat instrumentaliter gratiam, vt est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ.

332 Obi. 4. de conceptu dispositionis est expedire materiā ad receptionem formæ, & determinare agens ad ipsius productionē; sed hoc secundum repugnat vltimæ dispositioni, si procedit effectivè à forma: ergo prob. min. Vltima dispositio sicut, & ipsa forma à qua dimanāt, procedūt ab agente determinato: ergo dispositio dimanās à forma genita, nō determinat agēs ad productionē formę.

333 Resp. quod vltima dispositio sub munere dispositionis, sicut non explicat esse ab agente, ita nèc explicat esse ab agente determinato; solū enim explicat terminare, & cōplere dispositiones antecedētes, & sic in eo sensu in quo istæ determinant agens quasi inchoativè, vltima dispositio determinat agēs cōpletive in genere causæ materialis, vt ipsa, & forma effectivè procedant ab agente determinato.

334 Obi. 5. Ostendendo repugnantiā mutuæ prioritatis. Repugnat mutua prioritas durationis realis: ergo etiā mutua prioritas naturæ. Prob. conseq. Prima repugnat, quia prioritas durationis realis, est hoc esse ante illud, & repugnat hoc esse prius, & posterius tēpore respectu eiusdem: si enim est prius: ergo prima duratio huius fuit ante primā durationē illius: si vero est posterius: ergo prima du-

ratio huius est post primã durationẽ alterius, quod quidem in terminis repugnat: ergo similiter mutua prioritas naturæ repugnat; quia si hoc est prius natura alio: ergo primus conceptus huius rei fuit ante primum conceptum alterius: si verò est posterius natura: ergo primus conceptus huius rei fuit post primum conceptum alterius: quod omninò repugnat:

335 Neg. conseq. Quia mutua prioritas naturæ, & causalitatis fundatur in eo, quod eadẽ res materialitèr, vere admittit duas formalitates, vel considerationes secundum quas vere distinguitur in illa ratio causæ, & ratio effectus, & quidem primus conceptus vnius rei vt est causa, est prior primo conceptu alterius quatenus est effectus, & è converso: Repugnãtia in eo esset, quod primus cõceptus vni vt est causa esset prior primo conceptu alterius, vt etiam est causa, hoc modo esset prioritas, & posterioritas respectu eiusdẽ, non tantum materialiter, sed etiã formaliter, quod repugnat, & in nostro sensu nõ admititur nec invenitur; inveniretur tamen, si duo se mutuo præcederent duratione, quia quod est prius duratione alio, adæquate est prius illo, & sic esset prioritas, & posterioritas respectu eiusdẽ omninò, quod repugnat.

336 Obij. 6. Si mutua prioritas naturæ, & causalitatis non repugnat, idẽ esset prius se ipso saltẽ mediate: & causa daret sibi esse saltẽ mediate, ac subinde esset causa saltẽ mediate sui ipsius, conseq. repugnat: ergo & mutua prioritas naturæ. Probat. sequel. Nã tunc casus, causa esset prior suo effectu, qui quidem effectus rursus esset prior sua causa, cũ illam causaret. Deinde quid aliud est esse causam mediatam sui, quam esse causam suę causę? Ergo idẽ esset prius se ipso, & daret sibi esse saltem mediate.

337 Confirm. Sequeretur etiam ex mutua causalitate, seu prioritate naturæ, nullum esse argumẽtum, quo probatur primam causam esse improductã, & primã Personam Trinitatis esse improductam. Prob. seq. Imprimis, sine processu in infinitum admissa mutua prioritate possemus venire ad aliquam causam producentem hunc effectum, & productam ab eodẽ effectu, & sic finiretur processus causarum sine causa improducta. Deinde admissa mutua prioritate, posset aliquis licèt falso cogitare. Filium procedentem à Patre, esse principiũ processionis illius Patris.

338 Confirm. 2. Sicut in moralibus non potest vnus homo dare librum sibi nec mediate, nec immediate, nec potest pri-

primo dare librum Petro, quem tunc primo accipit ab ipso Petro (hoc enim non esset dare sed reddere) ita in Physicis, nemo potest primò darè alteri esse à quo primo accipit esse (nemo enim potest dare, quod prius non habet formaliter, vel eminenter) ergo sicut in dante librum opportet venire ad vnum qui primo det liberaliter librum non acceptum, sic in causis realibus, opportet venire ad vnam, quę primo communicet esse liberaliter, non acceptum ab alijs.

339 Respondet. quod solum sequeretur, quod idem secundum diversas considerationes esset prius prioritate tãtum *à quo* se ipso; hoc est quod calor vt octo v. g. vt disponens ad formam ignis intelligatur prius, quam vt effectus formæ ignis; in quo nulla est repugnantia, vt supra ostensum est; non tamen sequeretur, quod idem esset causa sui ipsius adhuc mediate; quia adhoc requirebatur, quod esset causa suæ causæ reduplicativè vt est causa sui (in hoc solo sensu verificatur, quod causa causæ est causari causa) quod in præsenti non contingit, quia vltima dispositio, non causat formam sub formalitate causę ipsiusmet vltimæ dispositionis; sed præcisse sub formalitate sub qua forma nullam dicit rationem causæ sed præcisse effectus, & sic quã vis vltima dispositio causætur à forma sub alia ratione, & formalitate, non est causa sui ipsius adhuc mediate.

340 Ad donfirmat. neg. sequel. argumentum enim ab probãdum causam primam esse improductam, summitur ex eo, quod in vno, & eodem genere causæ efficientis non posśint causæ se invicem causare, ne dari posśit processus in infinitum; quod argumentum manet in sua vi, etiam si admittatur mutua causalitas in diverso genere causæ. Et idem proportionabiliter dicendum est de ratione qua probatur prima persona improducta, quia cum illa productio pertineat ad genus quasi efficientis, & illi asśimiletur, repugnat mutua duorum productio, quia esset in eodem genere.

341 Ex his pat. ad 2. confirmat. Exemplum enim de dante, & accipiente librum non vrget, quia vterque daret, & acciperet librũm eodem modo, in eodem genere, & sub eadem consideratione, quia in tali exemplo non admittitur nisi vnus modus, & vnum genus dandi, & accipiendi; & in hoc sensu admittimus etiam neminem posse dare sibi esse nec mediate, nec immediate, quia erat necessarium quod alter acciperet à me esse sub ra-

formalitate, sub qua dat mihi esse, vel quod alter causaretur à me sub ea formalitate sub qua esset causa mei esse, quod nos repugnare fatemur: non tamen est illa repugnantia in mutua dependentia, & causalitate in sensu immediate explicato.

§. III.

Status vialis excluditur.

342 STatum vialem vocamus illum quem aliqui ex nostris meditãtur in materia pro priori ad formam, & in essentia pro priori ad existentiam consistentem in quoddam esse, aut actualitate viali, & incompleta, non proveniente in genere causæ formalis, in materia à forma substantiali, nec in essentia ab existentia, sed præcisse illis convenit prout subijciuntur agenti à quo pro illo priori accipiunt illud esse viale, & incompletum in distinctum ab ipsa entitate materiæ, & essentiæ, quo saltem vialiter, & incomplete discernuntur à nihilo, & ab statu puræ possibilitatis, & constituuntur extra causas incomplete, hoc est extra causam efficientem, & sunt in via, & redduntur capaces vt sint complete extra alias causas, materia recipiendo formam, & essentia existentiam; quibus manent complete, & in facto esse extra omnes causas.

343 Hic modus sentiendi licet probabilis, & communior inter nostros, ad mutuam prioritatem causarum, quam Thomistæ vno ore defendunt, est inutilis, & doctrinam Thomistarum firmiorem, & principijs metaphysicè magis cõformẽ evertit. In primis quod status vialis sit inutilis, & minime necessarius ad mutuã prioritatem causarum. Probat. 1. pro illo priori quo vltima dispositio causat materialiter dispositivè formam nullum esse habet nec completum, nec incompletũ ab ipsa forma nõ acceptũ in genere causę effectivę & formalis: ergo pro priori, quo materia causat materialiter formam, & existentiam nullum esse habet non acceptum à forma, & existẽtia in genere causæ formalis; sed hoc ipso status vialis excluditur: ergo ad prioritatem causarum status vialis invtilis est. Minor subsumpta pat. Quia status vialis vt dictum est consistit in quoddam esse convenienti materiæ pro priori ad formam ab ista non acceptum, sed præcisse à causa efficiente: præterquam quod si esse quod convenit materiæ pro priori ad formam est acceptum à forma in genere

causæ

causæ formalis: ergo illud esse non potest intelligi ante formam, quia effectus formalis ante formam non intelligitur.

Primum antec. prob. pro priori quo vltima dispositio causat formam habet aliquod esse exercitum (cum non possit causare formam prout in statu possibilitatis:) ergo acceptum ab aliquo; sed non ab alio nisi à forma ad quam disponit quæ comparatur ad vltimam dispositionem vt efficiens illam: ergo.

344 Confirm. 1. illud esse quod convenit vltimæ dispositioni pro priori causalitatis dispositivæ, debet illi convenire saltem prout subijcitur efficienti; sed efficiens vltimam dispositionem est ipsa forma, quæ est effectus vltimæ dispositionis.

345 Confirm. 2. Vltima dispositio, quæ est passio formæ ad quam disponit nullum esse exercitum habet per dimanationem non acceptum, quia nullum datur efficiens directè terminatum ad proprietates; sed principium dimanationis est forma, quam vltima dispositio materialiter dispositivè causat: ergo vltima dispositio propriori quo causat, nullum esse habet non acceptum à suo effectu (licèt in diverso genere causæ.

346 Si dicas: quod vltima dispositio pro priori suæ causalitatis habet esse solum viale, & incompletum acceptum à forma etiam vialiter & incomplete.

Contra est: ergo pro priori causalitatis dispositivæ intelligitur forma dans esse viale, & incompletum vltimæ dispositioni, quia non potest intelligi effectus pro aliquo priori non intellecta causa pro illo priori (saltem specificativè) sicut non potest intelligi esse viale materiæ pro priori ad formam, non intellecta causa efficienti pro illo priori; sed forma dans esse viale, vltimæ dispositioni in genere effectivo, est effectus vltimæ dispositionis, in genere dispositivo: ergo quamvis forma sit effectus materiæ; poterit forma in genere causæ formalis, dare materiæ illud esse quod habet pro priori causalitatis materialis.

Probat. min. Quia licèt esse quod habet vltima dispositio pro priori suæ causalitatis, sit viale, forma à qua provenit tale esse, habet esse completam; sed forma non habet esse completum, nisi dependenter ab vltima dispositione: ergo forma quæ dat esse viale in genere effectivo, vltimæ dispositioni, est effectus huius in genere dispositivo. Min. est evidens, & prob. mai. Tum quia nullum esse quantumvis viale,

& incompletum, provenit ab aliquo efficiente complete nō existente; sed esse viale vltimæ dispositionis, povenit efficienter à forma: ergo vt complete existente.

Tum quia vltima dispositio consistens in actuali operatione, vt contritio vltimo disponens ad gratiam, in plausibili Thomistarum sententia, effectivè provenit à gratia, non vt principio dimanationis, sed veræ efficientiæ, & operationis: ergo licèt esse quod habet contritio pro priori causalitatis dispositivæ, esset solum viale, proveniret tamen à gratia complete existente, ac subinde dependente ab ipsa contritione in alio genere causæ.

347 Si iterum dicas, quod forma naturalis, & supernaturalis, possunt considerari, vel vt in fieri, & in via; vel in facto esse, & vt communicant perfecte suum effectum formalem subiecto, quod informant. Vltima dispositio procedit effectivè ab igne prout in fieri, causat tamen ipsum prout in facto esse habet esse completum.

348 Sed hæc solutio manet impugnata ex natura efficientis causæ, conveniente formis respectu suarum dispositionum. Et ita super contra illam insurgo 1. Imprimis hæc solutio non habet locum in forma supernaturali, cuius vltima dispositio est vera operatio, & actio, quæ nequit procedere effective à gratia, quin pro priori efficientiæ intelligatur gratia recepta in anima: ergo pro illo priori intelligitur in facto esse communicans animæ suum effectum formalem perfectum. Ant. const. Quia nequit forma supernaturalis influere effectivè in operationē, nisi vt quæ constituens animā proxime potentem influere media sui receptione, & informatione. Consequ. vero prob. Tum quia nequit intelligi gratia recepta in anima, nec forma in subiecto, quin intelligatur non solum actio, & fieri formæ, sed etiam passio, & receptio eius in passo: ergo intelligitur motus consummatus, & forma, quæ est terminus motus in facto esse. Tum quia per receptionem formæ in subiecto, subiectum quod est mobile, pervenit ad terminum *ad quem* ergo quiescit motus, & forma manet in esse quieto. Denique, quia forma recepta in proprio subiecto intelligitur extra omnes causas, etiam extra causam materialem: ergo intelligitur cum esse completo, & in facto esse.

349 Contra 2. Forma non solum prout in facto esse, sed etiam prout in fieri, est effectus vltimæ dispositionis ad-

stiam: ergo vltima dispositio accipit esse à forma in eo statu, in quo forma est effectus vltimæ dispositionis, ac subinde esse, quod habet vltima dispositio pro priori causalitatis dispositivæ, accipit effective à forma, quam materialiter causat. Probat. antec. Tum quia forma non solum vt sit, & conservetur, sed etiam vt fiat, & generetur, eget dispositionibus. Tum quia forma prout in fieri, non est præcissa actio generantis, sed est ipsum fieri passivum ipsius formæ; sed ad fieri passivum formæ, præcipue concurrunt dispositiones: ergo. Tum quia forma materialis, quæ educitur, dependet in suo fieri à materia; sed non à materia vt indifferenti ad omnes formas: ergo à materia determinata ad hanc formam; sed determinatio materiæ fit per dispositiones, præcipue vltimam: ergo forma prout in fieri est effectus vltimæ dispositionis.

350 Secundo Probat. idem assumptum, nempe quod sit inutilis status vialis, ad mutuam prioritatem causarum. Tum quia vt supra vidimus, inter probandam nostram conclusionem mutua prioritas, dependentia, & causalitas inter formam, & vltimam dispositionem, in sensu vero Thomistarum, non solum reperitur in prima introductione formæ, sed etiam in illius conservatione, vt vidimus in confirmationibus ad rationem principalem; sed in conservatione formarum in materia, non valet distingui, in forma, nec in vltima dispositione, aliquod esse viale, & incompletum, vel status aliquis vialis, quia conservatio supponit res in facto esse, & in suo esse completo: ergo.

351 Tum, quia ad salvandam mutuam prioritatem, & dependentiam causarum, non est necessarium in illis distinguere duplex esse realiter distinctum, aliud secundum, quod sint causæ, & aliud secundum quod sint effectus: hæc enim non est mutua prioritas in sensu Thomistarum, immò nec in vllo sensu, quia quælibet causa haberet suum effectum, qui quidem effectus quoad entitatem non haberet rationem causæ; essent enim duæ causæ, causantes duos effectus, sed non causæ mutuæ, nec hoc modo causare repugnaret inter duo, adhuc in eodem genere causæ. Mutua enim prioritas causarum, in sensu Thomistarum, & vero, salvatur per hoc, quod vna, & eadem entitas materialiter, admittat duas formalitates, secundum quas sit dependens ab alia, & alia ab ipsa dependeat, & ad hoc confugimus ad di-

ver-

versum genus causæ, quod necessarium non erat, si illud esse vel illa entitas, quæ habet rationem causæ alterius, nunquam posset habere rationem effectus illius, sed alia entitas distincta, vt videre est in omnibus exemplis, quæ in toto hoc artic. adduximus. Calor vt octo, vt effectus ignis, non habet esse reale distinctum realiter ab eo, quoad ignem disponit vltimo, & idem est de alijs.

352 Ex quibus omnibus infertur 1. quod vt salvetur mutua prioritas inter materiam, & formam, non requiritur quod in materia distinguatur duplex esse, realiter distinctum, aliud, quo sit causa materialis, aliud quo sit effectus formæ, aut acceptum à forma in genere causæ formalis: ergo idem esse reale exercitum, quod habet materia pro priori causalitatis materialis, potest idem entitative esse cũ eo, quod accipit à forma in genere causæ formalis, sine læsione prioritatis requisitæ ad causandum.

353 Infertur 2. quod si non repugnat, quod in eodem esse reali identificentur ratio causæ, & ratio effectu, in diverso genere causæ; nec repugnabit, quod in eodem esse reali subiecto essentiæ, identificentur ratio subiecti receptivi existentiæ, & prior illa in genere causæ materialis; & ratio effectus existentiæ in genere causæ formalis, & illa posterior in hoc genere.

354 Vidimus statum vialem in sensu, quo ab aliquibus, ex nostris, defenditur, minimè conducere ad salvandam prioritatem requisitam in causis ad causandũ. Videamus iàm qualiter doctrinam Thomistarum firmiorem, & principijs metaphisicæ magis conformem, evertat. Imprimis firmior doctrina Thomistarum, & principijs metaphysicę magis conformis, est illa, quæ in materia prima nullum verum esse viale exercitum admittit, non proveniens à forma substantiali, de cuius ratione est dare non solum esse tale, sed esse absolute, & esse omnino primum, quod idem est, ac esse substantiale, vt in superioribus late probatum est, & præcipue rationibus, quibus in 1. Physic. probavimus materiam ex se, & independenter à forma substantiali, nullum actum entitativum, seu nullam actualitatem exercitam, & Physicam essentiæ habere: vbi effugium horum terminorum, *actualitas incompleta, aut vialis*, laté reijcimus. Sed status vialis in sensu horum Authorum, nihil aliud est, quam actus entitativus ex se conveniens materiæ independen-

pendenter à forma, tanquàm à vera causa formali: ergo status vialis in hoc sensu, doctrinæ firmiori Thomistarum, & principijs Metaphysicæ magis conformi, adversatur. Veritas maioris constabit penetranti efficaciam rationum, quibus actum entitativum materiæ in Physica denegavimus. Min. etiam constat. Nam status vialis cōsistens in aliquo esse exercito viali identificato cum entitate materiæ, convenienti materiæ ex se, & non per formam, tanquam per causam formalem in recto, & quo redditur capax recipiendi formam, quid aliud est, nisi actualitas essentiæ materiæ exertita, incompleta tamen vsque dum adveniat forma? Et quid aliud est actus entitativus materiæ, nisi hoc vltimum.

355 Præterea illud esse exercitum, vel actualitas exercita essentiæ, conveniens materiæ ex se pro priori, & independenter à forma, sed vt in via ad ipsam, & præcisse prout subijcitur efficienti, est idem realiter cum esse exercito, vel actualitate exercita essentiæ, conveniente materiæ in facto esse, quia eodem esse reali, quo materia est proxime capax recipiendi formam, recipit illam, & manet sub illa; sed esse reale exercitum materiæ, quo in facto esse sub est formæ, est effectus formæ in genere causæ formalis: ergo etiam esse viale exercitum materiæ est effectus formæ in genere causæ formalis. Min, const. alias materia quoad suum esse subiectivum exercitum non dependeret à forma adhuc prout in facto esse, & sic forma non daret materiæ primum esse absolute, sed secundum, quod est fundamentum antiquorum negantium formas, & generationes substantiales, vt vidimus supra artic. 1. & loco citato ex 1. Physic. conseq. verò prob. Tum, quia dependentia quam habet esse subiectivum materiæ à forma substantiali, est essentialis; sed esse subiectivum materiæ est idem realiter, & essentialiter in via, & in facto esse: ergo si in facto esse est effectus formæ, etiam prout in via. Tum quia difficile percipitur, quod in eodem instanti reali, idem esse sit realiter dependens, & independens ab eadem illius causa essentiali.

356 Si dicas, quod esse viale materiæ respectu formæ, & essentiæ respectu existentiæ, dependeat à forma, & existentia, prout tam forma, quam existentia habent esse viale, & in fieri.

357 In contra est 1. ergo tam materia, quam essentia adhuc in statu viali, sunt effectus formæ, & existentiæ, prout for-

forma, & existentia sunt in fieri; sed forma, & existentia in fieri adhuc, causantur à materia, & essentia in genere causæ materialis subiectivæ: ergo vel debet distingui alius status vialis in materia, & essentia, respectu formæ, & existentiæ prout in fieri, vel status vialis minime est necessarius, ex capite prioritatis requisitæ in materia, & essentia, ad causandum materialiter formam, & existentiam. Min. probat. Nam in forma, quæ educitur de potentia materiæ, negari nequit dependentia formæ in fieri à materia, quę dependentia sine concursu materiæ in formā prout in fieri, non salvatur, & idem proportionabiliter dici potest de essentia respectu existentiæ.

358 2. ergo iam esse viale materiæ, & essentiæ non convenit illis præcisse, prout subijciuntur efficienti, sed etiam prout subijciuntur formæ, & existentiæ saltem in fieri: ergo esse viale non convenit materiæ, & essentiæ, à se, & ex se prout præcisse connotat actionem agentis; sed habent illud à forma, & existentia saltem in fieri; cuius contrarium asserunt prædicti Authores.

359 Denique in essentia respectu existentiæ, status vialis prout ab his Thomistis adstruitur, præbet robur argumentis, quibus Auth. loc. distinctionem essentiæ ab existentia impugnant, & nullam, nisi apparentem admittunt solutionem, semel admisso (vt admittunt aliqui ex nostris defendentes statum vialem) *quod essentia cum sit indivisibilis, quantum ad prædicata essentialia, & quantum ad esse essentiæ, pro illo priori ad existentiam, quo terminat actionem agentis, est totaliter extra causas quantum ad esse essentiæ; & ex parte sui, licet non sit totaliter extra causas quantum ad esse vltimum existentiæ.*

360 Hoc igitur admisso, nihil plus desiderant Authores Socie. vt superfluitatem existentiæ superadditæ essentiæ convincant (videantur argumenta, quæ contra distinctionem essentiæ ab existentia adduximus in 1. Physicorum) si enim essentia quoad suum esse exercitum essentiæ, est complete extra causas pro priori ad existentiam, quem effectum formalem pręstabit existentia? Non constituere essentiam complete extra suas causas, quia esse essentiæ est complete extractum pro priori ad existentiam: non complete actionem agentis, quia actio agentis completa intelligitur pro omni signo pro quo ponit effectum extra causas totaliter. Nam dare esse vltimum,

& vltimam actualitatem ipsi essentiæ: nam vel essentia dependet à tali vltimo esse, & vltima actualitate, vt in rerum natura sit absolutè, vel non. si primum: ergo essentia proprio-ri ad existentiam, non habet suum esse exercitum essentiale totaliter extra causas, quia quoties aliquid dependet ab aliqua forma, vt sit absolute in rerum natura dependet ab illa, tanquam à causa sui esse, quo circa propiori ad illam, non est totaliter extra omnes suas causas. Si secuudum, erit existentia chymærica, quia chymæra est existentia, à qua essentia nō dependet vt sit in rerum natura absolutè.

361 Confirmatur esse exercitum essentiæ, vel potest esse, & conservari in rerum natura sine esse completo existētiæ, vel non. Si Primum erit existentia chymærica, quia chymæra est aliquid esse, & conservari sine existentia. Si secundum: ergo esse exercitum essentiæ, dependet ab existentia, tanquam à causa sui, quia causa est id, à quo aliquid dependet vt sit, & conservetur: ergo propriori ad existentiam, adhuc quantum ad esse essentiæ, non est totaliter extra omnes causas à quibus dependet: ergo pro priori ad existentiam, vel debet esse etiam extra causalitatem formalem existentiæ sub aliqua consideratione, vel extra nullam causam; quia essentia, & esse exercitum illius, cum sit indivisibile, vel totaliter est extra causas, vel totaliter intra illas. Idem argumentum in esse viali materiæ formatur, cum indivisibile sit, vtpote esse exercitum suæ essentiæ. Confirm. 2. ergo existentia non habet pro effectu formali constituere essentiam totaliter extra causas, quo ad esse exercitum essentiæ: ergo solum constituit se ipsam formaliter extra causas: ergo solum sibi ipsi est ratio existendi, non vero essentiæ, quia eadem est ratio existendi rem, & constituendi illam totaliter extra suas causas.

362 Ex dictis infertur 1. rationes quibus statum vialem impugnavimus in 1. Physic. q. 3. art. 5. ad 1. difficile solvi, vsu horum terminorum, *vialiter, incompletè, infieri*, quibus si ex parte rei significatæ aliquod verum esse correspondet, prius, & independens à forma, & existentia, tanquam à veris causis formalibus, nulla illarum rationum, seu impugnationum solvitur; & facile instaurantur, vt medianti efficaciam illarum constabit.

363 Infertur 2. doctrinam ibidem à nobis adductam ad explicandam prioritatem à quo requisitam, & suffi-cien-

cientem in causis, ad causandum non evertere, sed potius firmare doctrinam firmiorem Thomistarum. Tùm circa mutuas prioritates. Tùm circa quidditatem materiæ, & formæ substantialis. Tùm circa generationem substãtialem. Tùm circa distinctionem essentiæ ab existentia, ac denique circa plura alia tàm Theologica, quam Philosophica, vt exemplis ibi comprobavimus, & præcipue in subiecto quantitatis ibidem adducto, in quo si non admittatur aliqua extensio vialis substantialis pro priori ad quantitatem (quam ægrè admittet cõmunior Thomistarum sententia) difficillime explicabitur effectus formalis quantitatis, & subiectum capax ad illum recipiendum, sine recursu ad nostram doctrinam.

364 Contra quam non obstat 1. Quia si materia ante formam intelligitur existens cõplete, & formaliter, ante formã etiã intelligitur cũ vltimo actu, qui est existẽtia: ergo ante formam intelligitur cum primo actu, qui est ipsa forma, ac per consequens ante formam intelligitur cum ipsa forma, quod est chymæra.

2. Materia pro priori ad formam nequit habere effectum formæ, ergo nec existentiam. Prob. ant. Effectus formalis formæ, est ipsa forma communicata formaliter; sed nequit materia ante formam intelligi cum forma pro illo priori, alias intelligeretur prior & non prior forma: ergo.

3. Pro priori, quo materia præcedit formam, præcedit etiam existentiam: ergo etiam præcedit effectum existentiæ: ergo pro illo priori non intelligitur existens, alias intelligeretur existens, ante effectum existentiæ.

4. Implicat subiectum ante formam intelligi, cum effectu formali formæ, sicut album ante albedinem, intelligens, ante intellectionem, & substantia quantificata, & extensa, ante quantitatem: ergo pariter.

Denique, doctrina nostra laborat in æquivoco, nam aliud est, materiam pro illo priori intelligi sine existentia, aliud vero non inteligi cum illa, primum est falsum, quia materia nequit intelligi sine illo, quod habet pro instanti reali temporis. Secundum est verum, quia materia pro illo priori non dum intelligitur cum forma, quam antecedit prioritate naturæ, ac subinde nec cũ existentia.

365 Hæc enim facilima sunt, si natura prioritatis à quo sufficientis in causis, ad causandum, sincere penetretur; hæc non petit, quod causa

medio aliquo esse reali independenti ab effectu, sit prior ipso effectu; aliàs causæ in diverso genere, non essent ad invicem causæ in sensu Thomistico; sufficit enim quod idem esse reale, quod in vno genere causæ est effectus, in aliquo genere faciat suam causam ab ipso dependere; ac subinde poterit causa propter dependentiam à suo effectu in diverso genere, indigere suo effectu, vt posit illum proximè causare: vt in exemplis adductis pro mutua prioritate videri potest. Si enim causa potest indigere suo effectu, vt posit illum proximè causare, poterit effectus intelligi pro illo priori, quo causa est potens proximè causare; licet non vt constituens rationem causandi, nec constituens causam priorem illo, bene tamen concommitanter, & per modum conditionis.

366 Et quod hoc sit necessarium in materia, & essentia, respectu formæ, & existentiæ, si serventur principia firmiora Thomistica, constat: firmior enim doctrina dictat, nullam causam realem esse potentem proximè causare in suo genere, nisi habet aliquod esse actuale exercitum extra statum posibilitatis, quod quidem est conditio generalis omnibus causis. Deinde firmior doctrina tenet, esse actuale exercitũ omnium rerũ esse effectum formalem existentiæ; sicut, & extrahere illas extra statum posibilitatis, non effectivè, sed formalitèr intrinsecè, vel mediante forma, si res est pura potentia, vel immediatè, si sit essentia completa. Rursus est firmior, imò & certa doctrina, quod in omni signo, & priori pro quo intelligitur effectus formalis alicuius formæ, intelligitur ipsa forma.

Ex quibus subsumo, materia nequit intelligi potens proximè causare realitèr formam, nisi intelligatur cum aliquo esse reali actuali exercito extra statum posibilitatis, saltem tanquam conditione; sed omne esse reale actuale exercitum materiæ extra statum posibilitatis est effectus formalis existentiæ mediante forma: ergo nequit intelligi materia potens proximè causare formam, non intellectu effectu formali formæ, & existentiæ, saltẽ tanquam conditione; sed effectus formæ nequit intelligi pro aliquo signo, non intellecta forma: ergo de primo ad vltimũ, nequit intelligi materia potens proximè causare formam, & existentiam pro priori ad ipsas; quin pro illo priori intelligantur forma, & existentia, saltem vt conditio.

Vnde materia potens proximè causare formam, & in via,

via, & prior forma dicit duo, & entitatem intrinsecam puræ potentiæ, & quod hæc non sit purè possibilis, sed in esse exercito, & actuali: primum est ratio formalis causandi, & constituendi materiam priorem forma, & habet materia ex se, independenter à forma: secundū licèt identificatum cum primo, est conditio tantum necessario concommittans materiam, vt possit proximè causare, quam materia habet ab effectu suo, qui est forma, & existentia: quare via, seu prioritas materiæ ad formam, non explicat statum aliquem constitutum medio aliquo esse viali priori, & independenti à termino, vel effectu; sed præcisè explicat munus, vel formalitatem eiusdem entitatis secundum quam illa entitas non explicat dependentiam à forma, vel effectu, sed potius quod forma ab ipsa dependeat; & sic via, & prioritas materiæ ad formam, non tam exprimit esse reale, quod omnibus modis sit prius, & in via, quam munus, & formalitatem eiusdem esse vialis, quod sub alia formalitate, est posterius, & in termino.

367 Ex his ad 1. instantiam dicimus, quod ly *ante* in stricta acceptione plus exprimit, quam prioritas *à quo* naturæ, & causalitatis, exprimit enim antecedentiam absolutam, & omnibus modis, quia solum illud, quod omnibus modis est prius alio dicitur propriè esse ante illud, & abusu terminorum solet multoties veritas, cum falsitate æquivocari, & latere eos, qui in sonitu vocum difficultatem inveniunt, & ibi sistunt. Si autem ly *ante* sumatur præcisè pro antecedentia, & prioritate *à quo*, supra explicata, dicimus quod materia ante, vel pro priori ad formam, & existētiam, est existens, & cum forma, non quod forma, & existentia constituāt materiam priorem, & causam illarum, sed quod sint conditio, qua pro illo priori non intellecta, nec materia esset prior nec causa illarum pro illo priori. Vel aliter, materia pro priori ad formam nequit intelligi, cum forma adæquatè sumpta, & sub omni consideratione, concedo, cum forma inadæquatè, & sub aliqua consideratione, sub disting. cum forma vt constituente materiam causam, & priorem ipsa, concedo, vt conditione vt materia sit prior, & causa formæ, nego per quod pat. ad 2. & 3. instantiam.

368 Ad 4. dicimus, quod non omne subiectum formæ, indiget ipsa forma tanquam conditione, qua redditur proximè capax ad illam recipiendam,

dam, vt pat. in subiecto albedinis, intellectionis, & aliorũ accidentiũ, ad quorum effectum formalem, subiectũ ex se, & in propria linea habet sufficientem proportionem, & capacitatem; hoc autem non tollit, quod sint aliæ formæ, vel accidentia, quorum effectus formalis sit talis conditionis, vt ipsa forma, vel effectus formalis debeat præsupponi ex parte subiecti sub vna consideratione, vt reddatur proximè capax ad recipiendam illam formam, vel effectum formalem sub alia consideratione; vt patet in subiecto quantitatis adducto in instantia.

369 Ad vltimam dicimus, quod æquivocatio potius est in doctrina contraria, dum ita formam, ante formam, & existentiam ante existentiam intelligit, vt nec in forma, nec in existentia, munera, & considerationes distinguit, secundum quas, & possint esse effectus materiæ, & conditio; vt materia sit capax proximè illas causare; quæ distinctio munerum, non æquivocationem, sed claritatem præbet doctrinæ admittenti mutuas prioritates, in qua instantiæ, contra nos factæ, instantur: si enim vltima dispositio, quæ est effectus formæ est conditio necessaria, vt materia sit proximè capax causare ipsam formam; cur esse reale exercitum materiæ quamvis sit effectus formæ, & existentiæ, non poterit esse conditio, vt materia sit proximè capax formã, & existentiã causare? Et sic materia pro priori ad formam, & existentiam, non solum non potest intelligi sine illis, sed debet intelligi cum illis, vt conditione necessariò concomittante.

QVÆST. II.

De Corruptione.

1 QVæstio præsens annexa est præcedenti, in qua de generatione substantiali, late disputavimus cui opponitur corruptio substantialis, & oppositorum eadem, vel ad minus debet esse connexa scientia, & disciplina vt vnũ ex alio magis innotescat.

ARTIC. I.

Quid sit corruptio substantialis?

2 LOquimur de Corruptione substantiali, quæ dicitur talis simpliciter, ratione termini, qui est non esse formæ dantis esse simpliciter, ad differentiam corruptionis accidentalis, terminatæ ad non esse formæ dantis esse acci-

dentale, & secundum quid; proportione servata ad ea, quæ diximus de generatione substantiali dicta simplicitèr ratione termini, qui est esse simplicitèr, & substantiale.

3 Eisdem fere rationibus, quibus Philosophia assequitur dari generationem substantialem, convincit dari substantialem corruptionem. Cum enim ex ligno fit ignis, experimur ibi, tàm ex parte ligni, quàm ex parte ignis, maiorem variationem, quam accidentalem, consistentem in eo, quod ad adventum substantiæ ignis, lignum quoad suam formam substantialitèr deficit. Præterquamquod cum materia sublunaris sit incorruptibilis, & capax omnium formarum, duasque simul habere nequeat, est necessarium quod vna adveniente, alia recedat, quod vnius generationem alterius corruptio committetur, vt per generationem, & corruptionem, continue succedentes, materia prima perpetuo conservetur.

§. I.

Diffinitio corruptionis.

4 Aliqui Recentiores corruptionem diffiniunt: Quod est, *desitio rei in aliam*, alij quod est, *desitio entis dependentis à subiecto.* Per primam particulam dicunt corruptionem convenire cum anihilatione, & per secundam ab illa differre, quia anihilatio est, *desitio rei in nihil.* Et quando eis obijcitur, quod in transmutatione Eucharistica est desitio rei in aliam; Respondent substantiam panis in Eucharistia corrumpi.

5 In secunda definitione illam particulam, *dependentis à subiecto præsupposito*, aiunt, denotare corruptionem solum esse entis producti per generationem: & quando obijcitur, quod hoc convenit formæ panis desinentis per consecrationem. Respond. quod desitio panis in Eucharistia partim est corruptio, quia est desitio formæ panis generatæ, & partim est anihilatio, quia simul est desitio materiæ panis creatæ. Inferunt ex his corruptionem non esse essentialitèr mutationem, quia in Eucharistia panis corrumpitur, non manente materia, vel subiecto ad mutationem exacto.

6 Imprimis prædictę diffinitiones vitiantur novitate, relicta diffinitione Antiquorum Philosophorum, cum Aristotel. & D. Thom. aliter diffinientium. Deinde quia diffinitiones debent esse communes sapientum conceptiones, inde-

pend

ntes ab his, quę cadunt opinione, quod in prędictis diffinitionibus non servatur.

7 Præterea si Deus suspenderet concursum conservativum materiæ primæ manentibus accidentibus, vt potest, esset desitio rei in aliam, & tamen non esset corruptio, quia materia sicut est ingenerabilis, ita est incorruptibilis: ergo 1. diffinitio convenit alijs à diffinito.

8 Rursus Si Deus anihilaret formam materialem saltem accidentalem, daretur desitio entis dependentis à subiecto, aut producti per generationem, & tamen proprie non esset corruptio: ergo 2. diffinitio est mala.

9 Denique contra vtramque facit, quod per consecrationem non fit corruptio, sed transsubstantiatio, vt loquuntur concilia, & desitionem panis esse anihilationem, tenet opinio Scoti: ergo illæ diffinitiones includunt, vel aliquid falsum, vel cadens sub opinione; vitium quidem notabile in diffinitionibus.

10 Quare melius cum Philosoph. 5. Physic. & D. Th. ibidem lect. 2. diffinitur corruptio. Quod est *mutatio ex subiecto in non subiectum*, vbi ly *subiectum*, vt ibidem notat Div. Thom. & q. 28. de Verit. artic. 1. non sumitur pro suppositio, vel substantia sustinente aliquã formam, sed pro ipso esse, vel non esse rei, seu affirmatum, vel non affirmatum, quia iuxta Philos. 11. metaph. cap. 10. omne id, quod affirmativè significatur, dicitur subiectum.

Est enim corruptio vera, & realis mutatio, de cuius ratione est, quod aliquid idem se habeat alitèr nunc, & prius, ac subinde quod maneat idem subiectum sub vtroque termino, & in corruptione eadem materia, quæ erat sub forma, manet sub carentia illius, & quidem non solum aliquid vere mutatur, quando adquirit formam, sed etiam quando eam amittit, immo tunc maximè apparet mutatio, quia tunc maximè verificatur, quod subiectum aliter se habet nunc, quam prius.

11 Differt enim corruptio ab anihilatione (quia qualiter differat à generatione §. sequenti dicemus) quia anihilatio non est mutatio proprie dicta, sicut nec creatio, licèt significentur per modum mutationis: quod constat, quia anihilatio oponitur creationi, & sicut in creatione non est subiectum, quod transeat de non esse ad esse, quia est productio prima, & emanatio vniversalis totius esse consequenterque non est strictè mutatio; ita anihilatio non est desitio rei concurrente aliquo

subiecto, quod maneat sub nō esse rei; sed suspensio totius cōcursus divini dantis totum esse rei, quod cum non fiat in aliquo subiecto quod maneat, non est vera mutatio.

12 Sed contra diffinitionem, & eius explicationem, oppones 1. Quod non est verū ens, non ens vera mutatio; sed corruptio non est verū ens: ergo nec vera mutatio. Mai.const at: quia vera mutatio est aliquid reale, & quod non habet esse reale, nequit habere hoc esse reale, quod est mutatio. Minor prob. Corruptio est via ad non esse: ergo non est verum ens reale. Pat. cons. Quia via reducitur ad genus sui termini.

13 Disting. min. Corruptio non est verum ens positivum, concedo min. Non est vere à parte rei inventa, & aliquid privativū, neg. min. Sicut productio passiva est ipsum fieri entitatis formæ; ita corruptio est ipsum non fieri passivū, vel ipsum fieri privationis formæ; fieri vero privationis, non minus est privatio, quam ipsū non esse formæ: quod nō obstat vt sit vera mutatio realis, si distinguatur, & id quod est reale, tanquā quid positivum, & id quod est reale, hoc est à parte rei inventū, licèt à parte rei nō ponat, sed auferat; sicut dicimus tenebras, & cæcitatem dari à parte rei, quia non fictè, sed vere inveniunt

14 Sed instas 1. ... tio est species motus com... ter dicti, ac subinde actus ... tis in potentia, secundum quod in potentia: ergo mutatio vera nequit esse privatio, & consequenter, si corruptio est privatio, non erit vera mutatio.

15 2. Motus proprie dictus componitur ex desitione termini *à quo*, & adquisitione termini *ad quem*; sed motus proprie dictus, cum sit ens positivum nequit componi ex privatione: ergo desitio termini *à quo*, quod idem est ac corruptio, non est privatio.

16 3. In communi sententia Thomistarum, & nostra in Physica, motus licèt non entitative, modaliter tamen differt à termino *ad quem*: ergo corruptio si est mutatio importat aliquid saltē modaliter distinctum à privatione formæ, quæ est terminus *ad quem*: ergo corruptio non est privatio, si est mutatio, pat. conseq. quia excogitari nequit cuius privatio sit, nisi formæ: ergo si vt mutatio non est privatio formæ, vt mutatio non erit privatio.

17 Ad 1. dicimus, quod mutatio adquisitiva est species motus diffiniti ab Arist. secus vero mutatio corruptiva, quæ non est actus; nec via ad actum; sed potius remotio il-

illius. Vel quod per ly, *actus entis in potentia*, non sumitur actus strictè positivus, sed via ad aliquem terminum præscindēs ab eo, quod sit quid positivum, aut privativum.

18 Ad 2. dicimus, quod motus proprie dictus, secundum id, quod dicit in recto, solum importat acquisitionem formæ, & sic est aliquid positivum, secundum id vero, quod dicit in obliquo, non inconvenit includere privationem; desitio termini *à quo* importatur à motu in obliquo.

19 Ad 3. resp. quod sicut calefactio, non est alia entitas distincta à calore, sed via ad calorem, & fieri ipsius caloris significatum per modum quendam vialem: ita decissio frigiditatis, aut corruptio, non est alia privatio, à privatione frigiditatis, aut formæ, sed privatio in fieri ipsius frigiditatis, aut formæ significata per modum quendam vialem privativum.

20 Oppones 2. Potest Deus anihilare formam materialem, non anihilata materia prima: ergo corruptio non differt ab anihilatione per hoc quod illa sit vera mutatio, non vero ista. Pat. conseq. Quia in illo casu anihilationis solius formæ manet materia sub vtroque termino.

21 Resp. quod anihilatio formæ materialis substantialis non facile percipitur nō anihilata materia, quia ad anihilationem non sufficit, quod rei, quæ desinit, nihil maneat; sed vltra quod nullus alius terminus positivus illi adiungatur, vel illi succedat, quo circa quamvis desitio panis in Eucharistia sit totalis, hoc est quoad formam, & materiam, non est anihilatio, quia non desinit in nihil, sed in aliquid positivum, scilicèt in corpus Christi. Si autem forma materialis desinit, permanente materia, necessariò debet adbenire materiæ nova forma, sine qua in nostra sententia, materia pro nullo instanti permanere potest, ac proinde prima forma, non desinit in nihilum.

§. II.

Qualiter generatio vnius, sit corruptio alterius.

22 PHilosophi axioma est hic textu 17. & 3. Physic. text. 73. *Quod generatio vnius, est alterius corruptio*, & quærimus sensum in quo verificetur. Pro quo adverte, quod vt in superioribus vidimus, in generatione reperitur triplex formalitas, actionis, motus, & passionis, & vt videamus, an generatio vnius, sit corruptio alterius secundum aliquam, vel

vel secundum omnes has formalitates, opportet prius videre, an aliqua, vel omnes istæ formalitates conveniant corruptioni, quia si nulla formalitas propria generationis, convenit corruptioni, non apparet facile qualiter generatio posit esse corruptio.

23 Imprimis formalitatem actionis non convenire corruptioni, tenent omnes, qui vt supra vidimus, diffiniunt corruptionem, per desitionem, quæ est propriè carentia actionis, & ex nostris PP. Carmelit. Per oppositum Caiet. & Bañez videntur asserere corruptionem esse actionem formalitèr, indistinctam tamen ab actione generativa.

24 Melius videtur dicendum, *corruptionem non esse actionem formalitèr, esse tamen actionem virtualitèr, sed in distinctam realitèr ab actione generativa.* Primam, & secundam partem tenent Ioan. à S. Thom. & Prado. Prima pars prob. Omnis actio transiens formalitèr talis, est vera efficientia, & productio: ergo alicuius veri esse, sed corruptio formalitèr est ad non esse: ergo corruptio non est formalitèr actio.

25 2. Pars etiam prob. Nam qui positivè efficit aliquid incomponibile cum alio, dicitur effectivè illud corrumpere; sed per actionem generativam efficitur forma substantialis incomponibilis cum alia, in eadem materia: ergo actio generativa, est virtualitèr corruptio.

Confirmat. nam forma, quæ est terminus actionis generativæ, continet virtualitèr saltem terminativè actionem sui factivam; sed forma prout sic importat incompossibilitatem alterius formæ: ergo actio factiva vnius formæ, virtualitèr tangit expulsionem alterius, non ratione sui formalitèr, sed ratione formæ effectæ, quæ continet virtualitèr actionem.

Ex quo infertur clarius, qualiter corruptio differat ab anihilatione: illa enim non cōsistit præcisè in suspensione concursus, aut operationis agentis naturalis, sed in efficientia formæ incompossibilis cū alia, quæ efficientia est virtualiter alterius formæ corruptio: anihilatio verò est mera suspensio concursus divini.

26 3. Deniquè pars constat ex dictis, & ex D. Thoma 1. 2. quæst. 115. art. 6. ad 2. Vbi generationem, & corruptionem apponit pro exemplo ad explicandam infusionem gratiæ, & remissionem culpæ, de quibus asserit, *quod secundum ipsam substantiam actus, idem sunt.*

27 Dicendum est 2. *Generationem, & corruptionem esse*

esse duas mutationes. Est omnium Thomistarum, cum Div. Th. loco immediate citato, & q. 28. de Verit. art. 2. Probat. 1. Generatio (saltem illa, quæ fit virtute agentis naturalis) est mutatio vt vidimus quæst. præced. corruptio, vt immediate ante vidimus est etiam vera mutatio, sed mutatio generativa, non est eadem cum corruptiva: ergo generatio, & corruptio, sunt duæ mutationes. Prob. min. Quoties termini *à quo, & ad quē* sunt distincti, mutationes sunt distinctæ; sed termini *à quo, & ad quē* generationis, nēpè à non esse ad esse, omninò differunt à terminis corruptionis, nempè ab esse, ad nō esse: ergo.

28 2. Quoties sunt quatuor termini, non est vnica, sed duplex mutatio; sed in generatione vnius formæ coniuncta cum corruptione alterius, sunt quatuor termini: ergo est duplex mutatio. Maior constat, quia ad vnicam mutationem duo termini sufficiunt *à quo* scilicèt, & *ad quem*. Minor vero probat. Generatio cum corruptione coniuncta, necessariò involuit transitum de forma antiqua ad non esse illius, & de non esse formæ novæ, ad novam formam; sed hi sunt quatuor termini: sicut motus calefationis importat duplicem mutationem, quia in voluit transitum de frigido, in non frigidū, & de nō calido, in calidum, qui sunt quatuor termini: ergo.

29 Ex his infertur in quo sensu verificetur illud axioma Philosophi: *Generatio vnius est, corruptio alterius.* Imprimis in nullo sensu est verum, si illa indefinita æquivalet vniversali, quia de conceptu omnis generationis non est supponere aliam formam in materia, immo nec privationem veram, qua ratione generationem esse essentialitèr mutationem negavimus.

Generatio vero, quæ fit virtute agentis naturalis, & quæ supponit materiam prius tempore sub alia forma, est corruptio alterius, & in sensu identico, & in sensu causali, seu concommittanti. Generatio vnius est corruptio alterius in sensu identico, si considerentur in ratione actionis. Patet ex secunda assertione, in qua diximus actionem formalitèr generativam, esse virtualitèr corruptivam. Generatio vnius, est corruptio alterius, in sensu causali, & concommitanti, si considentur in ratione mutationis, hoc est, vel quia generatio, & corruptio de necessitate sunt simul, vt ait D. Thom. quæst. 28. de Verit. à 6. ad vltim. vel propter connexinem, vel successionem formarum,

inter quas datur mutuus ordo prioris, & posterioris in diverso genere causæ, formæ corruptæ expulsio est prior in genere causæ materialis, forma autem generata, est prior in genere causæ formalis, qui mutuus ordo servatur inter ipsas mutationes. Recolantur adhoc ea, quæ diximus art. 9. quæst. præcedenti, circa mutuas prioritates, inter formam corruptam, & genitam.

§. III.

Diluuntur argumenta.

30 Contra vtramque assertionem præcedētem, obijcies 1. Vbi est sola vna actio, ibi est vna sola mutatio: ergo vel generatio, & corruptio non sunt eadem actio, vel sunt eadem mutatio; ac subinde vna ex duabus assertionibus falsa est. Prob. ant. 1. nam mutatio; sicut, & motus prout ab agente, nihil aliud est nisi actio: ergo vbi est vna actio, est sola vna mutatio.

31 2. Ideò generatio, & corruptio sunt eadem actio, quia expulsio formæ antiquæ est terminus secundarius productionis novæ, & actiones non multiplicantur penès terminos secundarios; sed etiam ad esse novæ formæ, qui est terminus primarius mutationis generativæ, consequitur non esse formæ antiquæ, vt terminos secundarius: ergo ad istos terminos non debet distingui duplex mutatio.

32 Confirm. quia corruptio non est de primaria intentione agentis, non est actio distincta a generatione; sed etiam terminus *ad quem* corruptionis, nempè non esse formæ, non est de primaria intentione agentis, vt mutantis: ergo non petit novam mutationem, sed sufficiet mutatio generativa, quæ per se primo terminetur ad formam novam, & secundario ad non esse formæ præexistentis.

33 3. In communiori sententia Thomistarum, actio non differt realitèr à passione, & motu: ergo si generatio, & corruptio sunt idem in ratione actionis, etiam in ratione motus, aut mutationis.

34 Nego: primum ant. ad 1. prob. dist. ant. mutatio primario intenta ab agente, prout ab ipso est actio, conc. ant. mutatio quæ est de secundaria intentione agentis, nego ant. cum autem omnis actio formalitèr tendat ad communicandum esse, solum ille motus, vel mutatio, quæ terminatur ad esse, prout ab agente, erit actio; quia vero res non solum mutantur, dum acquirunt esse, sed etiam, & potiori iure dum illud amittunt, fit vt mutatio terminata ad non es-

se.

se, sit vera mutatio, quin sit vera actio.

34 Ad 2. nego min. ad mutationem adquisitivam novæ formæ non sequitur, vt terminus secundarius, non esse formæ antiquæ, hoc enim est terminus per se *ad quem* alterius mutationis, quam infert productio novæ formæ: sicut terminus volitionis, non est terminus secundarius intellectionis, sed terminat volitionem, quam infert intellectio; & quo ad hoc patet disparitas inter actionem, & mutationem, nam actio cum sit productio, non potest primario ad non esse terminari, mutatio vero cum sit transitus, potest terminari ad non esse: prætterquamquod ad non esse potest pervenire sine novo influxu, sed non sine novo transitu, vel mutatione.

36 Ad confirm. omissa mai. & min. neg. conseq. quia licèt nova actio non possit esse de secundaria intentione agentis, bene tamen nova mutatio, & ratio est, quia vbi est nova actio transiens, ibi adest terminus per se productus, vbi autem est nova mutatio, non statim reperitur terminus per se adquisitus: vt si Deo impediente resultantiam frigiditatis in aqua, postea sublato impedimento resultaret, esset ibi nova mutatio, quamvis frigiditas sit de secundaria intentione agentis, vtpotè resultans ex vi generationis primario terminatæ ad substantiam aquæ.

37 Ad 3. dicimus, in nostra sententia distinguente realitèr actionem, motum, & passionem, non vrgere. In sententia vero hæc tria identificante, sicut actio est vna, ita & motus proprie sumptus est vnus, & passio vna, & quamvis motus sit vnus, includit tamen duplicem mutationem, vnam in recto, scilicèt adquisitivam, cum qua actio, in hac sententia, identificatur, aliam privativam, quam importat de connotato, cum qua nec actio, nec motus proprie talis identificatur.

38 Obijcies 2. Si generatio, vt actio, identificatur cum corruptione, nihil ei deficit, vt sit verus motus; sed oppositum docet Philosoph. in 5. physic. cap. 1. ergo. Sequela prob. verus motus est à termino *à quo* positivo, ad terminum *ad quem* positivum; sed illa actio, qua parte est corruptio, habet pro termino *à quo* formam positivam, & qua parte est generatio habet pro termino *ad quem* formam positivam: ergo versatur inter terminos positivos: ac subinde erit verus motus.

39 Nego sequel. ad

pro-

prob. dist mai. verus motus est à termino positivo, ad terminum positivum per se, conced. mai. per accidens, nego mai. & disting. min. eodem modo, & nego conseq. productio novæ formæ per generationem per se connaturalitèr solùm petit pro termino à quo privationem, quod autem hæc privatio non posSit esse in materia, nisi hæc prius tempore præcedat sub alia forma, hoc per se non petitur ex conceptu actionis generativæ; sed vt fiat satis existentiæ materiæ non potentis existere sine forma; vnde sicut generationem includere duplicem mutationem, convenit illi per accidens, ita versari inter terminos positivos: & sicut motus strictus per se includit duplicem mutationem, ita per se versatur inter terminos positivos.

40 Sed inquires, cur accidit quod sit sub forma ligni id, quod acquirit formā ignis, & nō accidit, sed per se debet esse frigidum id, quod movetur, aut mutatur in calidum?

Cui interrogationi fiet satis; distinguendo duplicem adquisitionem caloris, alia est per resultantiam, & cum primo generatur ignis: & tunc adquisitio caloris, non petit per se præsupponi ad frigiditatem: alia est adquisitio caloris per motum alterationis per se primo terminatum ad colorem, & tunc adquiritur successivè, proindeque secundum quod est forma habens latitudinem gradualem, cum autem negatio, aut privatio, non possit deseri successivè (inter privationem namque, aut negationem formæ, & formam, non datur medium) necessariò terminus *à quo* derelictus in motu stricto, & successivo, debet esse aliquid positivum, & contrarium, habens similitèr latitudinem. Adquisitio autem novæ formæ substantialis, nequit fieri successivè, ac subinde non petit ex parte termini *à quo* cōtrarium, aut aliquid positivum, et dum movetur materia ad formam, partim sit in termino *à quo*, & partim extra illum; quo ci calicèt adquisitio caloris per motum alterationis, supponat per se contrarium, & terminum *à quo* positivum, illum non petit, nec per se supponit formam ligni, acquisitio ignis.

41 Obijc. 3. Cum aer illuminatur, sunt quatuor termini & tamen est vnica mutatio. ergo quamvis in generatione cum corruptione coniuncta, sint quatuor termini, non erit duplex mutatio, sed vnica, min. pat. quia tenebræ nihil sunt, & ideò nulla forma corrumpitur, cum lux generatur, mai.

mai. vero probat. Quia non esse lucis, & esse lucis, sunt duo termini oppositi contradictorie in generatione lucis: Similitèr esse tenebrarum, & non esse illarum, sunt allij duo termini, cum tenebræ expelluntur: ergo.

42 Disting. mai. Sunt quatuor termini secundum rem, nego mai. Ex modo significandi, concedo mai. Non esse tenebrarum secundum rem non differt à positione lucis. Quæ solutio est D. Thom. q. 28. de Veritat. artic. 6. vbi post alia concludit: *Et ideò hæc negatio negationis, nihil differt secundum rem à positione alterius.*

ARTIC. II.

An corruptio sit per se intenta à natura?

43 NOn est idem aliquid esse naturale, & esse per se intentum à natura. Naturale dicitur aliquid, quia est à principio intrinseco naturæ, vel quia est conforme alicui principio intrinseco, quod sit natura, principia enim intrinseca naturæ sunt materia, & forma, quibus convenit verè ratio naturæ, vt diximus in 2. Physicor. Per se intentum à natura dicitur illud, quod ab agente operante conformiter ad inclinationem naturæ per se intenditur.

§. I.

Prima Conclusio.

44 *Corruptio simpliciter est naturalis, sumendo naturale, vt opponitur violento.* Est expressa D. Thom. Tùm 1.2.q. 85. art. 6. Tùm q. 5. artic. 5. Tùm in 3. dist. 16. q. 1. artic. 1. & alijs in locis. Et prob. rationibus Div. Thom. Naturale est, quod est conformè alicui principio naturali; sed corruptio est conformis materiæ, quæ est vere natura, & principium naturale: ergo corruptio est naturalis. Probat. min. Materia sublunaris, naturaliter est capax, & inclinat ad plures formas, quarum quælibet nequit eius inclinationem, & capacitatem satiare: ergo amittere vnam formam, vt aliam acquirat est materiæ conformis.

45 Nec dicas, quod licèt corruptio sit conformis materiæ, non sufficit, vt absolutè, & simplicitèr sit naturalis, quia forma, & compositum ex illa, sunt natura & ens naturale, & quod perfectius ipsa materia, & his contrariatur corruptio, vt violenta, & disconformis.

46 Contra est, quamvis corruptio sit contraria formæ, quæ corrumpitur, quantum ad esse particulare suum, &

& composito ex tali forma, sufficit tamen quod sit conformis materiæ, vt absolute, & simpliciter sit naturalis: ergo solutio est nulla. Prob. antec. Denominatio naturalis absolute, & simpliciter, debet desumi ex eo, quod magis præponderat in aliqua natura; sed in hac parte magis præponderat id, quod se tenet ex parte materiæ, quam quod se tenet ex parte formæ, & compositi: ergo si corruptio est conformis materiæ, quamvis sit contraria formæ erit absolute, & simpliciter naturalis. Probatur min. Commune bonum rerum corruptibilium, magis præponderat in natura corruptibili, quā particulare bonum alicuius rei corruptibilis; sed corruptio conformis naturæ materiæ, cædit in commune bonum totius ordinis rerum corruptibilium, quæ coordinantur ex successione generationum, & corruptionum: ergo quamvis sit contraria formæ, & composito, quod est quoddam corruptibile particulare, debet magis præponderare, quod sit conformius materiæ, vt absolute, & simpliciter sit naturalis.

47 Confirm. quod est conformè materiæ, vt inclinanti in bonum vniversi, quamvis sit cōtra bonum particulare formæ, est absolute, & simpliciter naturale; sed corruptio est conformis materiæ, vt inclinanti in bonum vniversi: ergo quamvis sit contraria formæ, erit absolute, & simpliciter naturalis. Mai. constat. Nam in vna, & eadem re inclināte. Tū ad bonum vniversi: Tùm ad bonum particulare proprium Inclinatio in bonum proprium cædit inclinationi in bonum vniversi, & sic quod est conforme huic secundæ inclinationi, quamvis sit contrarium primæ inclinationi, dicitur absolute, & simpliciter naturale, vt diximus in 2. Physicor. quæst. 8. art. 1. min. vero prob. Corruptio est conformis materiæ vt inclināti ad successionem formarum corruptibilium; sed successio formarum corruptibilium est bonum vniversi: Tùm propter varietatem, quæ est quasi vniversi pulcritudo. Tùm propter conservationem: ergo.

48 Sed contra præcedentem conclusionem obijcies 1. Quod non est, nequit esse alicui principio positivo cōforme; sicut quod malum est, nequit alicuius terminare inclinationem; sed corruptio est non esse, & malum: ergo nec est conformis materiæ, nec vllam illius inclinationem terminare potest, proindeque nō est naturalis.

49 Resp. quod corruptio est malum, & non esse particularis formæ, sed est bonum

num, & esse materiæ, & communis rerum conservationis, saltem mediate, & indirectè, quatenus nec materia esset, nec vniversum conservaretur sine successione formarum includente corruptionem plurimarum: quomodo autem corruptio sit bonum, & possit inclinationem terminare, conclusione sequenti dicemus. Pro nunc sufficiat advertere, quod minus videtur requiri ad hoc, vt corruptio sit naturalis, quam vt sit bonum terminans appetitum, aut inclinationem naturæ: ad primum sufficit, quod consequatur ex aliquo principio intrinseco, & naturali, & sit illi conforme; quidquid sit, an sit iuxta primariam, aut secundariam inclinationem naturæ, de quo postea: at secundum vero requiritur positiva entitas si terminet inclinationem primario, & per se, quod non habet corruptio cum sit privatio.

50 Obijc: 2. Corruptio formæ, non est naturalis respectu materiæ; alias nec respectu ipsius formæ: ergo corruptio nullo modo est naturalis. Prob. mai. forma corrupta est naturalis materiæ: ergo corruptio, & non esse illius, nequit esse naturale respectu materiæ; alias forma, & illius privatio essent naturales respectu eiusdem.

51 Neg. mai. ad prob. disting. ant. forma corrupta est naturalis materiæ, vt terminus inadæquatus capacitatis, & inclinationis materiæ, conced. ant. vt terminus adæquatus, & satiativus suæ inclinationis naturalis, nego ant. capacitas, & naturalis appetitus materiæ, est ad plures formas, & solum inadæquatè quiescit sub vna, & sic sublata vna forma in particulari, non violentatur, sed naturaliter recipit aliam; nec ablatio vnius est violenta, sed naturalis, cum alia æquæ naturalis subrogetur, & sub qualibet in particulari nequeat conservari.

§. II.

Secunda Conclusio.

52 *Corruptio nullo modo est per se intenta à natura, sivè ab agente particulari at vero ab agente, seu natura vniversali est intenta, non per se primo, sed per se secundo.* Conclusio est communis inter Thomistas, & illam rectè explicatam forte nullus negabit. Pro quo advertere 1. Quod appeti, aut intendi non potest nisi bonum: bonitas alia dicitur intrinseca, alia extrinseca: intrinseca solum convenit ratione positivæ, & intrinsecæ entitatis; extrinseca vero ratione vti-

vtilitatis, & conducentiæ ad aliquod bonum.

Adverte 2. Quod corruptio, cum sit privatio, & alij defectus, seu mala Physica possunt considerari, & secundum se formalitèr, & intrinsecè; & vt extrinsecè ordinata ad aliquod bonum maius illo, cuius sunt privationes, & defectus. Primò modo sicut nullam explicant bonitatem, nec entitatem, ita nec vllam inclinationem, aut appetitum valent terminare, nec primàrio, nec secundario: secundo modo sicut possunt dici bona saltem extrinsece ratione vtilitatis, & conducentiæ ad bonum aliquod commune, possunt aliquem appetitum aut inclinationem terminare, licèt non ratione sui, & sic non per se primo, bene tamen ratione boni, ad quod conducunt per se, & sic per se secundo, aut secundario.

53 His suppositis; facile erit probare primam partem conclusionis: Agens particulare nequit per se intendere corruptionem secundum se intrinsece, & formalitèr consideratam: nec etiam vt extrinsecè ordinatam, & vtilem ad bonum aliquod: ergo corruptio nullo modo est per se intẽta ab agente particulari. Ant. quoad secũdam partẽ prob. corruptio vt vtilis, & conducens ad aliquod bonum, solum potest intendi ab illo agente, sub cuius influxu, & providentia cadit illud bonum, ad quod cõducit corruptio; sed tale bonum non cadit sub influxu, & providentia agentis particularis: ergo agens particulare nequit intendere corruptionem, prout sic conducentem, & ordinatam. Cętera patent, & probatur minor: bonum ad quod conducit corruptio, est bonum commune vniversi, hoc enim bonum in rerum variatione, & innovatione magna ex parte consistit, nec alitèr quam per successionem formarum media corruptione, & generatione, obtineri potest, sed bonum commune vniversi non cadit sub influxu, & providentia agentis particularis: ergo.

54 Confirm. Agens particulare, solum intendit bonum particulare; sed ad bonum particulare, non conducit corruptio: ergo corruptio nullo modo est intenta ab agente particulare: min. pat. Quia corruptio est privatio boni particularis, & in linea boni particularis, non est cur privatio vnius per se conducat ad aliud. Mai. verò prob. Agens particulare naturalitèr operans solum indendit bonum conforme principio naturali, seu formæ secundum quam operatur, cum intendat assimilare effectum in principio secundum

quod

quod operatur; sed forma secundum quam operatur agens particulare, est particularis: ergo bonum ab illo intentum, est particulare.

55 Secunda pars conclusionis facile prob. ex prima. Bonum universi cadit sub influxu, & intentione agentis universalis: ergo cadit sub illius intentione quidquid conducit ad hoc bonum, & illius conservationem; sed ad hoc conducit corruptio, vt supra dictum est: ergo corruptio est intenta ab agente vniversalij. Quod verò corruptio, non sit per se primo intenta à natura, aut ab agente vniversali, sed per se secundo; vel quod idem est, non sit de primaria, sed de secundaria intentione illius, pat. Quia quod in se intrinsece bonum non est; vel nequit appeti, aut intendi, vel intenditur solum ratione alicuius boni, cui adiungitur, aut ad quod conducit: ergo solum potest appeti, & intendi ratione talis boni per se primo intenti, subindeque secundario.

56 Vtramque partem conclusionis habet expresse D. Thomas tùm 3. contragent. cap. 94. dicens: *Particulare agens tendit ad bonum partis absolute, & facit eam quanto meliorem potest: vniversale autem agens tendit ad bonum totius.* Tùm 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. dicens: *Corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ vniversalis, in quantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniversi.* Tum in 4. dist. 36. q. 1. à 1. ad 2. dicens: *Nihil prohibet esse aliqaid contra naturam, quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam, quantum ad secundam eius intentionem: sicut omnis corruptio, &c.* In quibus testimonijs conclusio quoad omnes eius partes expresse habetur.

57 Obijcl. 1. Corruptio vnius formæ, conducit ad introductionem alterius formæ particularis; sed forma particularis de novo introducta, est de primaria intentione agentis particularis: ergo corruptio antiquæ erit saltem de secundaria eius intentione. Prob. mai. Id sine quo aliud nequit existere, conducit ad existentiam illius, sed sine corruptione formæ antiquæ introductio novæ nequit existere: ergo corruptio antiquæ conducit ad introductionem novæ.

58 Disting. mai. Corruptio vnius formæ conducit ad introductionem alterius, per accidens, & ex suppositione existentiæ illius in materia, omitto mai. per se, & attenta exigentia tàm formæ, quàm introductionis illius, nego mai. Nam vt diximus artic. præced.

si

ſicut ſe habet per accidens ad generationem, quod ex parte termini *à quo* præceſſerit forma corrupta; ita ſe habet per accidens formæ præcedentis corruptio: generatio novæ formę, & ipſa forma, quæ de novo introducitur virtute agentis naturalis, per ſe tantum petit materiam privatam forma, vt illam ad novæ formæ corruptionem poſsit diſponere, privatam inquam; forma non corrupta, ſed nova, quia mutatio generativa per ſe non eſt à privatione formæ corruptæ, quia hæc eſt terminus *ad quem* mutationis corruptivæ, quæ diſtinguitur à mutatione generativa, quæ eſt à privatione formæ novæ ad ipſam.

59 Sed inſtas: privatio novæ formæ per ſe requiritur ad introductionem illius virtute agentis naturalis: ergo etiam privatio, ſeu corruptio formæ antiquæ per ſe requiritur. Prob. conſeq. Privatio novæ formæ non ſtat in materia, ſine eo, quod materia prius tēpore præceſſerit ſub forma antiqua: ergo nec ſtat ſine privatione, aut corruptione formæ antiquæ. Ant. conſt. ex dictis ſup. quæſt. præc. art. 3.

60 Nego conſeq. ad prob. diſt. antec. non ſtat ſine eo, quod materia prius tempore præceſſerit ſub alia attenta exigentia materiæ, prout reduplicative ſubijcitur huic generanti in particulari, nego ant. Attenta exigentia materiæ ſecundum ſe, & ſecundum ſuam eſſentiam, concedo ant. Quod privatio formæ introducendæ non poſsit eſſe in materia, niſi præceſſerit ſub alia, non petitur per ſe ex vi tranſmutationis generativæ factæ ab hoc generante, ſed ex natura, & eſſentia materiæ non potentis exiſtere ſine aliqua forma.

61 Ex quo infertur qualiter corruptio ſit terminus ſecundarius appetitus, & inclinationis materiæ primæ, vt ſcilicèt poſsit eius potentialitatem ad omnes formas explere: quia cum formam quamlibet amiſsibiliter poſſideat, poteſt appetere eiuſdem aliquando abſentiam, vt ſit locus ſucceſſioni formarum, quibus poſsit perpetuo conſervari: cum autem cuilibet potentiæ paſsivę naturali correſpondeat agens naturale proportionatum, ne illa potentia ſit fruſtra; ſit, vt debeat dari agens, ſub cuius intentione cadat id, ad quod tēdit appetitus materiæ, hoc autem eſt agens vniverſale; vnde ſicut corruptio eſt de ſecundaria inclinatione potentiæ paſsivæ vniverſalis; ita debet eſſe de ſecundaria intentione agentis vniverſalis: at vero eadem materia, & potentia paſsiva, vt ſub eſt tantum vni formæ, &

agen-

agenti particulari intendenti solum illam formam, non respicit corruptionem nisi per accidens,

62 Obijcies 2. corruptio se habet per accidens, non solum respectu agentis particularis, sed etiam respectu Dei causantis bonum universale: ergo corruptio non est de secundaria intentione agentis vniversalis; prob. anteced. ex Divo Thoma: 1. part. quęst. 49. artic. 2. dicente: *Deus in rebus causando bonum ordinis vniversi, ex consequenti, & quasi per accidens causat corruptione rerum*: ergo corruptio se habet per accidens respectu Dei.

63 Nego anteced. ad probationem dicimus: Divum Thomam solum intendere corruptiones non esse per se primo intentas à Deo, aut de illas primaria intentione, & ideo absolutè, non dixit per accidens, sed *quasi per accidens*: Vel dicatur quod corruptio secundum se sumpta, & quoad intrinseca, cum sit privatio, & malum, per accidens se habet, tàm respectu agentis particularis, quam vniversalis; malum enim sub ratione mali, nequit esse volitum, neque intentum; cum quo stat quod corruptio saltim extrinsecè possit esse bona, & sic saltim secundario intēdi ab agente non particulari, sed vniversali, & à Deo.

64 Solet hic disputari. An in corruptione substantiali fiat resolutio, vsque ad materiam primam? Et quidem locus satis opportunus apparet, tùm ad plenam corruptionis notitiam, quam in præsenti quæstione tractare conamur. Tùm propter authoritatem Doctorum communiter in hoc loco hanc difficultatem moventium. Sed nos plenæ difficultates resolutioni consulentes, & à prolixitate, & repetitione abstinentes, ad congruentiorem locum prædictam difficultatem destinamus, ad illum scilicet in quo pro dignitate indagemus principia, à quibus resolutio præsentis difficultatis vnica dependet, per [illegible] utique ex notitia subiecti accidentium, & principij individuationis illorum.

65 Quod constat hoc discursu: fieri resolutionem vsque ad materiam primam, est nihil manere in genito eorum, quæ præfuerunt in corruptio, nisi solam materiam primam communem formæ, & illius privationi, vt subiectum vtriusque; sed in corruptione, nihil eorum, quæ erant in corrupto manet in genito excepta materia prima: ergo fit resolutio vsque ad materiam primam. Prob. min. Nulla forma, aut actus subst-

tantialis, vel accidentalis manet in genito, eorum qui fuerunt incorrupto. Non substantialis, alias plures formæ substantiales essent in eadem materia, & composito (quod quidem repugnare, non est huius loci disparate: partim attinet ad libros Physicor. in quorum secundo quæst. 13. artic. 2. id repugnare ostendimus: partim ad libros de Anima; in quibus eandem repugnantiam forte demonstrabimus.) Nec etiam manet forma aliqua accidentalis: Tùm quia nullum accidens recipitur immediate in materia prima (quod exacte nequit constare, nisi ex professo disputetur; quodnam sit subiectum accidentum) [illegible] quia dato, vt plures admittunt ex his, qui negant resolutionem vsque ad materiam primam, accidentia non subiectari in materia prima, sed in toto composito, illa pereunt cum subiecto, quia ab illo individuatur, nec possunt de subiecto, in subiectum transire (quod quidem nisi individuatio accidentium prius constet nequit solide probari) Quare pro exacta resolutione præsentis difficultatis remittimus lectorem ad quæstionem, quam infra disputamus, de subiecto accidentium, & principio individuationis.

QVÆST. III.

De Alteratione.

1. INter motus ad formam accidentalem, deserviens generationi substantiali, quæ est subiectum principalitatis horum librorum, propinquior generationi, & corruptioni, & magis illis deserviens, est motus alterationis; ideoque post quæstiones de generatione, & corruptione substantiali, hanc de alteratione merito disputamus.

ARTICVLO I.

Quid, & quotuplex sit alteratio

2 NOmen, *alteratio*. Significat id, quod aliquid fit *alterum*, vel *alteratum*: Sicut enim differentia essentialis facit *aliud*: hoc est essentialiter diversum, ita differentia accidentalis facit *alterum*, vel *alteratum*, hoc est accidentaliter distinctum. Hinc est quod omnis variatio subiecti, medio aliquo accidentali cuiuscumque generis sit, potest dici vniversalissime alteratio.

3 Præsius sumitur alteratio pro motu ad qualitatem cui inter alia accidentia iuxta communem vsum Doctorum

cum

cum D. Thom. in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. ad 5. specialiter convenit facere alterum. Sed quia qualitates aliæ sunt Pphysicæ, aliæ intentionales, aliæ corporeæ, aliæ spirituales, aliæ naturales, aliæ supernaturales; motus ad quamlibet istarum, secundum hoc potest dici alteratio, licet sub hac latitudine excedat captum Philosophi naturalis, quia comprehendit motus ad qualitates altioris ordinis, quales sunt supernaturales.

4 Magis strictè sumitur alteratio pro omni, & sola mutatione, aut motu physico terminato ad qualitatem physicam, & naturalem, sub qua ratione sub alteratione comprehenditur, non solum productio calidi ex frigido, medio motu successivo, & stricto, sed etiam productio lucis, vel alterius qualitatis physicæ media mutatione instantanea, sed quia ex his qualitatibus aliquæ, vel non habent contrarium, vt lux, & figura, & aliæ, vel quamvis habeant illud, motus ad illas non est à contrario in contrarium vt à frigido in calidū; sed à privatione ad formam per simplicem mutationem vt cū ex non calido fit calidum, quæ est generatio secundumquid.

5 Ideo proprie, & rigurose in præsenti sumitur alteratio pro motu stricto, & successivo ad qualitatem physicam habentem contrarium, procedente ab vno, ad aliud, inter quæ sit latitudo, quæ valeat successivè percurri, vel procedente penes magis, & minus in eadem qualitate cum positiva distantia, & latitudine ab vno termino positivo ad alium, vt motus à frigido ad calidum, vel à minus calido, ad magis calidum. Alteratio enim prout sic est maximè deserviens generationi, & corruptioni, & ideo proprissima præsentis instituti.

§. I.

Diffinitio alterationis.

6 Conveniunt fere omnes Philosophi in diffinitione alterationis his, aut illis particulis expressa in quibus non est substantialis variatio, sed diversa explicatio eiusdem diffinitionis tradditæ à Philos. hic textu 23. & à D.Th. ibidem, lect. 10. Aliqui sic diffiniunt: *Alteratio est motus ad qualitatem eodem subiecto sensibili manente.* Alij vero, *alteratio est motus ad qualitatem sensibilem mediam, aut extremam.* Alij denique, *alteratio est motus substantiæ completa mobilis ab vna in aliam passionem, vel passibilem, qualitatem habentem latitudinem cum contrarietate.*

7 In his omnibus diffinitionibus ly *motus* sumitur pro motu stricto, & licèt in hoc differat alteratio ab omni muta-

tione instantanea, in quocumque genere sit sive substantiæ, sive accidentis, convenit tamē cum alijs motibus strictis, pura augmentationis, lationis, &c. ly *subiecto sensibili*, vel quod idē est, *substantiæ completæ*, denotat subiectum alterationis non esse materiam primam, sed totū compositum substantiale, illa particula, *ad qualitatem sensibilem*, vel vt in idem recidit, *ab vna ad aliam passionem, vel passibilem qualitatem*. Primo excludit oratione alterationis omnem motū quantumvis strictum, ad qualitatem non terminatum, vt motum ad quantitatē; ad vbi, &c. ideo dicitur *ad qualitatem*.

Secundo excludit motus, qui fiunt circa qualitates spirituales, vt circa habitus, vel actus, & ideò dicitur *sensibilem*. Tertio excludit motus ad qualitates, quæ non sunt tertiæ speciei, quia solum istæ per se terminant alterationem strictam; constat enim, quod alteratio per se primo non est ad qualitates primæ speciei, quæ sunt habitus, & dispositio, quia vel sunt pure spirituales, & intentionales; vt scientia, species, &c. & sic apparet, quod motum nullum physicum per se primo possunt terminare; vel sunt corporeæ vt sanitas, ægritudo, pulchritudo, &c. & istę pręcisè resultant ex temperamēto aliarū qualitatum; ad quas per se primo est alteratio; facta enim alteratione secundū calidū, & frigidum, alteratur postea animal secūdū sanum, & ægrū. Deinde qualitates secundæ speciei, nempè naturalis potentia, & impotentia, cum sint quędā proprietates, non fiunt per se, sed resultant ad productionem essentiæ. Denique qualitates quartæ speciei, forma scilicet, & figura resultant ex terminatione quantitatis, ad cuius productionem, vel divisionē resultant; remanet ergo, quod solū ad passionem, & passibilē qualitatem, detur per se alteratio, ideoque dicitur, *ab vna ad aliam passionem, vel passibilem qualitatem*: quod etiam denotat, quod vna qualitate expulsa, alia introducatur, vt de vna ad aliam fit transitus.

Vltima particula, *mediam, aut extremam*, idest, *habentem latitudinem cum contrarietate*. Excludit qualitates, quæ nec habent latitudinem, nec fiunt ex contrario positivo, quo circa quamvis lux sit qualitas tertiæ speciei, non terminat alterationem rigorosam. Omnes particulæ per tres diffinitiones dispersæ, explicant conditiones ad rigorosam alterationem exactas, quas disserte complexus est D. Th. in 3. dist. 15. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. dicens: *Ad hoc autem, quod sit alteratio, requisitum*

tur ex parte alterati, quod sit res per se subsistens, aliter enim subiectum motus esse non potest, & quod sit corpus, quia solum tale movetur, & quod habeat naturam contrarietati subiectam, quia alteratio est motus inter contrarias qualitates. Ex parte vero terminorum requiritur, quod vna qualitate expulsa, alia introducatur, sic enim de qualitate, in qualitatem transitur.

8 Ratio autem (si quæ est assignabilis circa essentias rerum) cur rigurosa alteratio in his conditionibus, & prædicatis consistat, est, quia rigurosa alteratio est motus quidam naturalis, maxime, & proxime generationi, & coruptioni substantiali deseruiens, & ad qualitates, ad generationem, & corruptionem disponentes; cum alteratio ordinetur ad generationem, tanquam ad finē, vt docet D. Thom. in Procem. horum librorum. Sed solum alteratio supraddictis conditionibus, & prædicatis prædita, per se potest ordinari ad generationem substantialem virtute agentis naturalis factam, tanquam ad finem: motus enim ad alia accidentia, siuè qualitates sint, siuè non, per particulas diffinitionis exclusi sunt, vel minime conducunt ad Generationem substantialem, vel non ita proximè, sicut rigurosa alteratio, vt cuilibet inductione constabit: ergo solum motus cum supradictis prædicatis, & conditionibus erit rigurosa alteratio.

9 Sed oppones 1. contra diffinitionem, & eius expositionem; datur per se alteratio vera ad qualitates primæ speciei: ergo male ponitur in diffinitione, *ad passionem, vel passibilem qualitatem*; vel sinistre exponitur diffinitio alterationis restringendo eam ad qualitates tertiæ speciei; prob. antec. 1. in qualitatibus primę speciei datur proprie, & per se intensio, & remissio, ergo & alteratio, quia vt infra dicemus, intensio, & remissio sunt species alterationis. Antec. constat, quia habitus vere intenduntur, & remittuntur.

Secundo: nam inter errorem, & scientiam, vitium, & virtutem, sanitatem, & egritudinem datur vera contrarietas datur latitudo, & divisibilitas & aliæ conditiones ad veram, alterationem: ergo nihil eis deficit ad terminandum verum motum alterationis.

10 Resp. neg. ant. ad 1. prob. dicimus, quod solum intensio, & remissio physica, & corporalis est species alterationis in præsenti diffinitæ, & deservientis ad generationem, & hoc modo intensio, & remissio non inveniuntur in habitibus, & actibus spiritualibus.

Per quod patet, ad 2. quoad id quod attinet ad errorem, & scientiam, vitium, & virtutem, contrarietas, divisibilitas, & si quæ sunt aliæ condiciones alterationis in prædictis qualitatibus non sufficiunt, vt dictę qualitates terminent veram alterationem ad Generationem ordinatam, de qua in præsenti; cum illa contrarietas, latitudo, &c. non sint quid physicum, & corporeum, sed spirituale, aut intentionale, sicut, & ipsæ qualitates.

Quod attinet ad ęgritudinem, & sanitatem, licet sint, qualitates corporeæ; & in illis sit contrarietas, divisibilitas, &c. quæ sunt quid phiysicū, & corporale; propter quod aliquo modo attinguntur per motum, qui revera est alteratio: tamen ad illas non datur per se primo alteratio, sed tantum per posterius, & consequutiue quatenus ex alteratione per se primo terminata ad calorem, & frigus, *sequitur alterari animal, secundùm sanum, & ægrum*; vt ait D. Th. 1 2. q. 52. art. 1. ad 3.

11 Sed instabis 1. Arist. postquam explicuit naturam alterationis possuit exemplum, in sanitate, & ęgritudine, dicens: *Puta, corpus sanum est: & rursus laborat manens idem*: ergo iuxta Philosoph: alteratio vere est ad sanitatem, & ęgritudinem primo, & per se.

12 Secundo: nam quando adquiritur sanitas, distincto & speciali motu adquiritur à motu, quo adquiritur calor, aut frigus: ergo sanitas adquiritur motu per se primo ad illam terminato, qui alius esse non potest, nisi alteratio. Prob. ant. nam alius motus est de ægritudine ad sanitatem, qui dicitur sanatio, quam a frigore ad calorem, qui est calefactio, cum sit diversa contrarietas inter ęgritudinem, & sanitatem, quam inter calorem, & frigus, & etiam diversi termini *à quo*, & *ad quem*: ergo dantur omnia requisita ad motum alterationis distinctum.

13 Tertio: Licet color, sapor, odor, & aliæ secundæ qualitates resultent, ex primis, nēpè ex calore, & frigore, &c. terminant per se motum alterationis distinctum ab eo quem terminant primæ qualitates: ergo licet sanitas resultet ex primis qualitatibus, per se poterit terminare alterationem distinctam, ab ea, quæ per se terminatur ad primas qualitates.

14 Ad 1. dicimus: quod potuit Aristot. citra vitium ponere exemplum in sanitate (sicut, & illud possuit in figura, quæ est qualitas non tertiæ, sed quartæ speciei) quia licet alteratio non attingat sanitatem per se primo, vere tamen illam attingit, & ex alia parte prædi-

ctaः

cta attingentia est nobis notior, quam productio primarū qualitatum; videmus enim manifiesta experientia, hominem alterari dum ęgrotat.

15 Ad 2. neg. ant. ad prob. dicimus: quod illa diversa contrarietas inter ęgritudinem, & sanitatem, & diversitas terminorum *à quo*, & *ad quem* se habet de materiali, & consequtiue respectu alterationis per se terminatæ ad primas qualitates; quia omnis motus, vel mutatio de ęgritudine in sanitatem, semper debet fieri mediante aliqua alteratione caloris, aut frigoris, aut alterius primæ qualitatis; ac subinde sanitas per se non petit motum distinctum, ab eo qui per se primo est ad primas qualitates

16 Ad 3. dicimus: quod est lata differentia inter qualitates secundas tertiæ speciei, vt color resultans ex temperie primarum qualitatum ex vna parte, & sanitatem etiam resultantem ex temperie primarum qualitatum ex alia; consistens; tum in eo quod, aliquando fit calor sine alteratione erga primas qualitates, vt cum aliquid de albatur, aut de nigratur, nō præcedente aliquo frigore, aut calore, &c. nihil vero ęgrotat nisi ex alteratione distemparante primas qualitates.

Tum in eo quod quando fiunt colores ex temperie primarum qualitatum fiunt per veram mixtionem, in mixtione autem qualitates miscibiles corrumpuntur vt fiat tertia qualitas; vnde alteratio non terminatur primario ad primas qualitates, quæ corrumpuntur; sed potius per se primo terminatur ad secundam qualitatem, quæ est mixta exprimis; secus est in sanitate, quę non est qualitas mixta ex corruptione primarum, sed potius in ipsis primis qualitatibus proportionatis temperatis, aut commensuratis consistit sanitas, & sic ex motu ad illas resultat sine novo motu sanitas; aut ęgritudo.

17 Oppones 2. potest dari per se motus ad naturalem potentiam, seu impotentiam, quæ sunt in secunda specie qualitatis; sed talis motus alius esse non potest nisi alteratio: ergo alteratio non est per se solum ad qualitates tertiæ speciei: prob. mai. nam visus, qui est in iuvine vigorosus est, & acutus, fit debilis in sene, & ingenium etiam potest hębetari, & impotens reddi ex aliquo accidenti; sed istæ sunt vere transmutationes, & motus ad has potentias: ergo ad illas datur per se motus.

18 Respond. quod visus accutus redditur debilis, & ingenium hebetatur, quia organum visus impeditur, ex ali-

aliqua intemperie dispositionum, & similiter imaginativa, vel phantasia videtur in disposita, ad sub ministrandum intellectui, quod pertinet ad ingenium; & sic mutatio, quæ experitur in potentijs, non fit per hoc, quod motus alterationis per se primo terminetur ad illas; sed ad qualitatem aliquam tertiæ speciei, à qua dependet debita organi dispositio, sine qua dispositione nequit debite operari.

§. II.

Divisio alterationis.

19 *Motus alterationis in communi, & generice sumptus dividitur in tres species motus alterativi, quæ sunt simplex alteratio intensio, & remissio.* Sic tenet communiter Philosophi, cum Aristot. & D.Thom. sufficientia divisionis suadetur hoc, vel æquibalenti discursu. Alteratio in communi est motus per se primo terminatus ad qualitatem, sed ad qualitatem per se primo potest terminari triplex motus specie diversus: ergo tres sunt species motus alterative: prob. min. Nam qualitas potest de novo adquiri in subiecto ex aliquo contrario possitivo, vt cum subiectum ex frigido, transit in calidum, vel iam adquisita in subiecto, transit de imperfecto esse ad perfectum, vt cum subiectum transit deminus calido, ad magis calidum, vel iam habens perfectum esse in subiecto reducitur ad imperfectum, vt cum subiectum perfecte calidum reducitur ad minus calidum; sed illi transitus per se primo terminatur ad qualitatem, cum latitudine sucesiuè percurrenda, & qualitas prout illos terminat, specie differt, vt infra constabit: ergo ad qualitatem per se primo terminatur triplex motus specie diversus, primus, cum fit de novo ex cõtrario, qui dicitur (ob penuriam, vocum) *alteratio simplex*: vel particularis, vt discernatur ab alteratione in communi. Secundus cum qualitas iam facta, in suo esse perficitur, qui dicitur *intensio*. Tertius, cum iam perfecta, ad imperfectius esse reducitur, qui dicitur *remissio*; sed non datur alius status, vel consideratio in qualitate, ratione cuius per se possit terminare motum: ergo prædicta divisio alterationis est sufficiens, & adæquata.

20 Sed oppones 1. Alteratio sicut, & alij motus, summit suam distinctionem, & speciem ex termino *adquem*; sed idem calor specie, numero potest terminare simplicem alterationem, intensionem, & remissionem; ergo prædicti mo-

motus non distinguntur specie.

Confirm. differentia penes magis, & minus intra eandem speciem, non variat speciem; sed intensio, & remissio, sunt motus terminati ad magis, & minus: intra eadem speciem: ergo non sunt motus specie diversi.

21 Disting. mai. ex termino *adquem* formaliter sumpto conced. mai. materialiter sumpto, neg. mai. esse terminum formalem motus, sicut, & actionis, convenit rebus secundum quod in illis reperitur aliqua ratio, ad quam natura per se primo destinavit aliquem specialem motum, vel actionem, quia motus, & actio specificantur ab eo, quod per se primo attingunt, & attingunt primo, & per se id, ad quod attingendum natura per se primo illa destinavit. Cum autem in qualitate, licet sit eadem numero, & specie, sint diversæ rationes, ad quas natura destinavit speciales motus indigentes novo influxu, & exercito agentis, fit, vt posit terminare motus formaliter specie diversos; qua ratione, licet anima rationalis sit eadem specie, & numero est diversa formaliter in ratione termini actionis creative Dei, & generativæ hominis. Per quod patet, ad conf. magis, & minus non variat speciem in se absolute, conc. in ratione termini motus, vel actionis neg.

22 Oppones 2. ad quantitatem solum datur duplex motus, nempè ad eius augmentum, & decrementum: ergo ad qualitatem solum datur duplex motus intensionis scilicet & remissionis.

23 Neg. consequentiam, motus enim ad accidentia diversificantur ex diverso termino, *ad quem*, & diverso modo, latitudinis, & distantiæ ad illum. Cum autem in qualitate non solum detur latitudo penes magis, & minus, postquam iam est adquisita; sed etiam comparativè ad contrariam ex qua de novo fit bene in illa distinguitur triplex motus, vel transitus de suo contrario, ad ipsam, de remissa ad intensam, & è contra; in quantitate solum est latitudo, & distantia motu percurrenda postquam iam est facta per augmentum eius & decrementum, nulla vero est latitudo; & distantia dum de novo fit; tum quia omnis motus physicus supponit quantitatem, cum supponat subiectum tangibile, & divisibile. Tum quia quantitas non habet contrarium ex quo fiat transitus ad illam, dum fit de novo. Tum quia quantitas quando primo producitur dimanat ex substantia corporea

cui

cui est debita in Instanti generationis, & sic non est locus, vt fiat transitus ad illam, cum primo producitur.

24 Oppones 3. nequit de novo adquiri qualitas sine aliquo gradu intenso, vel remisso: ergo non reqiritur novus motus distinctus, ab eo, quo primo adquiritur, qui est simplex alteratio.

25 Disting. ant. nequit de novo adquiri qualitas, sine aliquo gradu intenso, ex alio gradu inferiori, vt ex termino, a quo, neg. ant. sine aliquo gradu intenso ex contraria qualitate, vt ex termino à quo, cōc. ant. & neg. conseq. & idē dic de gradu remisso. Gradus intensionis, aut remissionis, cum quo qualitas primo adquiritur sequitur leges ipsius qualitatis, quoad terminadum motum, & sicut illa tunc terminat solum motum ex contrario; ita, & ille gradus, qui prout sic proprie non dicitur gradus intensionis, aut remissionis formaliter, sed tantum materialiter. Intensio formaliter sumpta est quid respectivum, & sic non datur nisi respiciat pro termino à quo, aliquid imperfectum in linea qualitatis; quod quidem non respicit qualitas, dum primo producitur: intensio enim, & remissio sunt magis, & minus, & magis formaliter non est nisi ex eo quod est minus, & ècontra.

26 Denique oppones: extensio qualitatis si sit corporea ad diversas partes subiecti, & si sit spiritualis, ad diversas & plura obiecta, vt in aliquibus habitibus, non est intensio, aut remissio, nec simplex alteratio; & tamen est verus motus alterationis, cum sit ad qualitatem, cum latitudine, & distantia: ergo divisio non est adæquata.

27 Respond. quod extensio qualitatis corporæ ad diversas partes subiecti, fere idem est ac nouæ qualitatis productio, quæ si fiat ex contrario erit simplex alteratio, si vero fiat à privatione ad formam erit generatio secundum quid, & mutatio, non verus motus. Ad qualitates spirituales non datur alteratio stricta, sed largo modo, seu analogicè, & in hoc sensu, ad quam speciem alterationis cuius sunt capaces, reducatur extensio habituum, dicemus art. sequenti.

ARTIC. II.

Vtrùm sola qualitas sit capax intensionis, & remissionis?

28 Licet augmentum solum sit propium quantitatis molis, ex ipsa omnis melioratio rei in quacumque

que

quæ linea, potest dici aliquo modo talis rei augmentum: Hinc D. August. 8. de Trinitat. cap. 1. ait: *In his quæ non molle magna sunt idem est, esse maius, quod melius.* Sic communiter loquendo, intensio qualitatis, est illius augmentum, sicut remissio est eius diminutio.

29. Augeri qualitatem tripliciter potest accidere, vel per hoc quod inhæreat in subiecto habente partes quantitativas per quas difundatur, & hoc incrementum dicitur extensio qualitatis; estque augmentum quantitativum per accidens à quantitate, subiecti, vel per hoc quod dicat habitudinem ad obiecta, & quandoque ad plura, quandoque ad pauciora se extendat, & secundum hoc augmentum qualitatis, etiam dicitur illius extensio, non formalis, sicut præcedens, sed quasi virtualis seu illius virtutis, vel, per hoc quod magis, aut minus participat de perfectione instrinseca, & hoc augumentum dicitur intensio; & diminutio perfectionis dicitur remisio; augmentum quidem, à quo qualitas denominatur magis, aut melior, non vero maior.

30. Hoc augmentum intensivum sumptum stricte, prout est species alterationis physicæ potest sic diffiniri: *est motus ab imperfectiori esse sive statu eiusdem qualitatis, ad perfectiorem eodem subiecto sensibili manente.* Sic Bañez, Santo Thoma, & alij, quæ diffinitio paucis mutatis adaptari potest remisioni, dicendo: *à perfectiori esse sive statu eiusdem qualitatis ad imperfectiorem.* Per rationem motus conveniunt intensio, & remissio cum simplici alteratione: differunt ab illa per aliam particulam, quia simplex alteratio producit ipsam qualitatem primo, & per se; intensio vero, & remissio solum variant estatum aut esse qualitatis iam productæ; & consulto dicitur, *ab esse seu statu.* Vt in diffinitione intensionis præscindamus, à modo quo fit intensio; an per diversos gradus, aut diversos modos, vel esse diversum?

31. Certum enim est, quod intensionis, & remissionis sic diffinitæ, & prout sunt species alterationis physicæ corporæ, deservientis ad Generationem, solum sunt capaces qualitates tertiæ speciei, vt constat ex præced. artic. Sed vt pateat additus ad celebres controversias circa intensionem, & modum, quo fit, non agemus in sequentibus de intensione, in hac stricta acceptione pro motu scilicet physico, & stricto, sed de illa sumpta late terminatiue; vel prout se tenet ex parte effectus; siue fiat per motum strictum, siue per muta-

ta.

rationem instantaneam, physicam, aut spiritualem, naturalem, aut supernaturalem. Intensionis, & remissionis in hoc secundo sensu inquirimus, an sola qualitas sit capax? Cui difficultati sequentibus conclusionibus fiet satis.

§. I.

Prima conclusio

32 *Quod rationem qualitatis non participat non est capax intensionis, & remissionis.* Hac generalitate conclusionem statuimus vitantes prolixitatem ex vna parte, & ex alia claritati consulentes in illius probatione, sub qua omnia entia à qualitate distincta conprehendimus cum ordine, & distinctione.

33 Substantiam in primis non esse capacem intensionis, & remissionis, tenet communiter cum Arist. omnes illius interpretes. Et prob. 1. nam inter proprietates substantiæ, vt nos docuimus in logicâ cum Philosopho in cap. de substantia, ponitur quod substantia non suscipit magis, & minus, non enim vna substantia est magis substantia, quam alia, nec vnus homo, est magis homo, quam alter, quidquid sit, an sit maior, quam alter, hoc secundum pertinet ad augmentum extensivum, primum vero ad intensivum,

34 Secundo: à substantia habent res suam speciem primam, & substantialem: ergo substantia non suscipit magis, & minus, & consequenter nec est intensibilis, & remissibilis: antecedens constat, quia hæc est quidditas formæ substantialis, vt diximus in 1. Physic. cons. vero probatur; tum quia omnis additio, vel substractio variat speciem, sicut in numeris, vt dicitur 8. Metaph. Tum quia si id, quod speciem constituit, haberet latitudinem, vel illa latitudo requiritur ad constituendam speciem, vel non. Si 1. ergo illa forma vt constituit speciem, consistit in indivisibili; prob. cõseq. Nam species non constituitur per latitudinem formæ; sed per consumationem, & completionem illius, sed completio, & vltimum cuiuscumque rei, quãvis divisibilis, semper est indivisibile: ergo. Si 2. ergo sine aliqua parte illius latitudinis salvatur speciecies: ergo forma secundum hanc partem non cõstituit speciem, ac subinde forma admittens latitudinem, vt talis non constituit speciem.

35 Tertio: & præoccupatur instantia de forma accidentali, quæ constituit speciem, licet qualitas, & aliæ formæ accidentales constituant spe-

speciem, & essentiam; non tamen constituunt speciem, & essentiam subiecti, quod informant; sed supponunt subiectum in sua specie constitutum; forma vero substantialis constituit suum subiectum in specie: ergo licèt forma accidentalis posit à subiecto participari secundum magis, & minus in quo illam suscipere magis, & minus, consistit, non vero forma substantialis; prob. conseq. nam subiectum constitutum in specie sua per formam, non potest participare formam, nisi secūdum id quod est essentiale formæ; sed forma prout sic est indivisibilis: ergo participatur indivisibiliter à subiecto illius. Forma vero accidentalis licet habeat speciem consistentem in indivisibili quoad integritatem omnium prædicatorum essentialium, cū non sit de eius essentia dare primam speciē subiecto, quod informat; ita nec est de eius essentia, quod à subiecto participetur secundum indivisibilitatem suæ speciei.

36 Confirm. intensio substantiæ esset augmentum perfectionis ipsius iam præexistentis intra lineam substantiæ; sed hoc augmentum repugnat: ergo intensio repugnat substantiæ; mai. patet, quia non in alio consistit intensio qualitatum; min. vero prob. omnis perfectio realis adveniens substantiæ iam existenti, non potest pertinere ad lineam substantiæ de cuius ratione est, dare primū esse, & primam perfectionem: ergo repugnat augmentum perfectionis substantiæ intra propriam lineam, advenire substantiæ præexistenti.

Quantitatem, etiam esse incapacem intensionis, & remissionis, constat, tùm ex Philosopho, in cap. de quantitate asserente; esse proprietatem quantitatis non suscipere magis, & minus Tùm quia intensio in hoc differt ab extensione, quod in ista, id quod additur est in diversa parte subiecti; intensio verò petit, quod perfectio, vel additio, quæ fit ad formam, fit in eadem quasi parte subiecti; sed in eadem parte subiecti, quantitas est incapax incrementi, quia eius essentia consistit in constituendo partem extra partem, tàm respectu sui, quàm respectu subiecti: ergo additio quantitatis non facit perfectiorem gradum: sed extensionem eiusdem perfectionis; facit enim maius, non melius.

Tùm, vel maximè (& est ratio probans de quantitate, tàm continua, quàm discreta.) quia species, vel forma de cuius ratione est indivisibilitas non suscipit magis, & minus; sed de ratione omnis speciе,

cici, quantitatis, tàm continuæ quàm discretę, est indivisibilitas: ergo quantitas nec continua, nec discreta suscipit magis, & minus, mai. patet, quia si de ratione essentiali formæ est indivisibilitas, oportet quod si aliquod subiectum participat formam illam, participet eam secundum rationem indivisibilitatis, (quæ ratio probat etiam de forma substantiali, vt vidimus) min. vero prob. in primis, de ratione omnis speciei numeri est constitui per indivisibilem vnitatem. Deinde species quantitatis continuæ variantur per diversam terminationem, vt patet in figuris; vt trigonum, & tetragonum, vicubitum, & tricubitum: ergo de earum ratione est indivisibilitas.

38 Relationem non esse intensibilem, & remissibilem constat. Tùm ex Aristot. docente; relationem non suscipere magis, & minus nisi ratione sui fundamenti. Tùm quia relatio resultat posito fundamento, & termino; vnde his manentibus in eadem perfectione, relatio eadem manet invariata, si autem contingat fundamentum variari penès magis, & minus perfectum, vel petit relatio præexistens, & sic non intenditur, vel si adhuc manet relatio, augmentum perfectionis non est in relatione; sed in fundamento.

39 *Actio, & passio prædicamentalis.* An intendi possint, dicemus solvendo argumenta. *Habitum, situm, vbi, & quando,* non esse capacia intensionis, & remissionis, constat; quia, ex suppositione, quod corpus sit in eodem loco, non dicitur magis, aut minus vbicatum, in illo, & ex suppositione, quod mēsuretur eodem tempore, non dicitur magis, vel minus esse in tempore, idemque de situ, & habitu, est dicendum, sed ad intensionem in prædictis, illud requirebatur: ergo.

40 Sed obijcies 1. contra conclusionem, substantia potest suscipere magis, & minus; ergo etiam intendi, & remitti; ant. prob. 1. ab Arist. prima substantia dicitur magis substantia, quam secunda: ergo substantia suscipit magis, & minus.

41 2. Idem Arist. 8. Metaphysic. text. 10. asserit, quod materia suscipit magis, & minus, sed materia est substantia: ergo hæc suscipit magis, & minus. 3. materia habet maiorem potentialitatem, & indifferentiam quam substantia completa, quæ est subiectum qualitatis: ergo si qualitas potest penès magis, & minus participari in subiecto; similiter forma substantialis in materia.

Con-

42 Confirm. licet calor, & albedo, secundum suum esse specificum, consistant in indivisibili possunt intendi, & remitti ex diverso modo, quo participantur in subiecto: ergo licet forma substantialis secundum suam speciem consistat in indivisibili, poterit in modo actuandi, materiam suscipere magis, & minus.

43 4. Salva manente vnitate specifica, & numerica substantiæ potest variari in perfectione sui esse; sed non in alio consistit intensio qualitatum: ergo. Prob. mai. anima rationalis habet perfectius esse corpori coniuncta, quam separata, vt ait. D. Th. 1. p. q. 89. art. 1. ad 2.

44 Ad arg. neg. ant. ad 1. prob. dicimus quod Aristot. ideo illud dixit, quia prima substantia pluribus, substat, quod est esse magis substantiam, vel magis ... re extensivè, non quia sit magis substantia intesivè. Ad 2. dicimus cum D. Th. 1. 2. q. 52. artic. 1. illud intelligi de materia sumpta pro materialibus dispositionibus, non vero secundum suam substantiam, & entitatem, ex qua, & ex forma resultat indivisibilis species.

45 Ad 3. neg. conseq. Immo oppositū infertur, quia maior potentialitas materiæ facit, vt illa ex se non habeat speciem, & quod species illius sit ipsa forma, species rerum in indivisibili consistunt, & id circo forma indivisibiliter communicatur materiæ, quia huius species est, & compositi; qualitates verò licet habeant specie indivisibilem attenta integritatem suorum prædicatorum; non tamen sunt species, & essentia subiecti, quod informant, quo circa in illo possunt participari secundum magis, & minus, si adsint aliæ conditiones, quas infra explicabimus, per quod patet ad confirm.

46 Ad 4. dicimus, quod variatio animæ pęnes coniunctionem, & separationem à corpore, non est variatio pęnes additionem alicuius perfectionis in sua intrinseca entitate; sed pęnes statum connaturalem, vel non connaturalem eiusdem met perfectionis, & entitatis; sicut vatiatio status in via, & in patria eiusdemmet charitatis non est per maiorem intensionem illius; sed per novam apprehensionem obiecti, clare visi constituitur imperfectiori statu.

47 Obijcies 2. actio, & passio prædicamentalis, non participant rationem qualitatis; & tamen suscipiunt magis, & minus; dantur enim calefactiones magis, & minus intensæ: ergo conclusio nostra in illa

illa generalitate est falsa.

48 Resp. Quod in eo sensu quo actio, & passio dicuntur intensæ, aut remissæ, etiam participant aliquid de ratione qualitatis; solum dicuntur intensæ, & remissæ terminativè, & vt *quo*, seu effectivè, non formaliter subiectiuè, & vt *quod*, quatenus sunt causalitates agentis intendentis, aut remmittentis qualitates, quæ formaliter, & subiectivè, intendi, aut remmitti possunt, & in hoc sensu actio, & passio etiam dici possunt qualitates, quatenus ad qualitates tendunt, & terminantur, & ab eis specificantur, & etiam à qualitatibus oriuntur, tanquam à principio effectivo.

49 Obijcies 3. album; vt sex, magis assimilatur albo vt sex, quam albo, vt quatuor: ergo relatio similitudinis suscipit magis, & minus. Si dicas, quod illud augmentum similitudinis est in fundamento relationis, non in ipsa relatione. Contra est, quia stat augeri similitudinem, & minui albedinem, quę est fundamentum, quia album vt duo, est similius alteri albo vt duo, quam album vt tres, albo vt quatuor.

50 Resp. quod non stat augeri similitudinem, & minui albedinem, vt proximè fundantem relationem similitudinis, quia albedo fundat relationem similitudinis, ratione vnitatis quam habet cum alijs suæ naturæ, hæc vnitas non convenit albedini ratione relationis, sed ratione suæ essentiæ metaphysicæ, quæ sicut est distincta ab alijs, & fundat relationem dissimilitudinis; ita est vna cum alijs, & fundat relationem similitudinis, vnde duo alba vt duo, licet habeant minus de albedine, habent magis de vnitate fundante proximè similitudinem: quare augmentum similitudinis non est in ipsa relatione formaliter, sed in fundamento proximo; vel si est in ipsa relatione, se habet ex consequenti ex intensione fundamenti, & ratione illius.

§. II.

Secunda Conclusio.

51 QValitates sunt capaces intensionis, & remissionis, licet non omnes. Cōclusio vt iacet, est omnino certa, & apparebit amplius certitudo, discurrendo per ipsas qualitates secundum suas species. Et loquimur de intensione, non præcisè prout est species alterationis physicæ, quæ datur solum in qualitatibus tertiæ speciei sed de intensione in latiori acceptione supra explicata.

52 *Prima species quali-*

ta-

tatis, nempe habitus, & dispositio est capax intensionis ; & remissionis. Et de habitibus infusis constat, tum ex Ecclesia ad Deum orante: *Da nobis fidei spei, & caritatis augmentum*. Tum quia ex habitibus infusis aliquando actus ferventiores procedunt, vt ex charitate ; aliquando etiam fides abundantius erga cerdibilia fertur, quod quidem indicat meliorationē, & intensionem horum habituum.

De habitibus adquisitis etiam constat, tum quia videmus actus procedentes à magis exercitatis esse perfectiores: ergo, & habitus ipsi sunt perfectiores, quia ex perfectione effectuum perpendimus causarum perfectionem. quia videmus in scientijs hominem proficere, eandem veritatem profundius, & vehementius penetrando, magis ac magis illi adhærendo, quod augmentum non est extensionis, quia non erga plura dilatatur; sed intensionis quia in eodem, & circa idem firmatur, & radicatur.

53 *Secunda species* est naturalis potentia. Potentiæ enim naturales, quæ sunt proprietates substantiæ aqua dimanant aliæ sunt, quæ inmutabiliter sequentur ex substantja, & non sunt capaces intensionis, sicut nec ipsa substantia, vt intelectus, & voluntas, &c. aliæ non immutabiliter sequuntur, sed dependenter ab aliqua alteratione, vt durum, & molle, & similia, & istæ intendi possunt, & remiti. Primum constat: tum quia illæ potentiæ sunt independentes omnino à qualitatibus alterativis. Tum quia illæ potentiæ conveniunt secundum vltimum gradum constitutivum naturæ, & vltimum naturæ in illis explicatur: ergo profluunt ab ipsa immutabiliter. Secundum etiam constat: Tum quia esse durum est passio ferri, sicut esse molle est passio ceræ, quæ quidem per alterationem aliquando duriora, aliquando molliora sunt. Tum quia qualitates, quę sunt elementorum proprietates experimur, intendi, & remitti, vt frigiditatem, & siccitatem terræ. Potentiæ etiam à fixæ organo corporeo dependente à aqualitatibus alterativis, sicut ratione talium qualitatum possunt alterari, ita ratione illarum possunt intendi, & remitti, & ita potentia visiva potest esse acutior, sicut, & anditus.

54 *Tertia species* qualitatis est intensibilis, & remisibilis, intensione stricta, vt dictum est, quod quidem patet ad sensum, in calore, frigore, & alijs qualitatibus similibus huius speciei.

55 *Quarta denique species* qualitatis forma, scilicet, & figura incapax est intensionis, & remissionis, quia resultat ex terminatione quantitatis, & terminatio semper fit secundum aliquid indivisibile, & idcirco quavis variatione terminationis facta, necesse est hanc qualitatem in specie variari, quod non contingit in alijs qualitatibus, quia licet omnium species consistant in indivisibili, tamen indivisibilitas, non est de ratione omnium specierum.

56 Ex dictis colliges 1. quod vltra augmentum intensivum qualitatum, datur in aliquibus augmentum extensivum, non consistens in eo, quod qualitas ipsa plures partes subiecti informet, sed penes attingentiam plurium obiectorum, quod quidem augmentum non convenit omnibus qualitatibus; sed solum illis, quæ specificantur ab aliquo extrinseco: sicut scientia, quæ paulatim addiscitur, augetur de novo attingendo diversas conclusiones, quas antea non attingebat, an hoc augmentum extensivum habituum, fiat per additionem gradus, aut modi, aut quomodo fiat? Constabit postquam de modo quo fit intensio disputemus.

57 Colliges 2. in quo sensu asserunt communiter Thomistæ, quod qualitates, quæ non specificantur ab aliquo extrinseco, non possunt intendi, & remitti secundum suam essentiam, bene tamen, quæ ab aliquo extrinseco specificantur. Quam doctrinam desumunt ex Div. Thom. 1. 2. quæst. 52, artic. 1. Primum probant, quia cum specificativum talium qualitatum sit intrinsecum, absolutum, & consistat in indivisibili, secundum tale specificativum, non suscipiunt magis, & minus, quo circa nec intendi, nec remitti possunt, intenduntur autem, & remittuntur secundum diversam participationem in subiecto. Secundum etiam probant, quia illæ quę specificantur ab aliquo extrinseco, possunt magis, & minus accedere ad suum obiectum, in quo consistit augmentum, quod nuper diximus esse extensivum, cum autem obiectum sit à quo illæ qualitates accipiunt speciem, augmentum, quod adquirit qualitas per ordinem ad illud, dicitur convenire qualitati, secundum se, aut secundum suam essentiam.

58 Nec obstat contra primam partem, quod D. Thomas, 2. 2. quæst. 24. art. 4. ad 3.

3. asserit esse propriæ vocis ignorantiam, qualitatem augeri secundum radicationem, aut participationem in subiecto, & non secundum suam essentiam.

Nec etiam obstat contra secundam, quod qualitates, quæ specificantur ab aliquo extrinseco, accipiunt speciem consistentem in indivisibili: ergo quamvis earum specificativum sit extrinsecum nec per ordinem ad illud possunt intendi, aut remitti, nec vere dicuntur intendi, aut remitti secundum se, aut secundum suam essentiam.

59 Ad 1. constabit solutio, artic. 4. huius quæst. dum explicemus in quo consistat maior, vel minor radicatio qualitatis in subiecto. Pronunc dicimus, D. Thomam impugnare eos, qui iudicabant radicationem maiorem, aut minorem, non pertinere ad entitatem ipsam qualitatis, quod quidem est falsum, quia entitas qualitatis ex se postulat inhærere, & participari in subiecto; & sic radicari magis, aut magis participari in subiecto, sine dubio ipsam entitatem qualitatis involuit, vnde Div. Thomas ibidem concludit dicendo: *Quod nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam, eam magis in esse subiecto, quod idem est, ac magis in illo radicari.*

60 Ad 2. neg. consequentiam: nam licet specificativum extrinsecum formaliter acceptum, & ex parte rationis formalis sub qua sit indivisibile, & hac ratione illæ qualitates non suscipiant magis, vel minus: tamen ex parte materiæ admittit latitudinem, & sic attingi potest ab habitu secundum plures, aut pauciores partes, vt videre est in obiecto metaphysicæ, & vidimus in obiecto logicæ; vnde propter indivisibilitatem obiecti formalis, vel rationis formalis obiectivæ, habitus habet simplicitatem, & propter variationem circa obiecta materialia suscipit magis, & minus extensive, quod qualitatibus absolutis non convenit.

61 Colliges 3. Illud augmentum extensivum, licèt proprius dicatur extensivum, non impropriè etiam dicitur intensivum, & in hoc sensu intelligendi sunt Authores, qui dicunt qualitates, quæ specificantur ab aliquo extrinseco, intendi, & remitti secundum se ad differentiam aliorum, quæ intenduntur solum secundum diversam participationem in subiecto. Dicitur proprius augmentum extensivum habitus,

cum differat ab augmento intensiuo proprissimo ipsius consistente in eo quod scientia v.g. clarius, & profundius eandem veritatem comprehendat, & per augmentum extensivum non in eadem materia, sed per adventum nouæ magis se explicat, & extendit. Dicitur etiam non impropriè augmentum intensivum, quia per illud habitus perficitur in se, & quasi augetur in facilitando potentiam.

ARTIC. III.

Vtrum intensio qualitatum, fiat per additionem gradus ad gradum

62 EA est generalis omnium gravissimarum difficultatum conditio, vt in *illis*, ex una parte tot fere sint sententiæ, quod capita, & ex alia sit facilius placita aliorum reijcere, quam propriã mentẽ exprimere. Hanc generalem conditionem in præsenti difficultate omnes experiuntur. Nos autem in illa per tractanda duo observare curabimus; & ordinem, quia multitudo sine illo confusionem parit, & divisionem vt pondus difficultatis facilius suporteter. In præsenti art. per qui non fiat; in sequenti vero, per quid fiat intẽsio, disputabimus.

63 Et vt ad id in quo, his temporibus est præcipua controversia, deveniamus, imprimis desserendá est sententia Durandi, & aliorum antiquorum asserentium, intensionem fieri per destructionem veteris qualitatis imperfectæ, & productionem novæ perfectioris. Tum quia contra lumen rationis videtur esse, quod forma destruatur, quando perficitur. Tum In alijs rebus, quæ crescunt, & perficiuntur, sine eo quod destruantur, sicut homo cum augetur non destruitur, sed roboratur. Tum quia non possemus augmentum desiderare alicui rei, nisi eius destructionem volendo. Tum denique sequeretur qualitatem nunquam posse per intensionem meliorari, & perfici, siquidem forma, quæ de novo venit, non perficitur, & quæ ante erat destruitur: ergo nulla perficitur.

64 Deinde deserenda est sententia aliorum antiquorum asserentium intensionem qualitatum consistere in depuratione earum à suo contrario, quæ tribui solet Ægidio: impugnaturque à D. Thoma; in 1. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 3. & huius sententiæ falsitas facile constat. Tum quia lux augetur, & nihil re-

retinet de forma contraria, luci enim non contrariantur tenebræ, sed illi opponuntur privativè, vt simul esse non possint; iuxta illud 2. ad corinthios 6. *Quæ conventio lucis ad tenebras?* Tùm quia insupernaturalibus, gratia, & charitas, Beatissimæ V. Mariæ, quotidie augebatur, & nihil fuit in illa de peccato, quantumvis minimo: ergo accidit intensioni, quod contingat cum deputatione à contrario.

65 Supposito ergo quod augmentum intensivum qualitatum, consistit in eô, quod manente qualitate prius producta; ipsa melioretur, & perficiatur, in eadem indivisibili parte subiecti, independenter ab eo quod in prædicto subiecto, vel in se ipsa admitat, vel non admitat contrarium; Difficultas sistit in modo quo fit; an scilicèt per additionem gradus ad gradum? An præcisse per maiorem radicationem in subiecto? Primum affirmat Scotus, & alij antiqui, & communiter schola societatis. Secundum vero affirmat D. Thomas, quem cõmuniter sequuntur omnes Thomistæ, quos superfluum erit recensere.

§. I.

Vnica conclusio.

66 I*Ntensio non fit per additionem Gradus ad Gradum.* Nomine *Gradus*, in præsenti intelligimus partem entitatis, formæ, aut qualitatis, superadditam qualitati præexistenti; (licet latius tali nomine vtantur etiam illi, qui intensionem qualitatum salvant sine additione novæ, & partialis qualitatis) conclusio est D. Thom. expressa; tum in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. tùm, quæst. 1. de virtut. artic. 11. tùm 12. quæst. 52. art. 2. tum 22. q. 24. art. 3. in quibus locis de modo intensionis qualitatum; ex professo tractat, & ex vna parte impugnat eos, qui fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, asserebant, & ex alia pluries repetit non fieri per additionem formæ, aut qualitatis.

67 Ex doctrina, quæ in prædictis locis à D. Thoma traditur, sequentes formantur discursus, quibus, & conclusionẽ esse de illius mente constabit, & frequens explicatio adversariorum, vt violenta præoccupatur. Primò: eam additionem reijcit D. Thomas in intensione qualitatum, quam aliqui Philosophi, & Theologi, quos impugnat D. Thomas, ponebant; sed nullus opinatus fuit, in intensione manere plures qualitates, totales, & completas, cum contrarium appareat ad sensum: ergo D. Thomas reijcit qualitatum partialium

lium additionem in sensu in quo à contrarijs asseritur.

68 Secundo: D. Thomas, primo loco supra adducto, Authores, quos impugnat, ex falsa imaginatione procedere, contendit, *quia augmentum charitatis imaginati sunt, ad modum augmenti corporalis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem;* Sed in augmento quantitatis, non additur nova quantitas totalis, & completa, sed solum partialis: ergo in augmento qualitatis, additionem non totalis, aut completæ qualitatis, reijcit, sed etiam partialis.

69 Hinc plures, & præstantiores ex adversarijs, postquam tentaverunt D. Thomam in suam per trahere sententiam, videntes menti S. Doct. non congruere, dixerunt, vel quod vehementissimè in nostram sententiam inclinat, vel quod difficile aliqua ex positio ei accomodatur; vel quod vtramque sententiam, vt probabilem docuit: vnde non parum miramur, P. Alphons. hæc verba proferre; *Angelicum Doct. Pro nobis stare tam apertum arbitror, vt non parum mirer, Thomistas adeo affixos esse contrariæ sententiæ.*

70 Ratione, prob. 1. conclusio; qualitas; intensior facta est vnum, per se; sed non esset vnum, per se; si intensio illius fieret per additionem gradus ad gradum: ergo intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, maiorem non negant adversarij, aliàs nec posset vnica operatione operari, quia quod non est vnũ per se, est simpliciter plura entia, & plura agẽtia, nec esset forma perfectior, sed multiplicatior, & veluti aggregatio formarũ, min. vero prob. ex partialibus qualitatibus nequit resultare vnum per se; sed si intensio fieret per additionẽ gradus ad gradũ, qualitas intensior facta resultaret ex partialibus qualitatibus: ergo non esset vnum per se, cætera patent, & prob. mai. vnum ens per se, tantum resultare potest ex partibus essentialibus, aut integralibus, sed partes qualitatis non possunt esse essentiales, aut integrales: ergo ex partialibus qualitatibus nequit resultare vnum per se. Mai. ex eo constans videtur, quia partes entis per se, debent esse simpliciter, & absolute partes, ad differentiam partium entis per accidẽs, quæ sunt simpliciter, & absolute tota, pars autem simpliciter talis, est quæ per se petit componere, & totum per se solum petit, vel constitui, vel integrari; & sic etiam petit, aut partes essentiales, aut integrales, quibus solum convenit per se componere.

Minor in qua stat diffi-

cultas, & in primis quod partes qualitatis nõ possint esse essentiales, prob. non essentiales metaphysicè, alias in qualitate remissa non esset essentia qualitatis, vel per intensionem variaretur qualitas essẽtialiter metaphysicè, cum pars essentialis metaphysica ei adderetur; non essentiales physicè, tùm quia, partes essentiales physicè distinctæ ab integralibus solùm sũt materia, & forma, Potẽtia, & actus, quod repugnat qualitati, alias qualitas ex traheretur à ratione actus, & formæ. Tùm quia, quod accidit toti essentialiter physicè constituto, non est pars essentialis physica illius, sed intensio accidit qualitati, vt est totum essentialiter physicè constitutum: ergo intensio non fit per additionem partis essentialis physicæ qualitatis: prob. min. qualitas non summe intensa est totum physicè essentialiter constitutum in specie qualitatis, cum sit individuum speciei qualitatis existens in re independenter ab alio suæ speciei, & numerice distinctum ab alio individuo eiusdem speciei, nempè ab alia qualitate non summe intensa; sed qualitati non summe intensæ accidit quod summe intendatur: ergo intensio accidit qualitati, vt est totum essentialiter physicè constitutum: subindeque intensio non est additio partis essentialis physicæ.

Quod autem partes qualitatis non possint esse integrales, prob. tùm quia partes, quibus intenderetur qualitas, deberent illam redere perfectiorem in ratione formæ, sed partes integrales non possunt reddere qualitatem perfectiorem in ratione formæ: ergo non intenditur per partes integrales. Prob. min. de ratione partium integralium est convenire in ratione formæ, & differre penès materiam, aut quantitatem, & si augentur, totum integrale constituunt maius, non vero perfectius, aut melius: ergo partes integrales non redderent qualitatem perfectiorem in ratione formæ sed maiorem ratione subiecti, aut quantitatis.

Tùm quia partes integrales non componunt vnum simpliciter, & per se, nisi omnes constituantur sub vnica forma coniungente illas, & veluti informante, vt patet in partibus integralibus quantitatis, & substantiæ; eo quod sunt, quasi partes materiales indigentes informatione: ergo si ipsa qualitas, vt forma partes integrales haberet, indigeret alia forma illas informante, & ad vnitatem reducente, vt vnum per

se integrale resultaret: quod est absurdum. Proindeque ex partialibus qualitatibus nequit vnum per se resultare, nec integrale, nec essentiale physicum, aut metaphysicum.

71 Confirm. qualitas intensa est vnum per se, vt vidimus, sed non vnitate compositionis; ergo vnitate simplicis entitatis formalis; prob. min. partibus qualitatis non cõvenit per se vniri: ergo qualitas intensa non est vnum per se per compositionem. Conseq. patet, & ant. prob. formæ non convenit per se vniri alteri formæ, sed partes qualitatis sunt formæ: ergo non convenit illis per se vniri inter se, prob. mai. vnio per se omnis formæ est, vt præstet suum effectum formalem, id est, vt informet; sed vna forma alteram per se non informat, sed subiectum: ergo vna forma alteri per se non vnitur, sed subiecto: sed sine vnione per se partium non stat vnum per se per compositionem illarum: ergo &c.

72 Confirm. 2. vel vna pars qualitatis vnitur alteri parti, sub munere, & exercitio formæ; vel non. Si primum: ergo vna pars qualitatis aliam informat, quia munus, & exercitium formæ est informare: ergo pars, quæ informatur vt vnita alteri, nõ est forma, & actus, sed potentia, aut subiectum: Proindeque qualitas intensa nõ erit forma perfectior, sed compositum ex actu, & potentia, & subiecto quodammodo, & forma; si secundum: ergo munus formæ se habebit de materiali omninò ad vnionem vnius partis cum alia: ergo vnio illarum non est vnio per se. Hæc vltima conseq. prob. vnio ad quam se habet de materiali, & quasi per accidens id quod per se convenit partibus non est vnio per se illarum partium; sed solum munus, & exercitium formæ convenit qualitati per se; ergo si hoc se habet de materiali in qualitate ad vnionem illius cũ alia, vnio vtriusque non erit per se, proindeque nec ex illis resultabit vnum per se.

73 Si dicas: quod potest vna pars formæ cum alia per se vniri, quin vna aliam informet, vt patet in toto integrali substantiali, aut quantitativo, quod quidem est vnum per se, & vna pars aliam non informat.

74 Contra est: Tùm quia partes integrales formaliter vt tales sunt materiales informabiles vlterius ab alia forma: ergo licet vna aliam nõ informet, omnes tamen vniuntur sub vna forma alias informante; sed hoc modo vniri partes qualitatis ad intensionem

nem repugnat vt supra ostendimus; ergo si vniuntur per se, vna aliam debet informare.

Tùm quia vnio partium integralium est ad constituendum totum maius, & extensum; vnio partium qualitatis si essent, esset ad constituendum totum melius, & perfectius: ergo licet partes primi totius nō petant ad invicē informari sed potius, quod vna sit extra aliam, vt ex illis resultet totum maius, & extensum, partes tamen secundi totius petunt ad invicem perfici, vt ex illis resultet totum melius, & perfectius; sed pars formalis, non perficit nisi informando: ergo.

75 Si iterum dicas: quod vnio partium qualitatis non est vt vna alteram informet, sed vt vnitæ perfectius, & magis informent subiectum. Contra est: ergo prius intelligitur, partes qualitatis esse vnitas, quam quod magis, & perfectius informent subiectum: ergo pro illo priori, vel intelliguntur vnite per se, vel non? Si primum ergo pro illo priori intelligitur vnum totum per se resultans ex illis; non integrale, vt probatum est: ergo essentiale physicum sed totum essentiale physicum vnum per se ex puris formis repugnat: ergo pro illo priori vna pars erit forma, & actus respectu alterius; ac subinde vna aliam informabit. Si secundum: ergo qualitas pro illo priori non erit vnum per se, & sic non poterit melius, & perfectius informare subiectum, sed pluries, aut multiplicatius, quod intensio non est.

§. II.

Vlterior conclusionis probatio.

76 SEcundo prob. conclusio, impugnando modos, quibus contrarij explicant naturam graduum qualitatis in sua intensione. Aliqui dicūt gradus esse Æthereogeneos, & diversæ rationis; dissimiles, & inæqualiter perfectos. Contra quos insurgo. 1. Gradus ætherogenei, dissimiles, & inæqualiter perfecti differunt essentialiter: ergo qualitas nequit intendi per additionem illorum ant. constat, quia primus essentialiter est primus, & secundus essentialiter est secundus, & sic de reliquis, & secundus essentialiter supponit primum; & inæqualitatibus activis primus nequit producere, quod producit secundus, & sic de reliquis: & consequenter aliquod prædicatum essentiale convenit vni, quod non cōvenit alteri, quod sine variatione essentiali nequit intelligi.

Conseq. verò prob. Gradus,

dus qualitatis essentialiter differentes sunt specie differentes; sed repugnat qualitas intensa ex qualitatibus specie differentibus: ergo qualitas nequit intendi per additionem illarum. Prob. min. qualitas intensa est vnum per se, vt probatum manet; sed ex rebus specie differentibus intra lineam formæ nequit vnum per se resultare: ergo repugnat qualitas intensa ex qualitatibus specie differentibus.

77 Dices cum adversarijs: quod gradus, quia ordinati sunt ad constituendam vnam intensionem caloris; v.g. distinguntur specie inadæquata; quæ autem sic distinguntur, constituere possunt per sui vnionem vnum per se, vt patet, in materia, & forma, & in partibus ætherogeneis eiusdem animæ.

78 Contra est 1. qualitas intensa à non intensa, solum debet differre penès magis, & minus; sed gradus specie essentiali differentes differunt plus, quam penès magis, & minus ergo intensio nequit fieri per gradus specie differentes; mai. constat ex communi modo exponendi intẽsionem, quia capacitatem ad intensionem deprehendimus ex capacitate ad suscipiendum magis, & minus, min. vero, prob. tum quia iuxta D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. ad 2. *magis, & minus secundum quod causantur ex intensione, & remissione non diversificant speciem*. Tùm quia calidum per gradus caloris specie differentes, non solum dicitur, quod est *magis calidum* sed proprius dicitur quod est *diverse calidum* sicut subiectum cum calore, & siccitate specie differentibus, nō solū est magis qualificatum, sed diverse qualificatum: ergo gradus specie differentes plus differunt, quàm penès magis, & minus.

79 Secundò: si gradus intensionis differunt plusquam accidentaliter, & penès magis, & minus, non est ratio, cur ex duobus caloribus essentialiter differentibus fiat intensio, potius quam ex alijs qualitatibus etiam specie differentibus, vt colore, albo, & palido assumptum prob. in primis, non quod vnus calor disponat ad alium, nam etiam calor disponit ad nigredinem, & etiam colores intermedij, quin ex illis resultet intensior qualitas. Non quod vna qualitas perficiatur per aliam; nam dum materia perficitur per formam, & substantia per accidentia, daretur eius intensius. Non quod in qualitatibus activis ex vtraque qualitate resultet activior vis causativa; nam ex calore, & igne resultat maior vis calefactiva, quin ex vtroque resultet

tet

tet intensio; similiter color cum maiori luce viuiùs rem mittit speciem in occulo, quin color, & lux faciat intensionem. Non denique quod differant specie solum inadæquata. Tùm quia plura ex supradictis solum specie inadæquata differunt. Tùm quia si rationes supradictæ probant calores partiales esse species solum inadæquatas, cum eædem reperiātur in alijs qualitatibus, poterit dici cum eodem fundamento, solum specie inadæquata differre, ordinarique posse ad componendam intensionem.

80 Tertio: nam gradus perfectior vnitus per se cum inferiori à quo speciè differt, vel perficit intrinsece gradum inferiorem, vel non? Si primum, cum forma non perficiat aliud, nisi se communicando, nec se communicet nisi informando, gradus perfectior informabit inferiorē, subindeque gradus inferior non erit pura forma, & actus, sed veluti potentia, & subiectum; ex quo vlterius sequitur, quod licèt intergradus detur vnio per se sicut inter materiam, & formam, non tamen dabitur intensio, sicut nec in eo quod resultat ex materia, & forma. Hæc conseq. prob. quia intensio est melioratio formæ, vt forma est, & augmentum perfectionis formæ, vt forma est: ergo si gradus qui perficitur, vt reduplicatiue perficitur ab alio gradu, non explicat esse actum, & formam, non perficitur, aut melioratur, vt forma, sed veluti potentia, aut materia, vel subiectum. Si dicas secundum: ergo perfectio secundi gradus se habet extrinsece ad primum gradum: ergo per intentionem qualitas præexistens non perficitur, sed solum noua qualitas perfectior ipsa ei adiungitur, quod quidem, vel ex ipsa prima apprehensione quidditatis intentionis expungitur, quia intendi propriè sonat *intus perfici*.

81 *Quarto*: sequeretur gradus inferioris caloris, scilicet à primo vsque ad quartum, (vt aiunt adversarij) esse essentialiter inferiores, & gradus superiores à quinto scilicet vsque ad octauum esse essentialiter superiores: ergo gradus inferiores caloris sunt essentialiter imperfecti, & gradus superiorus essentialiter perfecti; ergo gradus inferiores caloris essentialiter faciunt calorem remissū, & superiores essētialiter constituunt calorem intensum, ac subinde remissio est essentialis gradibus inferioribus, & intensio est essentialis superioribus, sicut illis est essentialis perfectio, & imperfectio illorum. Patet hæc vltima conseq. nam intensio, & remissio qualitatis

in

in hac ſententia ſumitur eſſentialiter, immo nihil aliud eſt, quam ipſi gradus, remiſsio ſunt gradus imperfecti, aut imperfectio illorum, intenſio vero perfectio graduum, ſeu gradus perfecti: ergo ex gradibus ſuperioribus, & inferioribus caloris, nequit reſultare vna intenſio conſummata caloris; prob. hanc conſequentiam, ex eo quod eſſentialiter pugnat cum intenſione, nequit reſultare intenſio; ſed quod eſſentialiter eſt remiſſum, eſſentialiter pugnat cum intenſione: ergo ſi intenſio eſt eſſentialis gradibus ſuperioribus, & remiſsio inferioribus, ex iſtis, & ex illis nequit reſultare intenſio.

82 Inſurgo 2. contra Authores ponentes gradus Æthereogeneos. Si gradus eſſent inæquales in perfectione, octavus gradus caloris excederet in perfectione qualificativa, immo, & activa reliquos ſeptem gradus ſibi inferiores. Sed hoc eſt falſum: ergo gradus non poſſunt eſſe inæqualiter perfecti, aut Æthegorenei. Prob. min. tum quia octavus gradus caloris expellitur à ſubiecto per hoc quod recipiat primum gradum imperfectum frigoris; ſed quod eſt perfectius in vno contrario, nequit expelli, per imperfectius aut infimum ſui contrarij: ergo.

Tùm quia alias ſubiectum calidum per octavum gradum ſolum, eſſet magis calidum, quam ſubiectum habens ſeptem gradus caloris, cum omnes illos in perfectione excederet: ergo vt ſubiectum ſit calidum in ſummo, ſuperfluunt ſeptem gradus caloris inferiores; ſed octavus gradus ſolus conſtituit ſubiectum ſumme calidum ſine additione alterius qualitatis: ergo vel eſt falſum gradus qualitatis eſſe inæqualis perfectionis, vel debet ſalvari perfectior qualitas, & intenſa in ſimplici qualitate ſine gradibus.

83 Dices cum adverſarijs: vel quod exceſſus octavi ſupra reliquos ſeptem gradus caloris non ſtat in vi præſtandi maiorem effectum formalem; ſed in maiori vi productiva caloris; vel licet ſtaret exceſſus in effectu formali, ille exceſſus eſſet reſpectu reliquorum inferiorum diviſivè; non vero collectivè; ex quo inferunt non ſuperfluere gradus inferiores: Tùm vt remiſsio fiat ſucceſsivè: tùm vt diſponant ſubiectum ad formas mixtorum, quæ cum ſummo gradu primarum qualitatum coexiſtere nequeunt; tùm denique vt producant alios gradus inferiores ſibi ſimiles.

84 Sed contra omnes partes huius ſolutionis; & in primis contra primam obſtat: qui-

quia non stat excessus octavi, supra septem inferiores gradus in vi productiva caloris, quin stet etiam excessu; in vi præstandi maiorem effectū formalem: ergo solutio ex hac parte ruit: prob. ant. non stat perfectior vis productiva in aliqua forma, quin sit perfectior forma, quia perfectio virtutis causæ sumitur ex perfectione causæ, sed repugnat perfectior forma sine vi ad præstandum perfectiorem effectum formalem, quia iste alius non est præter ipsam formam, vt subiecto communicatam: ergo si octavus gradus caloris excedit inferiores in vi productiva caloris; etiam debet illos excedere in effectu formali, quem præstat subiecto.

85 Contra secundam partem solutionis obstat, nam si excesus octavi supra inferiores in effectu formali esset tantum respectu illorum divisivè, non vero collectivè: ergo effectus formalis gradus octavi non excedit in perfectione collectionem effectuum formalium, vel effectus formales collectivè sumptos graduum inferiorum: ergo per gradum octavum non intendetur calor. Prob. ultimam consequentiam. octavus gradus caloris non præstat subiecto effectum formalem perfectiorem tota collectione effectuum formalium graduum inferiorum: ergo per gradum octavum non fit subiectum magis, & perfectius calidum, quam esset per collectionem graduum inferiorum. Patet conseq. quia subiectum esse magis, & perfectius calidum habet à perfectiori effectu formali graduum qualitatis: ergo si effectus formalis gradus octavi non excedit in perfectione totam collectionem inferiorum graduum, per gradum octavum non fit subiectum magis calidum, quam esset per gradus inferiores sumptos collectivè; subindeque per octavum gradum, licet extendatur calor in subiecto, & sit maior extensive, non tamen erit subiectum magis, & perfectius calidum intensè.

86 Explicatur hoc intensio consistit in perfectiori effectu formali, quem qualitas præstat subiecto; sed calor per collectionem septem graduum præstat subiecto effectum formalem, quem non excedit in perfectione gradus octavus: ergo gradus octavus non addit subiecto, nec calori perfectionem maiorem quam antea habebat, & consequenter octavus non intendit, si non excedit. inferiores collective sumptos.

87 Obstat. 2. nam. si gradus octavus caloris non excedit in perfectione septem-

gradus inferiores collectivè? ergo ille solus non reddit tàm intense calidum subiectum, qàm omnes septem inferiores: ergo intensio caloris vt octo formaliter iuvatur ex septimo gradu minus perfecto: ergo à fortiori coniunctio graduum æqualium caloris sufficiet ad componendam intensiorem, quod authores intensiones per gradus Æthereogeneos non admittunt: hæc vltima conseq. prob. gradus inferior formaliter iuvat ad intensionem cum gradu superiori, cum gradus superior non reddat subiectum ita intense calidum, sicut illud reddit in consortio gradus inferioris: cur ergo consortium gradus non inferioris, sed æqualis, formaliter non iuvabit, & sufficiet ad componendam intensionem?

88 Contra id, quod sub infertur ex solutione, obstat: Tùm quia, si semel per octavum redditur subiectum ita perfecte calidum, sicut per septem gradus inferiores, vt ex sententia horum authorum sequi necessariò probavimus; ad minus sequitur ad intensionem formalem, quam præstat calor subiecto per octo gradus caloris superfluere septem gradus inferiores, semel quod octavus gradus adquiritur, sed hoc ipso superfluerent etiã ad remissionem: ergo. Mi. constat, nam cum intensione facta per octavum, vel manet intensio facta per septem gradus inferiores, vel non. Primum nequit dici, si vt probavimus solus octavus gradus reddit subiectũ tàm intense calidum, quàm omnes septem, quia de septimo gradu respectu suorum inferiorum idem dicendum erit, & sic per octo gradus caloris ita se excedẽtes redderetur subiectum intense calidum fere vt centum, quod est absurdum. Si intensio facta per septem gradus non manet cum intensione facta per octavum, superfluunt gradus inferiores formalem intensionem, vt patet. Min. vero prob. illa forma, quæ se habet de materiali ad formalem intensionem etiam se habet de materiali, aut superfluit ad remissionem, quia eisdem qualitas est formaliter intensa, quibus si diminuantur, est formaliter remissa.

Vnde quod ex inæqualitate perfectionis graduum, per legitimas consequentias, (vt censemus) sequatur, aut quod crescat in proportionate intensio; aut quod non possit fieri remissio successivè, & alia quam plurima difficilia convincit, quam dificilis est intensio per gradus Æthereogeneos.

89 Denique quod ad di-

ditur, scilicet non superfluere gradus inferiores, quia necessarij sunt ad formas mixtorum, vt dispositiones ad illas, non venit ad rem. Quia vel sermo est de gradibus inferioribus, vt cum octavo vniti hi faciunt vna intensionem: vel de illis sine septimo, aut octavo: si primum: sicut forma mixtorum nequit coexistere cum septimo, aut octavo gradu; ita nec cum gradibus inferioribus vnitis cum octavo quare sicut, prout sic superfluunt ad intensionem formalem; ita superfluunt ad munus disponendi si dicatur secundum: sicut nos nō dicimus, quod superfluūt ad intensionem caloris, vt sex, ita nec superfluere dicimus ad hoc vt disponant.

90 Ex quibus omnibus in summa infertur, intēsionem factam per gradus Æthereogeneos esse impossibilem; nam vel perfectior gradus solus reddit subiectum æque intense qualificatum sicut omnes inferiores collectiue, vel non? Si primum: aut crescit improportionate intensio, aut posito gradu perfectiori, inferiores superfluūt, si secundum: aut gradus perfectior non facit qualitatem magis intensam, aut posset illam intendere quā vis esset tantum æqualis, quæ omnia impossibilia, censemus.

§ III.

Intensio per gradus homogeneos reijcitur.

91 Alij authores intensionem per gradus homogeneos, eiusdem rationis, & perfecte similes, & æquales, fieri contendunt. Contra quos insurgo 1. nam qualitas intensa, tàm in se, quàm in ordine ad subiectum, est perfectior quam remissa; sed ita non esset, si intensio fieret per gradus omninò homogeneos ergo. Prob. min. nā inter qualitates omninò æquales vna nō perficit aliam, nec plures magis perficiunt subiectum: ergo qualitas constans ex pluribus equalibus, nec in se, nec in ordine ad subiectum est perfectior, quam qualibet partialis. Prob. ant. & in primis, quod vna non perficiat aliam, cum sint omninò æquales in perfectione, & non sit maior ratio in vna, quam in altera, patet. Quod vero, nec etiam plures magis perficiant subiectum, prob. nam plures formæ eiusdem æqualitatis, activitatis, & virtutis, licet in suo obiecto multiplicent suum effectum formalem, non tamen præstant effectum formalem perfectiorem, sed omnes eundem, licet multiplicatum; ergo plures qualitates om-

omnino ęquales non magis perficiunt subiectum, quam quælibet partialis. Prob. ant. nam nulla forma præstat subiecto, plusquam, in se ipsa habet: ergo ex parte subiecti non correspondet omnibus illis perfectior effectus, quam ille, qui cuilibet in particulari corresppondet.

92 Dices 1. quod sub ęqualitate graduum stat maior perfectio entitativa in qualitate in tensa, quam inextensa, & remissa, perfectio quidem tota ex vnione illorum penetrativa.

93 Sed præterquamquod difficillime percipitur, quæ nam sit hæc vnio penetrativa, quia penetratio solum est propria eorum quibus per se convenit esse in loco, minorum corporum; & præter difficultatem, & impossibilitatē vniendi formas omnino ęquales in actualitate, perfectione, & vi informativa, ita vt ex illis resultet vnum per se. Obstat 1. nam si excessus perfectionis sumitur ex vnione; ergo qualitas intensa vt octo, nihil dicit maioris perfectioni, quam remissa vt duo. Prob. conseq. nam in qualitate vt duo datur vnio secundi gradus cum primo ęque perfecta, ac unio octavi cum septimo in qualitate vt octo: ergo si tota maior perfectio sumitur ex vnione, vna non dicit maiorem perfectionem, quam alia.

Si solum sit discrimen in eo quod qualitas vt octo, includit plures vniones quam qualitas vt duo, hoc autē solum convincit, in qualitate vt octo esse plures perfectiones, quam in qualitate vt duo, non vero quod qualitas vt octo sit perfectior, Pręterquamquod, sicut ex pluralitate partium omnino ęqualium, non infertur perfectior, aut intensior qualitas, seclusa vnione illarum, ita ex pluralitate vnionum etiam omnino æqualium non infertur perfectior, aut intensior qualitas.

94 Obstat 2. quia perfectio vnionis non auget calorem in esse caloris, quia vnio vnius caloris cum alio calor non est; sed intensio caloris petit calorem esse perfectiorem in esse caloris: ergo perfectior vnio nō sufficit vt ex gradibus omnino ęqualibus resultet intensior qualitas.

95 Dices 2. calorem intensum esse perfectiorem in esse caloris remisso; immo, & extensum minus extenso, quia multiplicatio perfectionis, licet ęqualis facit coniunctum perfectius sic coniunctum ex duobus hominibus est absolute perfectius vno; sic etiam maior. & perfectior virtus, est necessaria, ad producendos duos ignes simul, quam vnum, signū evidēs, quod est perfectius cōiunctus.

Sed

Sed hæc solutio essentiam intensionis evetit confundens illam cum exstensione, immo, & cum aggregato per accidens rerum perfectarum, vt constat exemplis, quibus fulcitur, & quibus explicatur, mentem Authoris solutionis nihil aliud attingere in inten sione præter multiplicationem qualitatum in eodem subiecto, quod est intensionem nimis crase concipere, & id circo, vel ex ipsa prima apprehensione naturæ intensionis, solutio manet impugnata, immo ex illa non leviter infertur, voluntarie restringi intensionem ad solas qualitates, cum simile augmentum perfectionis, quod qualitati conceditur, omnibus rebus, sivè substantialibus, sivè accidentalibus nullus valeat negare.

97 Secundo contra æqualitatem omnimodam graduum sic insurgo: quia unus gradus caloris in subiecto frigido vt octo non opponitur cum omnibus octo gradibus frigiditatis: ergo cum nullo. Prob. conseq. Quia si omnes sunt eiusdem rationis, non est cur potius expellatur vnus, quam alius.

Nec dicas 1. quod attinet ad Deum determinare, qui gradus in singulari sit expellendus. Contra est; quia difficilis est philosophia, quæ recurrit ad Deum pro effectibus, qui causis creatis sine inconvenienti tribui possunt, vel ex eo solum, quod superet exigentiam vnius gradus caloris alium frigoris expellere: sine recursu ad Deum specialiter operantem, redditur valde difficilis sententia de gradibus homogeneis.

98 Si dicas: quod sicut quando producitur primus gradus caloris determinat Deus, qui primus producendus sit ex omnibus primis possibilibus; ita sine dificultate percipi potest, quod etiam Deus determinet, qui gradus expellendus sit ex octo præexistentibus frigoris.

99 Sed contra est: nam licet pro existentia huius individui in particulari potius quam alterius ex omnibus individuis posibilibus causæ naturalis, admittatur recursus ad Deum, non est cur recurratur ad ipsum, ad corruptionem individui iam existentis faciendam vi agentis naturalis: ergo solutio est nulla. Probat. anteced. Non est ita difficile, admittere in philosophia, quod causis naturalibus ex se solum determinatis ad speciem effectus determinatio ad hoc individuum, potius quam aliud non tribuatur, sed cau-

sæ primæ, difficilius tamen est admittere, quod individuum determinatum iam existens naturale, & corruptibile non possit à causa aliqua naturali corrumpi, sine interventu speciali Dei: ergo.

100 Nec dicas 2. Quod sine recursu ad Deum, ille gradus frigoris determinate expellitur, qui ultimo fuit productus. Contra est 1. & quid dicetur in casu possibili, & sæpè contigente, quod in eodem instanti plures producantur gradus frigoris, ex quibus vnus solum à primo gradu caloris expellatur? Contra 2. quia potius natura exposcit, & ratio quod ex pluribus æqualibus ille, qui minus duravit, petat vlterius conservari, & si propter hoc destinetur ad corruptionem gradus frigoris primo productus, reddit instantia facta, in casu sæpè accidente, quod plures gradus frigoris essent simul in eodem instanti producti.

101 Tertio contra gradus homogeneos insurgo. Si gradus essent omnino æquales in perfectione; in qualitate activa essent æqualiter activi; quia activitas provenit ex perfectione formæ; & ex activitate colligitur formę perfectio. Ex quo vlterius sequeretur, quod calidum vt duo se ipsum & quodcumque aliud vsque ad octavum gradum intenderet; quod prob. Tùm quia ex parte passi daretur capacitas, alias non deficit activitas calori agenti, cum sit eiusdem perfectionis cum gradibus producendis. Tùm quia potest producere octo gradus caloris in diversis subiectis: ergo etiam in eodem. Prob. conseq. quia gradus sunt eiusdem rationis in vno, & in altero subiecto; deinde non est minus capax subiectum vnum, ac aliud: ergo calidum, vt duo se ipsum, & quodcumque aliud poterit vsque ad octavum gradum intendere

Sed totum hoc adversatur experientiæ, qua videmus, tùm quod calidum vt duo se ipsum non intendit, alias necessario perveniret usque adignationem, & quodcumque calidum igne fieret necessario. Tùm quod calidum vt quatuor in alio calido vt quatuor non producit gradum quintum; bene tamen in calido vt duo producit gradum tertium. Tùm quia Authores, quos impugnamus communiter asserunt, simile non posse intendere sibi simile; ex quo infertur gradus non esse in activitate æquales, siquidem aliqui producunt, quod alij non possunt; nec esse æquales in ratione effectus, quia quintus gradus nequit

quit produci ab illo à quo potest produci tertius.

102 Argumentum hoc male torquet Authores, quos in præsenti impugnamus, vt constat: tùm ex eorum confessione; tùm ex varietate solutionum, quibus ocurrere conantur huic argumento; dicunt enim, calidum vt quatuor, neque se, nec aliud calidum vt quatuor posse intendere. Vel quia cum finis agentis sit asimilare sibi passum cessat finis agendi, si passum supponatur cum effectu simili ipsi agenti, vel quia deberet producere vnionem gradus superadditi cum præexistentibus, quæ vnio excedit in perfectione, & gradibus, & vniones præexistentes: vel quia tota virtus calidi agentis vt quatuor occupatur in conservandis quatuor gradibus repertis in passo.

103 Sed nulla ex solutionibus satisfacit. Non prima, quia licèt finis agentis sit sibi asimilare passum non cessat finis, si perfectius, & per plures sui similitudines asimilet sibi passum, supposito quod illas contineat; sed omnes gradus vsque ad octo sunt inter se similes in passo quod intenditur, & etiam sunt perfectè similes cum gradibus calidi agētis: ergo quanto plures gradus producat in passo, & perfectius asimilabit sibi passum; & per plures sui similitudines; vnde necessariò recurrendum est, vel ad hoc quod calidum vt quatuor, quod est agens non continet quintum gradum superadditum passo calido vt quatuor ex quo infertur gradus non esse æqualiter activos, & perfectos, vel ad aliud principium quod non asignat solutio,

104 Non secunda: quia vnio cum modus sit rei vnitæ, nequit esse perfectior re cuius est vnio; sed quintus gradus non est perfectior quatuor præexistentibus: ergo nec vnio ipsius cum præexistentibus: ergo si quintus gradus continetur in virtute quatuor præexistentium, non est cur in virtute illorum non cōtineatur vnio.

105 Non tertia: quia vel exhauritur tota virtus activa calidi vt quatuor, conservando quatuor gradus caloris, in passo, vel non? Si hoc Secundum: non est, cur quintum gradum, quem continet, non possit producere, cum passum sit capax; si primum: ergo quintus gradus non continetur, in virtute activa calidi vt quatuor, & cum alias, contineatur in virtute activa aliorum graduum caloris Intensi, sequitur gradus non esse æqualiter activos, nec æqualiter perfectos.

106 Ex quibus omnibus sequens formatur discursus & est secunda ratio pro nostra conclusione; si intensio qualitatis fieret per additionē gradus ad gradum necessario fieret, vel per additionem gradus homogenei, omnino similis, æqualis, & eiusdem rationis cum præexistentibus, vel per additionem gradus Æthereogenei, dissimilis, & inæqualis, & diversæ rationis à præexistentibus: sed vtrumque repugnat, vt probatum manet: ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum,

§. IV.

Diluuntur argumenta.

107 Præcipua argumenta contra præsentem resulutionem militant etiam contra conclusionem, & resolutionem articulo sequenti statuendam. Nunc vnum, vel alterum proponemus. Obijcies 1. subiectum fit simpliciter calidum per calorem: ergo magis calidum per maiorem calorem, iuxta illud axioma: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis, ad magis.*

108 Confirmat. quia subiectum fit simpliciter quantum per quantitatem, non fit magis quantum, nisi per maiorem quantitatem: ergo quia fit simpliciter calidum per calorem, non fit magis calidum nisi per maiorem calorem, proindeque sicut maior quantitas non est nisi per additionē partium quantitatis; nec homo fit maior, nisi per additionem partium hominis, ita nec calor fiet maior nisi per additionem partium caloris.

109 Resp. ad argumentum, quod quidem sibi opposuit D. Thomas 1. 2. q. 52. art. 2. & respondet ad 3. *Quod id quod non dum est calidum, est in potentia ad formam ipsam, tamquam non dum habens formam, & ideo agens causat novam formam in subiecto; sed id quod est minus calidum non est in potentia ad formam cum iam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum.*

110 Si dicas: quod Aristot. parificat primam introductionem caloris in subiecto cum augmento illius in eodem: vt constat ex 4. Physi. text. 85. dicente: *Quod sicut ex frigido fit calidum; sic & ex calido fit magis calidum.*

111 Resp. parificare, nō quoad entitatē productā, sed solū quā tum admodū producendi, quia scilicet vtrobique fit aliquid de novo, & proceditur a termino *à quo & ad quem*, vel dicatur quod Phil. solū docet, quod idem sit susceptivum contrariorū, & Cō-

sequatur quod sicut ex frigido fit calidum non addendo subiectum, sed producendo calorem in eodem quod erat frigidum: sic ex calido fit magis calidum sine additione novi subiecti, in quo distinguit augmentum intensivum ab extensivo, & in hoc sensu exponi debet axioma: *Sicut se habet, simpliciter* &c.

112 Ad confirm. quam etiam sibi obijcit D. Thomas loco citato ex 1. 2. Resp. Cum ipso: dicendo ad primum: quod in quantitate est duplex augmentum, vnum simile intensivo (immo, & intensivum vocat D. Thom.) in quo nulla est additio partis quantitatis, vt in his, quæ rarefiunt: aliud per additionem subiecti ad subiectum, & consequenter partis quantitatis ad partem, sicut, & in augmento viuentium. Quod amplius explicat D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. quod quidem si legisset Recentior quidam Societatis, non diceret *solutionem* (quia dicimus, exemplum quantitatis stare pro nobis in rarefactione) *non venire ad rem*.

113 Secundo potest ad argumentum, & confirm. concedi conseq. & negari paritas, quæ sub sumitur, nempè, quod sicut maior quantitas non est, nisi per additionem partium, ita nec maior calor: vnde sicut non tenet paritas, nempe maior quantitas non est, nisi per additionem partium subiecti: ergo maior calor non est, nisi nova pars subiecti addatur; ita nec tenet paritas maioritatis per additionem partium quantitatis, & qualitatis: instaturque in ipsa etiam quantite rarefacta.

114 Obijcies 2. ex D. Thoma. 3. p. quæst. 7. artic. 12. docente: gratiam (& idem est de alijs qualitatibus) habere gradus in suo augmento: *hominum, inquit, qui sunt pure viatores, gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum &c.*

115 Confirmat. tum quia iustus per sua opera meretur gratiam, & crescit in iustitia: ergo præmium quod adquirit est gratia; & quidem distincta à præcedenti, quia alias nullum emolumentum haberet per suum meritum, nec cresceret in iustitia: tum quia Tridentinum damnat eos, qui dixerint per sacramenta non dari gratiam semper, & omnibus; sed per sacramenta viuorum datur augmentum gratiæ: ergo augmentum gratiæ gratia est, & non modus.

116 Resp. Quod nomine *gradus* non intelligit D. Tomas partialem qualitatem superadditam, sed novam participationem eiusden in subiecto,

106 Ex quibus omnibus sequens formatur discursus & est secunda ratio pro nostra conclusione; si intensio qualitatis fieret per additionẽ gradus ad gradum necessario fieret, vel per additionem gradus homogenei, omnino similis, æqualis, & eiusdem rationis cum præexistentibus, vel per additionem gradus Æthereogenei, dissimilis, & inæqualis, & diversæ rationis à præexistentibus: sed vtrumque repugnat, vt probatum manet: ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum.

§. IV.

Dissoluuntur argumenta.

107 Præcipua argumenta contra præsentem resulutionem militant etiam contra conclusionem, & resolutionem articulo sequenti statuendam. Nunc vnum, vel alterum proponemus. Obijcies 1. subiectum fit simpliciter calidum per calorem: ergo magis calidum per maiorem calorem, iuxta illud axioma: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis, ad magis.*

108 Confirmat. quia subiectum fit simpliciter quantum per quantitatem, non fit magis quantum, nisi per maiorem quantitatem: ergo quia fit simpliciter calidum per calorem, non fit magis calidum nisi per maiorem calorem, proindeque sicut maior quantitas non est nisi per additionẽ partium quantitatis; nec homo fit maior, nisi per additionem partium hominis, ita nec calor fiet maior nisi per additionem partium caloris.

109 Resp. ad argumentum, quod quidem sibi opposuit D. Thomas 1. 2. q. 52. art. 2. & respondet ad 3. *Quod id quod non dum est calidum, est in potentia ad formam ipsam, tamquam non dum habens formam, & ideo agens causat novam formam in subiecto; sed id quod est minus calidum non est in potentia ad formam cum iam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum.*

110 Si dicas: quod Arist. parificat primam introductionem caloris in subiecto cum augmento illius in eodem: vt constat ex 4. Physi. text. 85. dicente: *Quod sicut ex frigido fit calidum; sic & ex calido fit magis calidum.*

111 Res. parificare, nõ quoad entitatẽ productã, sed solũ quãtum admodũ producendi, quia scilicet vtrobique fit aliquid de novo, & proceditur a termino *à quo & ad quem*, vel dicatur quod Phil. solũ docet, quod idem sit susceptivum contrariorũ, & Cõ

se-

sequenter quod sicut ex frigido fit calidum non addendo subiectum, sed producendo calorem in eodem quod erat frigidum: sic ex calido fit magis calidum sine additione novi subiecti, in quo distinguit augmentum intensivum ab extensivo, & in hoc sensu exponi debet axioma: *Sicut se habet, simpliciter* &c.

112 Ad confirm. quam etiam sibi obijcit D. Thomas loco citato ex 1. 2. Resp. Cum ipso: dicendo ad primum: quod in quantitate est duplex augmentum, vnum simile intensivo(immo, & intensivum vocat D. Thom.) in quo nulla est additio partis quantitatis, vt in his, quæ rarefiunt: aliud per additionem subiecti ad subiectum, & consequenter partis quantitatis ad partem, sicut, & in augmento viuentium. Quod amplius explicat D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. quod quidem si legisset Recentior quidam Societatis, non diceret *solutionem* (quia dicimus, exemplum quantitatis stare pro nobis in rarefactione) *non venire ad rem*.

113 Secundo potest ad argumentum, & confirm. concedi conseq. & negari paritas, quæ sub sumitur, nempè, quod sicut maior quantitas non est, nisi per additionem partium, ita nec maior calor: vnde sicut non tenet paritas, nempe maior quantitas non est, nisi per additionem partium subiecti: ergo maior calor non est, nisi nova pars subiecti addatur; ita nec tenet paritas maioritatis per additionem partium quantitatis, & qualitatis: instaturque in ipsa etiam quantite rarefacta.

114 Obijcies 2. ex D. Thoma. 3. p. quæst. 7. artic. 12. docente: gratiam(& idem est de alijs qualitatibus) habere gradus in suo augmento: *hominum, inquit, qui sunt pure viatores, gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum &c.*

115 Confirmat. tum quia iustus per sua opera meretur gratiam, & crescit in iustitia: ergo præmium quod acquirit est gratia; & quidem distincta à præcedenti, quia alias nullum emolumentum haberet per suum meritum, nec cresceret in iustitia: tum quia Tridentinum damnat eos, qui dixerint per sacramenta non dari gratiam semper, & omnibus; sed per sacramenta viuorum datur augmentum gratiæ: ergo augmentum gratiæ gratia est, & non modus.

116 Resp. Quod nomine *gradus* non intelligit D. Tomas partialem qualitatem superadditam, sed novam participationem eiusden in subiecto,

to, explicando per gradus non multiplicationem entitatum realiter distinctarum, sed augmentum perfectionis eiusdem entitatis per quasi æquivalentiam ad gradus realiter distinctos; quia sicut perfectio animæ explicatur per gradus, quibus diversomodo se explicat in materia stante eadem entitate; ita perfectio qualitatis explicatur per gradus, quibus diversomodo explicat actualitatem suam in subiecto, stante eadem entitate.

117 Ad confirm. intentum Tridentini solum esse gratiam, & iustitiam augeri, admodum quo aliæ perfectiones capaces augmenti intensivi augentur iuxta veram Philosophiam. vnde nec apparenter tangit quæstionem phylosophicam de modo intensionis formarum, sed profert catholicum Dogma, quod per sacramenta confertur gratia; similiter quod iusti per bona opera crescunt in iustitia. Et quidem initio decreti de sacramentis Sess. 7. ait: quod per Sacramenta *omnis vera iustitia, vel incipit, vel cepta augetur.* Vbi videtur indicare gratiam cæptam, & auctam esse eandem; vnde augmentum gratiæ indistinctum ab ipsa gratia dicitur, & est. Sed circa hoc artic. seq. iterum redibit sermo.

118 Reliqua argumenta, quæ contra conclusionem præsentis articuli militant, etiam directe militant contra resolutionem articulo sequenti statuendam, & eorum solutio pendet ex doctrina ibi à nobis tradenda, quare commodius ibidem proponemus ea, & solvemus.

ARTIC. IV.

Vtrum intensio qualitatum fiat per maiorem radicationem illarum in subiecto?

119 Vidimus articulo præcedenti, per quid non fiat intensio; in præsenti vero, per quid fiat investigamus, & prius oportet proprietatem huius vocis *radicatio* Tyronibus explicare, qualitatem radicari (vt ex ipsa metaphora loquutionis colligitur) nihil aliud est, quam firmius hærere, & magis, ac tenatius in esse subiecto; instar arboris, quæ tunc dicitur magis raddicari, quando fortius terræ conglutinatur, & profundius protendit radices: sic clavus malleo percussus, quo magis figitur, eo magis dicitur in tabula radicari.

§. I.

Conclusio est.

120 *Intensio fit solum per maiorem radicationem qualitatis in subiecto.*

Hæc

Hæc conclusio prout iacet sequitur ex conclusione artic. præced. estque omnium Thomistarum cum suo Ang. Magist. locis pro conclusione præced. articul. citatis, & ad terminos præsentis conclusionis accedendo, clare illam docet, 2.2. quest 24. artic. 5. dicendo: *Hic est augmenti modus proprius cuiuslibet formæ quæ intenditur, eo quod esse huius formæ totaliter consistit in eo quod inhæret susceptibili, & ideo cum magnitudo rei consequatur esse ipsius formæ, formam esse maiorem hoc est eam magis in esse susceceptibili, non autem aliam formam advenire* (& potest pauca) *sic. ergo, & charitas* (& etiam est de qualibet qualitate) *augetur per hoc quod intenditur in subiecto.*

Quibus si addas, quæ docuerat artic. 4. antecedenti ad 3. & expressam conclusio... illius rationem proba... veniens, ait enim: *Cum e... aritas) accidens sit, cuius esse est in esse, vnde nihil est aliud ipsam secundam essentiam augeri, quam eam magis in esse subiecto; quod est eam magis radicari in subiecto.*

121 Ex quibus formatur hic discursus. Qualitatem intendi est solum eam magis in esse susceptibili, cum non sit nouam formam ei advenire (vt constat ex primo testimonio;) sed nihil aliud est eam magis in esse subiecto, quam eam magis radicari in subiecto (vt in secundo testimonio habetur) ergo iuxta D. Tom. qualitatem intendi solum est eam magis radicari in subiecto.

122 Rotione prob. 1. intensio, cum sit augmentum perfectionis, seu melioratio qualitatis præexistentis in subiecto, solum fit, vel per hoc quod ei aliquæ partes, aut gradus superaddantur, vel per hoc, quod eadem entitativè manens magis radicetur in subiecto, & ab isto participetur; inter hæc non videtur assignabile medium; sed non fit per additionem gradus, aut partialis qualitatis ad præexistentem: ergo solum fit per maiorem radicationem illius in subiecto.

123 Secundo probat. conclusio: si fieri potest intensio per solam maiorem radicationē qualitatis in subiecto; de facto ita fit; sed fieri potest intensio per solam maiorem radicationem: ergo de facto ita fit Maior pat. Quia cum intensio sit operatio naturæ, & natura nihil operetur frustra, non multiplicat entitates sine necessitate, ac subinde si in vna sola entitate magis radicata potest salvari intensio, ita de facto contingit; min. vero probat.

potest intendi qualitas, dum suponitur tota communicata subiecto; sed prædicta intensio esset solum per maiorem radicationem ipsius insubiecto: ergo hoc modo potest fieri intensio. Min. patet: Nam si intenditur qualitas, & tota est communicata subiecto non intenditur per additionem alicuius partis, proindeque fit per solam maiorem radicationem; mai. vero prob. Potest tota qualitas esse communicata subiecto, & totaliter ab illo non participata: ergo dum supponitur qualitas tota communicata subiecto, potest ab illo magis, ac minus participari, quod est formaliter intendi. Probat. antecedens, potest tota entitas qualitatis esse communicata subiecto, & subiectum non participare ab illa totam perfectionem quam potest; sed hoc ipso non est totaliter à subiecto participata: ergo potest esse tota communicata, & non totaliter participata.

Mai. prob. in sententia contraria eadem entitas gradus octaui (supposito quod inferiores superet imperfectione) magis perficit subiectum participata ab illo in cõsortio gradum inferiorum, quam si se sola communicaretur: ergo potest tota entitas esse communicata subiecto, quin subiectum participet ab illa totam perfectionem quam potest: Deinde gradus si sunt omnino æquales magis perficiunt subiectum, si vniti inter se ab illo participentur, quam si eosdem participaret sine tali vnione, & tamen in vno, & in altero casu participarentur à subiecto, quoad totam illorum entitatem: ergo potest tota entitas qualitatis esse participata à subiecto, quin ab illo participetur tota perfectio illius.

124 Confirmat. magis perficitur subiectum octo gradibus collective sumptis, quam eisdem divisive, & tamen entitas eorum eadem est, sivè collective, sivè divisivè sumatur: ergo potest tota entitas qualititatis esse communicata subiecto, quin subiectum ab illa participet totam perfectionem cuius est capax, & quam qualitas potest illi præstare.

125 Si dicas: perfectio cuiuslibet non augetur per hoc quod sint vniti, & collecti; sed ex perfectionibus omnibus correspondentibus consurgit vna maior perfectio in linea qualitatis, quæ dicitur intensio.

126 Contra est 1. Nam iuxta adversarios secluso ordine, & vnione graduum in perfectionibus illorum non consurgit intensio, & consequenter nec maior perfectio

qua

qualitatis; sed præcise multitudo partialium perfectionum: ergo vnio, & ordo graduum, sivè vt conditio, sivè vt ratio formalis auget perfectionem cuilibet correspondentem in ordine ad constituendam vnam perfectam intensionem.

127 Secundo. Nam etiam iuxta adversarios, in qualitatibus activis, idem gradus ex coniunctione cum alio potest aliquid producere, quod se solo non potest: ergo ex coniunctione cum alio in se intrinsece perficitur: patet conseq. Nam maior activitas est signum maioris perfectionis in causa. Antecedens prob. Tum in gradibus inæqualiter perfectis; tum in gradibus omnino æqualibus. Nam cum calidum vt octo producit septem gradus caloris in alio subiecto, quilibet gradus calidi vt octo non solum influit in gradum sibi æqualiter correspondentem in passo, sed etiam in omnes gradus de novo productos: alias, si calidum vt octo non produceret nisi quinque gradus in passo, nihil effectus corresponderet tribus gradibus à quinto vsque ad octavum qui sunt in calido producente; sed quilibet gradus calidi vt octo se solo non potest producere, nisi ad summum gradum sibi æqualiter correspondentem: ergo idem gradus ex coniunctione cum alijs potest aliquid producere, quod se solo non potest.

Subsumo: idem entitatiue gradus. *A.* communicatus quoad totam suam entitatem subiecto potest à subiecto non participari quoad totam vim productivam sibi correspondentem vel illam in subiecto non explicare ex defectu vel vnionis cum alio, vel coniunctionis cum illo: ergo poterit tota entitas qualitatis esse communicata subiecto, quin à subiecto participetur totaliter ex defectu, vel vnionis cum illo, vel modi novæ terminationis, aut actualitatis; sed hoc ipso quod tota, & non totaliter sit participata à subiecto, potest magis, ac magis à subiecto participari, & in illo radicari: ergo potest intendi per solam maioram radicationem.

128 Si iterum dicas: quod gradus *A.* ex coniunctione cum alijs est activior, & perfectior perfectionen, activitate non sui, sed aliorum ei super addita. Contra est: Propriæ virtuti, & activitati gradus *A.* vt coniuncti cum alijs correspondet aliquis effectus, quem non potest producere, vt ab alijs divisus: ergo gradus *A.* ex coniunctione cum alijs fit activior, & perfectior perfectione, & activitate propria sui. Consc.q

seq. patet, & antecedens constat: ex dictis; alias propriæ activitati cuiuslibet gradus nihil plus corresponderet ex parte effectus sivè coniunctus sit, sivè separatus; quod Authores contrarij ponentes gradus, sivè æquales, sivè inæquales non dicent.

129 Tertio, & vltimo prob. conclusio, & confirmat. ratio precedens. Sine additione partialis qualitatis potest eadem entitativè qualitas modo perfectiori participari à subiecto; ergo per solam maiorem radicationem in subiecto potest intendi. Patet consequẽtia: ex dictis, & antecedens probat. quo magis qualitas fit vna cum subiecto, eo perfectiori modo participatur ab illo; sed potest eadem entitativè qualitas fieri magis, ac minus, vna cũ subiecto: ergo potest ab illo perfectiori modo participari sine addicione partialis qualitatis. Mai. est evidens, nam cum ex subiecto, & qualitate ab ipso participata fiat vnum, non potest subiectum fieri magis vnum cum qualitate, quin hæc ab illo perfectiori modo participetur. Min. vero prob. quanto magis reducitur subiectum ad actualitatem formæ, tanto magis fit vnum ex subiectu, & forma; sed potest subiectum magis, ac magis reduci ad actualitatem eiusdem entitativè qualitatis: ergo hæc potest fieri magis, ac magis vna cum subiecto.

Maior explicata est evidens, quia illud vnum, quod fit ex subiecto, & forma non in alio consistit, nisi in eo, quod subiectum deperdat potentialitatem, & in differentiam, quã habet ad multa, quod fit per hoc quod reducatur ad actualitatem vnius formæ, quasi se transformando. Min. vero in qua est difficultas prob. potest subiectum magis, ac magis subijci eidem entitativè actioni, qua intenditur qualitas: ergo potest magis, ac magis reduci ad actualitatem eiusdem entitati è qualitatis. Anteced. constat: Nam actio intensiva, sicut, & motus intensionis, non requiritur, quod sit multiplex entitativè, sed vnus, qua actione, & motu passum subijcitur agenti, non statim, sed sucessivè proindeque passum magis, ac magis subijcitur eidem actioni. Conseq. vero prob. Tùm quia quidquid facit agens in passo per actionem effectivè, facit in illo per terminum actionis formaliter; sed per eandem entitative actionem magis, ac magis subijcit sibi passum activè, aut effective: ergo per eandem entitative formã terminantem actionem magis, ac magis reducitur passũ ad actualitatem ipsius formaliter.

Tùm

Tùm quia terminus actionis debet correspondere actioni per se ad illum terminatæ; sed eadem entitative actio potest magis, ac magis subijcere sibi passum; ergo idem entitativè terminus actionis potest magis ac magis illud ad suam actualitatem reducere.

130 Nec dicas: quod quælibet forma naturalis dum semel vnitur subiecto; tribuit totum effectum formalem, quem ipsa potest, & cuius est capax subiectum; ac subinde cum subiectum sit capax caloris intensi, si iste præstatur ab indivisibili, forma, illum præstabit, dum primo vnitur subiecto.

131 Contra est: Non minus est de ratione causæ naturalis effectivæ, applicatæ passo producere in illo omnem effectum, quem potest, & cuius passum est capax; quam de ratione formæ naturalis semel vnitæ subiecto illi præstare effectum, quem potest, & cuius subiectum est capax; sed ignis v. g. applicatus ligno non statim, sed successivè producit in illo effectus, quos potest, & quorum lignum est capax: ergo similiter calor vnitus subiecto.

132 Confirm. nam calor præbet suum effectum formalem subiecto dependenter ab agente illum producente, aut intendente, sed licet totum agens sit applicatum subiecto, non statim totaliter subijcit sibi illud: ergo nec statim totaliter subijcit illud calori, quamvis totus calor sit illi vnitus.

§. II.

Solvitur primum argumentum, & explicatur quid sit maior radicatio qualitatis.

133 Obijcies 1. dum calor intenditur, augetur secundum essentiam, vt constat ex D. Thom. pluribus suæ doctrinæ locis: ergo intenditur per aditionem alicuius, quod habeat essentiam caloris; sed nihil distinctum à calore habet essentiam caloris: ergo intenditur per additionem alicuius, quod sit calor; sed maior radicatio quomodocumque explicetur; non est calor, sed modus caloris: ergo calor non intenditur per maiorem radicationem caloris.

134 Aliqui, ex nostris respondent; per intensionem, qualitatem augeri secundum essentiam; non tamen per hoc quod ei addatur aliqua pras qualitatis, nec aliquis modus ante operationem intellectus distinctus in re à qualitate; quæ intenditur; sed per hoc quod ca-

eadem simplex forma magis educitur de imperfecto ad perfectum, aut magis in sit, & ra dicetur insubiecto, licet ex modo significandi, & grammaticaliter, nequeat explicari intensio, aut maior redicatio sine modis. Pro hac solutione refertur Caiet. Soncin. Bañez; & expresſius Lerma.

135 Sed certe eſt valde difficilis, & ideo communiter à nostris deseritur. Contra illam obstat 1. Quia intensio est motus ab imperfecta ad perfectam qualitatem, sed talis motus nequit esse, si qualitas vt terminat motum aliquid reale non adquirat, quod antea non habebat: ergo qualitas intenditur per aliquid realiter ab ipsa distinctum: prob. min. motus verus, & realis essentiallitet tendit ad hoc, vt mobile aliquid de novo realiter adqirat & nihil adquirit realiter id quod omnibus modis est idem realitèr cum ipso: ergo motus intensionis nequit esse, si qualitas per illum aliquid reale de novo non adquirit.

136 Secundo: nihil est in potentia vera, & reali ad se ipsum, vel ad aliquit secum identificantum realiter; sed qualitas remissa est in potentia vera, & reali ad id per quod redditur intēsa: ergo. Prob. min. Tum quia ita habet D. Tom. 1. 2. q. 52. art. 2. ad 3. dicens: quod minus calidum aut album, *est in potentia ad perfectum participationis modum*. Tum quia subiectum minus calidum, vt reduplicativè est remisse calidum, est in potentia vera, & reali ad modum perfectioris caloris: ergo non solum subiectum; sed etiam calor remissus in illo existens est in potentia vera, & reali ad perfectum modum participationis; sui in subiecto prob. ant. subiectum minus calidum solum est mobible motu intensionis, vt reduplicative est remisse calidum; sed prout est mobile motu intensionis est in potentia ad terminum talis motus, qui est perfectus modus caloris cum motus sit actus entis inpotentia, secundum quod est in potentia, ad vlteriorem actum per motum adquirendum: ergo subiectum vt reduplicativè remisse calidum est in potentia vera ad modum caloris perfectioris; subindeque calor remissus tali potentialitate gaudet.

137 Tertio calor remissus per sui intensionem realiter intrinsicè immutatur, cum realiter intrinsicè perficiatur, immo, & secundum essentiam; sed in perceptibilis est realis intrinseca mutatio, & reale intrinsecum augmentum perfectionis manente calore realiter intrinsicè invariato, qualiter manet, si ei nihil reale, aut ca-

entitativum, aut modale de novo ad venit: ergo. Mai. constat, tum quia qualitas intensa non manet realiter intrinsicè eodē modo nunc, ac prius; sed hoc est intrinsicè immutari realiter saltim modaliter; ergo. Tum quia ita docet D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 5. ad 3. *Augmentatio charitatis, (inquit) importat mutationem secundum magis, & minus habere.*

138 Si dicas: quod vt constat ex D. Thom. in loco immediate citato, art. 4. ad 3. nihil aliud est formam secundum essentiam augeri, quam magis in esse subiecto; quare sicut, vt accidens primo insit subiecto non indiget modo realiter superaddito in probabiliori sententia, ita nec vt magis in sit, in quo consistit intensio.

139 Contra 1. licet vt calor in sit subiecto, non indigeat modo vnionis mediante inter primum suum esse, & subiectum; requirit tamen, quod suum primum esse ab agente accipiat: ergo licet vt magis insit subiecto, non indigeat modo vnionis mediante inter ipsum, & subiectum, requirit tamen quod pefectius esse ab agente recipiat.

Sed nequit perfici in suo esse, per hoc quod ab agente novam partem sui esse accipiat; ergo perficitur per hoc, quod ab agente novum modum perfectionis in suo esse recipiat: sed repugnat quod calor novo modo in suo esse intrinsecè perficiatur sine aliquo saltim modali realiter suo esse superaddito: ergo licet calor possit in esse, & magis in esse subiecto sine modo vnionis mediante inter ipsum, & subiectum, non tamen potest in esse magis, aut intendi sine novo modo perfectionis suo esse realiter superaddito.

140 Secundo: nam vt infradicemus, intensio, aut maior radicatio qualitatis non cōsistit in maiori vnione, secundum quod vnio est nexus, & medium, quo ex subiecto, & qualitate resultat totum aliquod accidentale; sed debet cōsistere in maiori intrinseca perfectione ipsius qualitatis, quæ est extremum vnitum: ergo quamvis non requiratur aliquis modus vt medium, quo vniatur subiecto, requirit tamen modum, vt ipsa iam vnita subiecto magis intrinsicè perficiatur

141 Tertio: dum calor primo in est subiecto intrinsecè immutatur nō per modum vnionis medium, quia non datur; sed per transitum sui de non esse ad esse media actione producentis; sed etiam dum calor intenditur intrinsecè immutatur, non per modum

vnio-

vnionis medium, quia non datur, nec per novum esse, quod accipiat; quia ab agente non producitur: ergo per novum modum, quo transit de esse imperfecto ad perfectum media actione intendentis.

142 Denique: nequit aliquod totum intrinsecè immutari, & variari, nulla facta variatione, & mutatione intrinseca in suis partibus simul sumptis, & vnitis, quia totum nihil est realiter distinctum à suis partibus simul sumptis, & vnitis: ergo calidum, quod est quoddam totum accidentale in distinctum à subiecto, & calore simul sumptis, & vnitis, nequit intrinsecè immutari, & variari nulla facta intrinseca mutatione in suis partibus (nempè subiecto, & calore) simul sumptis, & vnitis: sed per intensionem calidum intrinsecè immutatur, & variatur: ergo etiam intrinsecè, & realiter immutatur illius partes, (nempè subiectum, & calor) simul sumptæ, & vnitæ sed repugnat quod subiectum, & calor manente eorum vnione, & simultate intrinsecè, & realiter immutatur, quin eis simul sumptis, & vnitis, aliquid reale intrinsecum addatur, aut subtrahatur: ergo non stat intensio, aut remisio sine aliquo saltim modali realiter superaddito qualitati, vt vnitæ subiecto

143 Quare hac solutione in sua probabilitate relicta: ad Argumentum concesso ant. neg. consequentiam augmentum intensivum caloris dicitur secundum essentiam, vel per essentiam, non per hoc quod addatur aliquod prædicatum essentiale calori, quia talis additio non esset augmentum illius secundum essentiam, sed potius destructio suæ essentiæ, quia essentiæ sunt sicut numeri; nec per hoc quod addatur aliquod individuum habens essentiam caloris, vt intendit arguens, quia additio individuorum essentiæ non auget, & perficit illam intensivè sed solum illam auget, & multiplicat extensivè quod potius illius perfectionem minuit, quia quanto forma, aut essentia aliqua est magis divisa, & multiplicata est magis limitata, & imperfecta, quia multiplicatio, & divisio formæ provenit à materia, & sic formæ quanto actualiores, & perfectiores tanto minus habent de materia; quæ illas multiplicat in individua; & consequenter pauciora habent individua; vt patet in specie Angelorum, Cœlorum, & Astrorum, &c.

Dicitur enim augmentum intensivum caloris per essentiam, aut secundum essentiam, quatenus fit per additionem non prædicati essentialis,

aut in dividui, vel entitatis habentis illius essentiam, sed additionem modi perfectionis illius, quod habet essentiam caloris, hoc enim est proprie aliquid secundum essentiam perfici, quod in sua essentia novum modum perfectionis adquirat; quod clare expressit D. Tom. loco citato supra, ex 2.2. *nihil est aliud ipsam* (*charitatem*) *secundum essentiam augeri, quam eam magis in esse subiecto*: Quare per verbum *in esse* explicat qualitatis essentiam, vt verbis anterioribus dixerat: & per ly *magis* explicatur proprie, non individua, aut pars essentiæ, sed modus perfectionis illius; vnde cum in his tantum verbis, *magis in esse* comprehendat D. Thomas quidditatem intensionis, quæ fit secundum essentiam, cum dicat, quod *nil aliud est*: Et in prædictis duobus verbis, solum proprie explicetur, & essentia qualitatis per ly *in esse*, & modus maioris perfectionis illius per ly *magis* de primo ad vltimum habetur, intensionem, quæ est augmentum qualitatis secundum essentiam, fieri per modum maioris perfectionis illius, quod habet essentiam, vel quod est essentia. Quibus si addas cum D. Thom. ibidem, qualitatem magis in esse subiecto, idem esse, ac eam magis radicari in subiecto, deduces maiorem radicationē qualitatis in subiecto nihil aliud esse, quam modum maioris perfectionis in eo quod est essentia qualitatis, vel modum maioris perfectionis intrinsecæ in ipsa essentia qualitatis.

144 Sed contra hanc solutionem instabis 1. augeri radicationem caloris est produci perfectiorem modum caloris, qui realiter non est calor, sed caloris modus; sed produci perfectiorem modum caloris, qui realiter non est calor, non est calorem augeri secundum essentiam: ergo augeri radicationem caloris non est calorem augeri secundum essentiam.

145 Secundum: hominem augeri secundum quantitatem non est hominem augeri secundum essentiam, sed augeri aliud distinctum ab homine: ergo augeri qualitatem secundum radicationis modum, non est ipsam secundum essentiam augeri, sed augeri aliud realiter à qualitate distinctum: sicut ergo homo non augetur secundum essentiam, dum augetur quantitativè, ita calor non augetur secundum essentiam, dum magis radicatur in subiecto.

146 Ad 1. Dicimus: augeri radicationem caloris est calorem augeri secundum essentiam, quia augetur intrinsece-

cè in sua actualitate, quatenus est radix illius radicationis; & hoc intendit D. Thomas contra aliquos, qui dicebant, ita radicari qualitatem in subiecto, vt eius entitas, & actualitas, maneat sine aliqua mutatione in se, tota mutatione præcisè tenente ex parte subiecti, quod D. Thomas impugnat, quia maior radicatio ex parte qualitatis se tenet, & sic non potest ipsa qualitas magis radicari, nisi in se intrinsicè actualiter fiat, non per additionem entitatis; sed modi, quo sivè vt conditione, sivè alio modo. (*de quo infra*) magis vincit potentialitatem subiecti.

Vnde licet modus. perfectior radicationis caloris nō sit calor realiter formaliter, & entitative est tamen calor radicaliter, perfecte, & terminativè: sicut licet subsistentia, quæ est modus substantiæ, non sit substantia realiter, formaliter, & entitativè, est tamen substantia terminativè, & completivè, & sicut licèt substantia solum per subsistentiam, quæ est modus, subsistat, non tamen solum modus subsistentiæ subsistit, sed potius ipsa substantia secundum substantiam subsistit; ita licet qualitas solum per modum maioris radicationis augeatur; non solum modus sed potius ipsa qualitas secundum essentiam augetur, quia aliud est per quid fit intensio, aliud vero quid sit intensum, intensio fit per modum, qualitas secundum suam essentiam est quæ fit intensa.

Quod clare docuit D. Thomas; quod lib. 9. art. 3. explicando: quod illa præpositio *secundum* quandoque denotat subiectum formæ, vt cum dicitur, iste est albus secundum pedem quandoque denotat formam, vt cum dicitur iste est coloratus secundum albedinem; sic ergo cum dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur ibi subiectum augmenti, vt sit sensus, ipsa essentia charitatis augetur.

147 Ad 2. dicimus: quod sicut augmentum corporale est propium quantitatis, ita augmentum intensivum est proprium qualitatis; vnde sicut dum intenditur qualitas non rectè dicitur, quod subiectum qualitatis secundum essentiam intenditur; sed solum qualitas; ita dum augetur quantitas non rectè dicitur quod homo, aut subiectum quantitatis secundum essentiam augetur sed solum quantitas: est tamen differentia inter vnum, & aliud augmentum, quantum ad id, per quod fit; quod in quantitate, cum sit extensivum exigens additionem partium subiecti, fit per additionem partium quantitatis, intensivum verò, cum

cum sit augmentum perfectionis, eiusdem formæ in eadem parte subiecti, nequit fieri per additionem partium formæ, sed per modum ipsius; qui licet realiter entitativè non sit forma, est forma terminative, & perfective: sicut subsistentia est substantia, non vt essentia, aut pars substantiæ, sed vt terminus, & complementum illius.

148 Sed adhuc contra hanc solutionem instans. 1. admissa ea maiori perfectione in modis, ea impertinens est; vt calor tribuat subiecto maiorem effectum formalem, quem tribuit dum intenditur, idest vt ipsum constituat magis calidum. Tùm quia modi qualitatis non tribuunt subiecto maiorem effectum formalem, sed qualitas in ipso existens: ergo dum qualitas eadem est, impertinens omnino est, (quoad munus præstandi maiorem effectum formalem) eos modos perfectiores esse.

Tùm qua quævis forma, dum semel vnitur subiecto, tribuit totum effectum formalem, quem ipsa potest, & cuius subiectum est capax: ergo si qualitas entitative indivisibilis debet constituere subiectum formaliter calidum, & magis calidum, cuius effectus formalis capax est subiectum, dum primo ipsi vnitur; ipsi tribuit totum effectum formalem, quem potest ante adventum illorum modorum.

149 Secundo instans: quia augmentum intensivum adquiritur, & fit nova actione sufficiente producere novam entitatem, seu qualitatem, quia si quævis alteratio quamvis minima, verbi grat. calefactio vt vnum est sufficiens adquirere entitatem qualitatis, cur actio intensiva, v. g. calefactio vt quinque, quæ est vehementior non sufficit ad adquirendam novam entitatem qualitatis? Ergo augmentum intensivum exigit novam entitatem qualitatis, & non solum novum modum. Patet consequentia: quia nova actio novum effectum debet producere, & nova actio sufficiens producere entitatem, non novum modum, sed novam entitatem producet, alias calefactio vehementior, & perfectior solum produceret modum, & calefactio remissa, & imperfecta entitatem.

150 Tertio: quia qualitas augmentata, & intensa accipit virtutem, & perfectionem potentem producere novos effectus reales, cum videamus,

quod crescente calore, aut frigore, diversimodè immutantur corpora, quam si sit temperatus, & multos alios effectus experimur, qui à calore, aut frigore remisso non fiunt: ergo augmentum intensivum, non solũ novum modum; sed novam entitatem formæ exigit: patet conseq. quia novus effectus realis petit novam formam realem; ac subinde si facta intensione, qualitas novos effectus reales facere potest, novam formam realem per talem intensionem adquirit.

151 Ad primam instantiam negatur assumptum; ad 1. prob. admisso ant: neg. conseq. quia licet qualitas sit eadem quoad entitatem est diversa quoad modum perfectionis ipsius in subiecto, non ita quod tota maior perfectio sit in modo, vt modaliter distincto à qualitate, sed in ipsa entitate qualitatis, se habente modo saltim tanquam conditione, vt entitas qualitatis explicet in subiecto maiorem perfectionem: sicut in sententia aliquorum ex adversarijs ponentibus intensionem per gradus homogeneos, perfectiorem effectum formalem præstant subiecto quatuor gradus caloris inter se vniti, quam non vniti, cum tamen entitas illorum eadem sit, sivè sint vniti, sivè non vniti, vnde modus vnionis illorum nequit præstare maiorem effectum formalem tanquam ratio formalis, sed solum tanquam conditio.

152 Ad 2. prob. dist. antecedens: Tribuit totum effectum formalem, totum, & totaliter sivè quoad modũ, nego anteced. totum absolute, sivè quaod entitatem: concedo antec. Recolantur, quæ diximus inter probãdam cõclusionem; & præcipue in secunda ratione propè finem, vbi aliquibus exemplis, & instantijs aliqualiter comprobavimus, posse formam, aut causam naturalem communicari, aut applicari alicui subiecto secundum totam entitatem, & non totaliter, & secundum omnem sui perfectionem a subiecto participari.

153 Ad 2. instantiam: disting. ant. fit nova actione sufficiente producere novam qualitatem absolute, quando non invenit eam productam in subiecto, concedo. antec. novam qualitatem superadditam præexistenti in subiecto, illam que augentem, nego anteced. verum est, quod actio intensiva quantum est ex se potest producere entitatem caloris, quam producit actio remissa, quia quod potest producere calefactio remissa, & imperfecta, potest

per-

perfectior, & vehementior, vt argumentum probat: falsum verò est, quod possit producere qualitatem novam pro augmento præexistentis, quia vt sæpius diximus qualitas superaddita qualitati non meliorat, & perficit præexistentem, sed multiplicat, nec est necessarium, quod nova actio semper novum effectum entitativè producat, sed ad summum sufficit, quod novo modo, aut novum modum faciat in forma; sicut actio vniens formam non producens illam nec materiam, immo nec novum modum distinctum in sententia probabiliori.

154 Ad 3. instantiam diximus: quod entitas ipsa qualitatis primò introductæ est virtus, & activitas substantialiter, & radicaliter potens ad omnes illos effectus; opportet tamen determinari, & quasi expediri per novum modum ab actione nova agentis productum, vt possit actualiter prorumpere in novos effectus, & ratio est, quia qualitas, seu virtus non potest operari, nisi vt in subiecto, eo quod virtus, aut qualitas solum est principium *quo* operandi, non verò principium *quod*, hoc enim est concretum ex subiecto, & qualitate, cum autem qualitas, vt virtus ex receptione ipsius in subiecto limitetur à subiecti potentialitate, vt non explicet totam actualitatem, & activitatem suam; opportet quod vt fortior, & efficatior sit ad producendos diversos effectus; diverso modo communicetur subiecto, vincendo illius potentialitatem, & reducendo illud magis ad suam actualitatem, quod fit per modum superadditum, non quod modus ille se habeat vt ipsa entitas, & substantia virtutis, sed vt conditio, quædam, & determinatio ipsius qualitatis vt non sit ita limitata: quare sicut limitatio formæ in subiecto non est substractio entitatis formæ sed modus imperfectus communicationis illius in subiecto; ita augmentum perfectionis formæ in subiecto; non est additio entitatis novæ, sed novus modus perfectioris communicationis illius.

Forma enim nisi subsistat, nequit operari, quin subsistentia sit virtus operativa formæ sed, præcisè modus, idem lignum in figuram rotundam dispositum melius movetur, quam sine illa, quin per figuram rotundam nova virtus motiva aut nova entitas ligno superaddatur.

155 Sed adhuc instas 1. intensè calidum, non solum

dicitur habere plus modi, sed plus caloris: ergo intensione non præcisè additur modus perfectior; sed novus calor. 2. incredibile est, quod calor, vt vnum substantialiter, & in virtute, sivè quod entitatem, sit vltima dispositio ad ignem: calor enim vt vnum, si intendatur usque ad octavum, gradum vltimo disponit, & intensio iuxta nos nihil addit entitas, virtutis, aut actualitatis.

156 Ad 1. dicimus: quod ly *plus* propriè non supponit pro re, sed pro modo rei, & sic augmentum caloris præcisè per modum, & non per novam entitatem rectè explicatur, per hanc particulam *plus caloris*. Si autem augmentum caloris fuerit per novum calorem, non tam diceretur plus caloris; quam plures caloris, cum potius esset multiplicatio caloris, quam melioratio, & augmentum perfectionis præexistentis.

167 Ad 2. dicimus: quod licet sit incredibile, quod calor vt vnum, manens vt vnum, hoc est remissus, sit vltima dispositio ad ignem; non est incredibile, sed prorsus verum, quod eadem met entitas caloris, quæ antea erat vt vnum, & remissa, si augeatur, & intendatur, vsque ad summum (modo augmenti sibi possibili) sit vltima dispositio ad ignem; cum autem modus augmenti possibilis calori, non sit per additionem novæ entitatis, sed præcisè modi fit vt non sit incredibile, sed prorsus verum, quod calor vt vnus in multiplicatus, quoad entitatem, auctus tamen, & melioratus quoad modum maioris perfectionis pertingat vsque ad summum, vt possit ad ignem vltimo disponere.

§. III.

Solvitur secundum argumentum; & explicatur, quis sit modus maioris radicationis

158 Obijcies 2. maior radicatio qualitatis in subiecto nequit intelligi, sine aliquo de novo realiter superaddito qualitati, vt patet ex doctrina data ad argumentum præcedens, sed hoc realiter superadditum qualitati, nequit esse præcisè modus: ergo debet esse aliqua nova entitas, vel gradus. Prob. min. nequit explicari quid sit iste modus radicationis maioris realiter superadditus qualitati, & distinctus ab omni eo, quod est entitative qualitas.

N

Neg. min. ad prob. neg. ant. sed in explicando, quid sit modus maioris radicationis valde divisi sunt Authores nostræ sententiæ. Aliqui dicunt: illum modum esse novam existentiam qualitatis in subiecto. Quod quidem communiter reijcitur 1. quia existentia de novo adveniens qualitati, vel manet simul cum existentia, qua qualitas fuit primo producta, vel adveniente nova, antiqua deficit: si primum, sequitur, tum quod in qualitate intensa admitantur existentiæ partiales, quod Authores nostræ sententiæ abhorent. Tùm quia novitas existentiæ superadditæ nequit intelligi sine novitate essentiæ superadditæ, & sic quantum inducitur de nova existentia, tantum debet produci de essentia, aut forma, cuius est existentia, ac subinde si qualitati, dum intenditur, additur nova existentia à præexistenti distincta, necessariò etiam debet addi nova qualitas à præcedenti distincta.

Si dicatur secundum; est incidere in sententiam, quam reiecimus in initio art. præced. constituentem intensionem per corruptionem antiquæ qualitatis, & productionem novæ perfectioris. Prob. assumptum: quia omissio existentiæ est corruptio rei existentis, sicut adquisitio novæ existētiæ est productio: ergo si qualitas dum intenditur, amittit existentiam antiquam, & adquirit novam, intenditur per corruptionem sui vt primo productæ, & novam productionem sui.

160 Secundo reijcitur; quia existentia est vltima actualitas in linea entis: ergo nequit intelligi quod tota entitas qualitatis à prima sui productione sit in actu, & quod sucessivè per intensionem adquirat novam existentiam.

161 Denique: quia nova existentia, vel est perfectior præexistente, vel non? Si hoc secundum; per novam existentiam non fit perfectior qualitas, quod ad illius intensionem requirebatur. Si primum: ergo supponit qualitatem perfectiorem, cum existentia perfectiorem, & nobilitatem sumat ab essentia.

162 Alij dicunt: istum modum esse novam, & perfectiorem inhærentiam qualitatis in subiecto. Sed excluditur hic modus dicendi eisdem fundamentis, quibus præcedens; tùm, si teneatur cum aliquibus ex nostris, existentiam accidentium non differre ab eorum inhærentia. Tùm si dicatur cum alijs subsistentiam realiter non differre ab existentia perse, & inhærentia in accidentibus corresspondet subsistentiæ substantiæ.

O3 Tùm,

Tùm, quia per aduentum novæ inhærentiæ, vel manet inhærentia qualitatis, vel non? Quodcunque dicatur, sequitur idem incõveniens, quod supra ex nova existentia deduximus, nempè vel corruptio, & productio qualitatis in sua intensione, quia accidens, non amittit hæreutiam sine sui corruptione. Vel quod dentur inhærentiæ partiales in accidente, quod in convenit sicut subsistentiæ partiales in substantia: & reliqua, quæ supra deduximus ex nova existentia, vt in tuenti constabit.

163 Alij dicunt: istum modum esse novum, & perfectiorem modum vnionis qualitatis cum subiecto, hæc explicatio patitur easdem difficultates, ac precedentes. Quia vel præcedens vnio manet cū nova, vel destruitur per aduentum novæ; si primum: præter difficultatem, quod plures modi vnionis solo numero distincti sint in eodem subiecto; est non parua difficultas, quod multiplicentur vniones estante eodem extremo vnito invariato quoad entitatem, & quod addatur nova vnio, sine nova entitate vnita, & superaddita. Si secundum: destrui vnionem est destrui compositum, & corrumpi; de novo vniri partes est compositum de novo produci, & sic fieret intensio per successivam corruptionem, & productionem qualitatis.

164 . Præter ea: quia probabilior sententia & nostra nō admittit modum vnionis medium inter qualitatem, & subiectum in prima qualitatis productione. ergo multo minus in illius intensione, quia maior proportio est inter subiectum, & qualitatem iam receptam, vt hæc intendatur, quam inter subiectum, & qualitatem nondum receptam, vt primo recipiatur.

165 Denique: Quia intensio est maior perfectio se tenens ex parte formæ, & sic præ intelligi debet forma meliorata, priusquam intelligatur perfectiori modo vnita subiecto.

166 Alij dicunt: istum modum se tenere ex parte qualitatis, ita quod illi addat novam actualitatem, & vim informativam, & hic modus distinguitur ab ipsa vnione, existentia, & in hærentia; sed hic modus dicendi ex parte relabitur in sententiam constituentem intensionem per additionem gradus ad gradum. Tùm quia nequit forma recipere novam vim informativam, quin adquirat novam formam, quia vis informativa, nihil aliud est, quam ipsa entitas, & actualitas formæ,

Tùm quia vel ille modus

dus superadditus conducit præcisè vt qualitas communicet subiecto novum effectum modalem, vel novum effectum entitativum, & formalem: si hoc secundum; modus ille se habebit vt conditio, non vt ratio formalis, ita quod forma posito illo modo tanquam cõditione, perfectius informet subiectum per actualitatem suam, quam antea habebat, & sic non erit modus novæ actualitatis, aut vis informativæ, sed conditio adveniens de novo, vt actualitas, & vis informativa præexistens in qualitate, explicetur magis circa subiectũ, & magis illi applicetur. Si dicatur primum: ergo per intensionem, nec qualitas in se magis perficitur, nec magis subiectum ab illa actuatur, sed augmentum præcisè erit in modis, & sic intensio erit perfectior modificatio subiecti, non perfectior qualificatio, quod falsum videtur, præterquamquod intensio non fieret per novam vim informativam, sed modifficativam.

167 In re igitur tàm difficili, facilius est, modos explicandi aliorum impugnare, quàm proprium modum exprimere, Dicimus ergo modum maioris radicationis esse modum maioris, & perfectioris actuationis, maioris, & perfectioris informationis, maioris, & perfectioris participationis qualitatis à subiecto. Non quod modus superadditus sit actualitas superaddita, qua forma aut qualitas magis actuet subiectum, aut vis informativa super addita, qua magis informet, aut id quod magis participatur à subiecto; sed præcisè conditio vt ipsa actualitas indistincta ab entitate formæ magis actuet subiectum, vt ipsa vis informativa, quæ in ipsa entitate formæ adest, magis explicetur in subiecto, & vt subiectum, eandem entitatem formæ, quam antea habebat, magis participet.

168 In primis: quod modus maioris radicationis, in quo intensionem qualitatum constituimus, sit modus maioris, & perfectioris actuationis, informationis, & participationis qualitatis in subiecto, constat, tum ex ipsa natura intensionis formarum, quæ nihil aliud est, quam augmentum illorum in proprio munere conveniente illis secundum suam essentiam, quod est actuere, informare, & reducere subiectum ad actualitatem suam.

Tùm ex D. Thoma: perpetuo explicante intensionem qualitatum, *per hoc quod subiectum magis, ac magis participat charitatem* (& idem est de alijs qualitatibus) *idest secundum quod magis reducitur in actum*

tum illius, & magis subditur illi; vt habet 2. 2. quæst. 24. artic. 5.

169 Deinde: quod modus superadditus non sit actualitas, aut vis informativa superaddita qualitati, qua magis actuet, & informet subiectum, constat; tùm impugnando quartum modum explicandi modũ maioris radicationis; tùm quia, vel augmentum intensivum, qualitatis non erit secundum essentiam ipsius, sed præcisè secudum illius modum, quod est contra D. Thom. vel erit augmentum non præcisè per additionem novi modi sed entitatis, & formæ, cui solum cõvenit, quod sit actualitas, & vis informativa, sicut & actuare, & informare subiectum; hoc enim convenit qualitati ratione suæ entitatis, non ratione modi, tanquam rationis formalis.

170 Ex quo infertur: modum superadditum qualitati media actione intensiva esse conditionem, media qua ipsa entitas, actualitas, & vis informativa qualitatis magis explicatur, & applicatur subiecto; magis illud subijciendo sibi, & reducendo illud magis ad suam actualitatem cum autem intensio sit augmentum perfectionis qualitatis intra propriam lineam entitatem, & essentiam, & essentia illius sit in ordine ad subiectum per modum actus, & formæ, tunc crescet secundum suam essentiam, & entitatem, quando illius entitas magis actuet, & informet subiectum.

171 Quod autem hoc augmentum perfectionis in ipsa entitate qualitatis, nequeat intelligi per additionem novæ entitatis; videmus, artc. præced. Quod nec etiam possit intelligi sine aliquo realiter superaddito qualitati saltim modali, videmus inter solvendum primum argumentum. Quod denique; iste modus superadditus non sit nova existentia, inhærentia, vnio medians, nec nova actualitas, quæ vt ratio formalis magis actuet, & informet, & participetur à subiecto, videmus reijciendo modos explicandi modum maioris radicationis. Restat: ergo quod prædictus modus sit conditio sine qua entitas qualitatis præexistens in subiecto, nec magis actuabit, nec informabit, nec participabitur à subiecto, in quo augmentum illius intensivum consistit.

172 Sed contra prædictam modum explicandi obstare: vt qualitas actuet; informet, & primo participetur à subiecto non indiget aliquo modo superaddito, tanquam conditione: ergo nec etiam vt magis actuet, & informet, aut par-

participetur à subiecto.

173 Secundo: Sola vnio qualitatis cum subiecto est conditio, vt illud actuet, & informet: ergo sola vnio erit conditio, vt qualitas magis actuet, & informet subiectum; sed vnio qualitatis cum subiecto, vt primo actuet, & informet, non est modus superadditus: ergo nec etiam vnio, vt magis actuet, & informet.

174 Tertio: Per illum modum superadditum, qualitas habet perfectionem in subiecto, quam antea non habebat: ergo ille modus est perfectio superaddita qualitati: sed omnis perfectio informa provenit ab actu: ergo ille modus est actualitas superaddita qualitati, & non præcisè conditio.

175 Quarto: Inintelligibile est, qualiter ille modus, si nihil perfectionis superaddit qualitati, sit conditio, vt ipsa qualitas eadem manens, quoad entitatem, perfectior, & actualior evadat.

176 Ad 1, neg. consequentiam, vt qualitas primo actuet, & informet subiectum sufficit, quod primum suum esse ab agente recipiat, cum autem esse qualitatis sit esse in subiecto, illud actuat, & informat per suam met entitatem, omni modo, aut conditione seclusa; vt autem magis actuet, indiget, vt entitas præexistens in subiecto ab agente perficiatur, & immutetur intrinsecè, vt perfectiorem effectum formalem tribuat; nequit enim perfici intrinsecè, & immutari ab agente qualitas præexistens, nisi afficiatur aliquo intrinsico de novo illi adveniente ab agente: hoc autem novum nequit esse entitas; relinquitur: ergo quod sit modus realis; ex alia parte cum à modo qualitatis præcisè non possit tanquam à ratione formali provenire perfectior effectus formalis, fit vt talis modus concurrat, vt conditio.

177 Ad 2. Disting. ant. supposita actualitate, & vi informativa in qualitate, omitto antecedens, illa non supposita neg. ant. & conseq. Sicut vnio nequit esse conditio, vt qualitas primo actuet, & informet subiectum, si qualitas ab agente aliquo suum primum esse, & actualitatem non accipiat; ita nequit vnio esse conditio, vt magis actuet subiectum, nisi ab agente perfectius esse, & actualitatem recipiat; hoc perfectius esse qualitatis nequit ab agente derivari, nisi medio aliquo modo se habent tanquam conditione, non quasi applicativa qualitatis ad subiectum, qualis est vnio, sed quasi explicativa, aut expeditiva perfectionis entitativę qualitatis in subiecto.

Ad

titate qualitatis cum illo modo.

182 Ex dictis colligitur: quid sit modus maioris radicationis. Maior enim radicatio qualitatis in subiecto, in qua intensio illius consistit, fit per hoc quod qualitas magis subjiciat sibi subiectum, & reducat magis ad actualitatem suam; hoc enim facit qualitas media actione agentis, cui ipsa qualitas subijci debet, & nequit intelligi, quod qualitas iam producta de novo subijciatur agenti, sicut, & subiectum ipsi qualitati, nisi medio aliquo derivato de novo ab agente in ipsa qualitate, quod, vt ex superioribus constat, aliud esse non potest, nisi modus quidam, quo qualitas, & subiectum tanguntur intrinsecè, & immutantur ab agente.

Hic enim modus; post explicationes supra relatas, & reiectas, ab aliquibus vocatur nova terminatio, & perfectior ab alijs modus novus vnionis non medians tanquam ratio, & medium formale vniendi, sed subsequens, vel antecedens, quo immutetur extrema diciturque modus vnionis quatenus cum illo modo, tanquam conditione ex forma actualiori, & subiecto fit magis vnum.

183 Sed isti modi dicendi parum, aut nihil differunt à modo nostro explicandi, qui congruentior nobis visus est reliquis omnibus, quia licet ex augmento qualitatis resultet modus terminationis quantitatis virtualis illius, sicut ex augmento quantitatis nova figura; non tam proprie explicatur augmentum qualitatis per terminationem novam resultantem ex illius augmento, quam per modum quendam maioris actualitatis, in qua proprie consistit illius augmentum: nisi per novum modum terminationis intelligatur novus modus actualitatis, quia actualitas formæ est ad quam terminatur potentialitas subiecti; in quo sensu coincidit cum nostro modo explicandi, & interpretandi D. Thomam, quotiescumque explicat intensionem per novam terminationem qualitatis. Similiter appellare prædictum modum novum modum vnionis, est confundere modum maioris radicationis cum vnione mediante, quam relegamus ab intensione, propter rationes supra factas: Quare congruentius vocatur modus maioris actualitatis, sivè actuationis, aut participationis qualitatis in subiecto; in sensu supra explicato. Num. 167. & 182.

§. IV.

Reliqua argumenta solvuntur.

184 OBijcies 3. Gradus caloris adquisitus per intensionem sufficiens est expellere non solum modum, sed entitatem frigoris præexistentem in subiecto: ergo signum est illum gradum, quo intenditur calor: esse entitatem, & non præcisè modum. Conseq. patet, quia modus non potest entitatem expellere cum non sit proportio; ant. vero prob. entitas frigoris præexistens in subiecto non expellitur à quocumque calore, cum quo potest compati, sed à calore intenso vt tali: ergo gradus quo intenditur calor sufficiens est expellere entitatem frigoris; subindeque talis gradus, non est modus, sed entitas.

185 Disting. ant. gradus ille caloris est sufficiens expellere entitatem frigoris, ratione sui, prout modalis entitas est, neg. ant. ratione entitatis frigoris, cui anexus est conced. ant. cum enim modus ille, quo calor crescens vincit potentialitatem subiecti, sit annexus entitati caloris, & habet vim ratione sui expellendi modum oppositæ qualitatis, & habet vim expellendi entitatem oppositæ qualitatis nō ratione sui, sed ratione entitatis caloris, cui est annexus; vnde sicut modus à nobis assignatus nō est ratio formalis magis actuans subiectum, sed conditio, vt entitas caloris magis actuet; ita non est ratio formalis expulsiva entitatis oppositæ qualitatis, sed conditio, licet ratione sui expellat modos oppositæ qualitatis.

186 Obijcies 4. Sequitur ex nostra sententia; per alterationem non produci entitatē qualitatis, sed præcisè modos intēsionis, aut remissionis; conseq. est absurdum; alias tota qualitas evanescet in modos· ergo sequela prob. nequit produci qualitas, nisi intensa, aut remissa: ergo si intensio, & remissio illius fit per modos, motus, quo producitur qualitas, est motus quo producitur modus, & sic, vel qualitas resolvitur in modi, vel non datur motus, quo sola qualitas sinè aliquo modo producatur.

187 Neg. sequela; ad prob. Dicimus: quod aliud est, quod qualitas non producatur sine aliquomodo intensionis, aut remissionis, aliud vero quod solum modus, & non entitas qualitatis producatur; primum est verum; secundum vero falsum; sicut quantitas non producitur sine aliqua figura, situ, aut vbi, & tamen non solum

lum isti modi, sed entitas quantitatis producitur, nec quantitas resolvitur in istos modos.

188 Si dicas: qualitas non producitur sine modo intensionis, aut remissionis: ergo motus quo producitur qualitas non est simplex alteratio, sed intensio, aut remissio.

Neg. consequentiam qua licet qualitas primo non producatur in subiecto sine aliquo modo intensionis, aut remissionis; cum productio horum modorum sit præcisè consequuta ad productionem qualitatis insuo primo esse, non dicitur motus intensionis, aut remissionis, (quia isti motus primo, & per se terminantur ad istos gradus, aut modos) sed dicitur proprie motus alterationis, sicut quando res in sui prima generatione adquirit locum aut vbi, (quia in aliquo loco generatur) motus quo producitur non est motus localis, qui directe primo, & per se terminatur ad vbi, sed est motus generationis.

189 Obijcies 5. vbi est realis superatio est realis distinctio, sed dum qualitas intensa remittitur, non solum modus, sed maior actualitas, & vis informativa qualitatis ab illa separatur; ergo intensio qualitatis non solum superaddit modum, sed etiam entitatem, & novam actualitatem.

190 Neg. min. deficiente modo maioris radicationis deficit à qualitate maior actuatio subiecti, non quaod entitatem, sed præcisè quoad explicationem illius in subiecto, quia melioratio, & incrementum qualitatis in vi actuandi, & informandi subiectum, eo modo deficit à qualitate, dum remittitur, quo adquiritur, dum intenditur, & iam supra exposuimus modum quo qualitas remissa adquirit suum incrementum, & perfectionem.

191 Obijcies 6. per intensionem producitur nova qualitas, ergo intensio fit per adventum novæ qualitatis; prob. ant. terminus intensionis producitur per intensionem; sed qualitas est terminus intensionis: ergo. prob. min. omnis alteratio terminatur ad qualitatem, sed intensio est species alterationis: ergo terminatur ad qualitatem.

192 Neg. ant. ad prob. disting. min. qualitas est terminus intensionis, vt producenda neg. min. vt perficienda concedo min. in hoc enim differt intensio ab alteratione specialiter dicta, quod ista de novo producit qualitatem, intensio vero iam productam perficit.

193 Denique obijcis: in intenesione qualitatum, vel ponimus plures modos, vel vnicum:

cum: si plures, vel specie diversos, vel solo numero; si specie diversos, non faciunt intensiorem eandem qualitatem, & erit eadem difficultas, ac in sententia admittente gradus specie incompleta differentes in eadem qualitate; si solo numero diversos; in eadem qualitate, & parte subiecti erunt plura accidentia solo numero distincta, & ex hac parte male impugnamus pluralitatem graduum solo numero distinctorum.

Si vnicum; vel est divisibilis, vel indivisibilis; si divisibilis habebit partes, & sic, sicut non repugnat, quod idem modus cum diversis sui partibus sit in eadem parte subiecti; cur repugnabit, quod in eadem parte subiecti dentur diversæ partes eiusdem numero qualitatis? Præterquamquod, si modus est divisibilis; cur res cuius est modus non erit diuisibilis?

Si modus est indivisibilis: sequitur, tùm quod facta intensione, aut remissione, quilibet modus corrumpatur, quia in intensione adquiritur modus perfectior, qui corrumpit minorem præexistentem, & erit eadem difficultas, ac in sententia admittente intensionem consistentem in corruptione gradus imperfectioris, & productione perfectioris. Tùm quia si talis modus est indivisibilis, non poterit terminare motum intensionis, qui motus, vtpotè divisibilis, requirit non solum indivisibilia, sed etiam partes.

154 Resp. Quod in intensione ponimus plures modos, non simul, sed sucessivè, quia adveniente modo perfectiori, imperfectior destruitur, & modus perfectior continet imperfectiorem; sicut figura sex angulorum, continet figuram trium angulorum, & excedit. Ex quo non infertur, tales modos plus quam numero differre, vt volunt P.P. Carmelitæ, quia tales modi habent effectus formales eiusdem speciei, & reducuntur ad speciem formæ, cuius sunt modi, in qua, sicut magis, & minus, non variat speciem, ita nec magis, & minus in modis.

Nec est inconveniens, quod in eadem parte subiecti, & in eadem numero qualitate, successivè sint diversi modi solo numero diversi. Nec ex hac successione sequitur corruptio simpliciter, sed præcisè secundumquid, quæ ad intensionem non obstat, manente eadem entitate qualitatis, sub his diversis modis imperfectioribus, & perfectioribus sucessivè, vnde modus est indivisibilis, quasi entitativè; sicut, & ipsa qualitas, quo modo autem cum

hoc

hoc componatur continuitas, & divisibilitas motus intensionis. Dicemus Artic. sequenti.

195 Ex dictis in discursu huius, & præcedentis artis colliges 1. remissionem non fieri per separationem aut substractionem gradus à gradu; sed per diminutionem radicationis qualitatis in subiecto opposito, sed proportionali modo, quo fit intensio.

Si inquiras: quando calor vt sex remittitur vsque ad duo, à quo agenti producitur modus remissionis vt duo? Non ab agenti remittente calorem nempè ab aqua, quia cum sit agens contrarium nequit producere modum caloris vt duo: non ab igne, casu quo ignis sit absens, propterquod calor in fervore remittitur: non ab aere, vel ab alio agente, vel alsigna illud.

Respondetur quod remoto agente intendente calorem, modus remissionis caloris vt duo, tanquam à causa per accidens procedit ab impediente perfectionem illam, & intensiorem gradum, aut modum caloris vt sex, & intra vsque ad gradum vt duo; at verò tanquam à causa per se procedit ab ipsamet forma vel qualitate ex vi actionis qua fuit communicata subiecto ab agente, à quo fuit producta, quæ actio productiva caloris v. g. licet modo non detur, manet tamen virtualiter in ipso calore producto, sicut si tollatur punctum terminans lineam, resultat aliud ex vi prioris productionis quantitatis. Modi autem intensionis, & remissionis terminationes quædam sunt quantitatis virtualis qualitatis, vt supra insinuavimus; & sic destructo modo perfectiori resultat imperfectior in modo perfectiori contentus; quare autem resultet potius gradus, aut modus caloris vt duo quam vt tria vel vt quatuor? Hoc determinatur iuxta maius, avt minus impedimentum oppositi agentis, & maiorem, aut minorem dispositionem subiecti.

196 Colliges 2. quid dicendum sit circa augmentum extensivum habituum in ordine ad partialia obiecta; quod autem tale augmentum non fiat per additionem habitus partialis, aut partialis qualitatis probavimus abvnde in logica defendentes esse simplicem qualitatem. An autem tale augmentum indigeat aliquo modali superaddito habitui, non dante novam vim habitui, & qui sit ratio formalis, vt habitus se extendat ad plura obiecta partialia, sed præcisè tanquam conditione, vt facilitas identificata cum habitu se explicet, & applicet ad illa obiecta? Proportionali modo videa-

detur nobis discurrendum, ac de modo superaddito qualitati ad augmentum illius intensivum.

ARTIC. V.

Vtrùm Alteratio sit motus continuus.

197 SErmo est in præsenti, de alteratione latè accepta, prout comprehendit motum ad qualitates, non solum physicas, & corruptivas, sed etiam spirituales, & perfectivas, & non solum de alteratione simplici, vt est membrum dividens alterationem vt sic; sed vt est communis alterationi simplici, intensioni, & remissioni, immo, & prout conprehendit extensionem qualitatis ad diversas partes eiusdem subiecti.

198 Nomine alterationis intelligimus, non mutationem physicam terminatam ad qualitatem, illam scilicet quæ non procedi à contrario possitivo; sed solum à termino privativo, & cum transit subiectum à non esse caloris ad esse illius, hæc enim non est motus, & sic nequit esse continua, sed est mutatio instantanea, & est generatio secundum quid: loquimur enim de alteratione prout est motus strictè admittens latitudinem, & distantiam successivè percurrendam, & de hac inquirimus, an fieri possit continue, & absque interruptione per aliquod tem pus.

199 Nec loquimur de motu continuo, hoc est perpetuo durante, quia stultum est dicere, quod omnia semper alterantur cum hoc manifeste adversetur experientiæ; inquo sensu intelligendus philosop. 8. physic. textu 23 dum dicit, *dicere alterationem fieri continue est adversari valde manifestis*, & D. Thom. ibidem lec. 5. *dicere ergo quod aliquid semper, & continue alteratur est dubitare de manifestis.* Sensus igitur quæsiti est, an alteratio sit motus continuus durans aliqua terminata duratione sine interruptione?

200 Alteratio potest intelligi continua tripliciter, vel ratione subiecti, quando per partes illius qualitas successive diffunditur, & extenditur, vel ratione formæ quando in eadem parte subiecti forma continue, & successive magis ac magis perficitur, quod est motum intensionis esse continuum, vel ratione temporis, quando sine vlla interruptione durationis continuatur alteratio, Dubium procedit de continuitate alterationis in hoc triplici sensu.

201 Formæ etiam quæ in-

intenduntur; sunt in triplici differentia: aliæ sunt in subiecto simplici, & non quanto, vt qualitates spirituales, habitus, scilicet, & operationes intellectus, & voluntatis: Aliæ sunt in subiecto materiali, sed non habent contrarium, vt lumen in Diaphano; aliæ denique habent esse in subiecto materiali, cum contrarietate, vt calor, & frigus, album, & nigrum, & huiusmodi.

§. I.

Certa ab incertis separantur, & referuntur sententiæ.

202 Certum est 1. Alterationem late sumptam pro motu ad qualitatem spiritualem non esse strictè motum, ac subinde nec cōtinuum, tàm in prima ipsius productione, quam in illius augmento, & intensione, vt ad gratiam, charitatem, & sciētiam, siquidem motus liberi arbitrij, non est successivus, sed instantaneus, & per eum potest aliquis habitus produci, & postea productus augeri.

203 Certum est 2. Alterationem Physicam prout est motus ad qualitates Physicas, & in subiecto extenso, & corporeo, non esse de necessitate motum continuum, si sumatur alteratio adæquate, à prima productione qualitatis vsque ad vltimum perfectionis, quia potest agens in subiecto introducere calorem remissum, & vltra non progendi, & post aliquod tempus, quo mobile quieverit in remisso calore, potest agens eandem calorem intendere, & sic à prima productione caloris, vsque ad vltimum perfectionis gradum, potest alteratio interrumpi, & discontinuari.

204 Certum est 3. quod alteratio, quæ est transitus de vno contrario in aliud, in ratione motus est vnus, includit tamen duas mutationes, vnam corruptivam termini *à quo*; alteram adquisitivam termini *ad quem*: quod autem sint duæ mutationes constat, quia sunt quatuor termini, *esse*, & *non esse termini à quo* positivi, & *non esse*, & *esse* termini *ad quem* positivi, quod verò, quamvis sint duæ mutationes, sit tantum vnus motus, constat, quia est vnicus transitus, & via inter duos terminos habentes latitudinem, & distantiam successivè percurrendam.

205 Cur autem generatio, & corruptio, etiam si sint duæ mutationes, non faciant vnum motum versantem inter duas formas positivas, corruptam, scilicet, & genitam? Iam supra satisfecimus q. 2. art. 1. §. à num. 38.

206 Si dicas. Ex doc-

ctrina præcedenti sequi: intensionem, & remissionem esse vnum motum; consequens est falsum, quia ex supradictis patet, esse duos motus specie distinctos dividentes alterationem vt sic: ergo: sequela probat. nam cum est motus à calore, vt vno ad calorem vt sex, in subiecto præhabente sex gradus frigiditatis, tantum deperditur de frigiditate, quantum adquiritur de calore; & deperditio frigiditatis est remissio, sicut augmentum caloris est intensio; sed hæc intensio, & illa remissio sunt vnus motus; tum quia est vnus transitus, & vna via à frigore, qui deperditur, & corrumpitur, ad calorem, qui adquiritur: tùm quia est vnicus terminus, nempè calor perfectus. Tùm quia alias quoties intenditur qualitas habēs contrarium, essent duo motus, vnus intensivus à minori ad maiorem qualitatem; alter remissivus, à maiori ad minorem qualitatem contrariam.

207 Respond. quod vt diximus in initio artic. 3. huius quæst. ad intensionem per accidens se habet depuratio subiecti à forma contraria, vt in intensione lucis, & charitatis, quæ supponit tenebras, & peccatum expulsum per illarum formarum primam introductionem: vnde motus intensionis attenuans, vel corrumpens frigiditatem præexistentē in subiecto non est motus remissionis per se loquendo, sed per accidens, & ex consequenti; nec illa remissio est per se motus remissionis, qui est membrum dividens alterationem, hic enim per se terminatur, & tendit ad minorationem formæ; remissio autem frigoris, ex intensione caloris per se non tendit ad minorationem frigoris, sed quià si ad experiendum subiectum, vt crescat in calore; & sic illa remissio frigoris potius est mutatio corruptiva frigoris per accidens sequuta ex motu intensionis caloris, quam motus remissionis cōtrapositus intensioni, & tunc datur iste motus alteri contrarius, quando versantur circa eā dem qualitatem v.g. inteneden do, aut remittendo calorem.

208 Certum est 4. (supposita resolutione, quam veram iudicamus, artic. 3. & 4. huius quæst.) motum intensionis, & remissionis, non esse motum ad qualitatem divisibilem entitativè hoc est divisibilitate exigente distinctionem, & separabilitatem partium qualitatis; cum teneamus qualitatem intendi, & remitti sine additione, aut reali separatione suarum partium, sed per augmentum, aut decrementum perfectionis in eadem parte, aut

aut entitate qualitatis entitativè indivisibilis: potest tamen dici motus ad qualitatem divisibilem perfectivè, hoc est divisibilitate consistente invariabilitate perfectionis eiusdem entitativè qualitatis, & inquirimus an hoc sufficiat, vt motus intensionis sit cōtinuus, quia de motu extensivo qualitatis ad partes diversas subiecti (de quo etiam agemus in præsenti) facilius percipitur terminari ad qualitatem divisibilem, saltim per accidens, divisibilitate subiecti quanti, in quo qualitates extenditur.

209 Prima sententia docet alterationem nō esse motum continuum, sed totam morulis interrumpi, quamvis sit successiva, & contigua, ad differentiam generationis substantialis, quæ tota perficitur in instanti. Ita de alteratione quoad illius extensionem tenēt Capreol. Ferrar. Soncin. Iavel. Aquarius: Astudi: Arriaga, & alij Recentiores.

Secunda sententia per oppositum asserit: Alterationem esse motum continuū, sivè sit motus ad qualitatem extensam, sivè intensam, sivè remissam, quam tamen, Soto, Masius, Oña, Bañez, à S. Thomà: PP. Carmelit. Prad. & alij ex nostris, & extraneis, Suarez, Conimb. Tolet. Rub. Caber. & alij plures, tàm ex antiquis, quàm ex modernis.

§. II.

Vnica Conclusio.

210 A*lteratio, quæ verè est motus, tam adquisitivus qualitatis, cum resistentia contrarij, quam intensivus, & extensivus, qualitatis est motus continuus, vt opponitur discreto.* Conclusio est expressa Philosoph. & D. Thom. varijs in locis, & præcipue in 5. Physicor. lect. 3. ait Div. Tho. *Et quia qualitates possunt intendi, & remitti, vt sic possit esse continuus motus, de qualitatem qualitatem.* Et in 6. lect. 7. concludit in fine: *Quia subiectum infinitis modis potest variari secundum magis album, & minus album, & sic motus alterationis potest esse continuus, & non habens aliquid primum.* Deinde in hoc 1. lib. de Gener. text. 84. lect. 24. ait: *Motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicet, in quantitate, qualitate, & vbi.* Et in 2. dist. 5. quæst. 2. articul. 1. ait: *Quia alteratio est motus continuus, ideo principium alterationis, & medium, &c.* Idem exprimit alijs in locis.

212 Ratione probat. 1. motus alterationis, sivè adquisitivus qualitatis cum resistentia contrarij, sivè intensivus, sivè extensivus illius est successivus, sed nihil est, quod necessariò talem motum interrumpat: ergo motus alterationis in sensu conclusionis est continuus: mai. præterquã quod comprobatur experientia, constat; nam qua parte in passo datur qualitas contraria resistens introductioni novæ nequit hæc in instanti adquiri, & ea parte qua in potentialitate subiecti in ordine ad actuationem, & in partibus eius extensis datur latitudo; nec subiectum statim accedit ad perfectum actualitatis modum, nec qualitas statim extenditur, vt omnes illius partes informet.

Minor verò probatur. Nihil est interrumpens motum alterationis, nec ex parte agentis, nec ex parte mobilis, nec ex parte formæ. Non ex parte agẽtis, nec mobilis: quia per durationem non interruptam agens est debite applicatum passo, & cum virtute expedita ad agendum; & passum, seu mobile capax ad recipiendum. Non ex parte formæ; quia id quod est divisibile habens latitudinẽ cum contrarietate, potest terminare motum successivum, & continuũ, vt dicitur in 5. phy. & videre est in motu locali: sed formæ accidentales, seu qualitates Physicæ, sunt divisibiles, tùm peraccidens ad divisionem partium subiecti quanti, & extensi; tùm divisibilitate perfectiva consistente, in eo, quod in eadem parte subiecti, diversimode, & variabiliter participari possunt; rursusquè habent qualitates contrarias, quibus materia dispositia resistit introductioni illarum: ergo nihil est quod interrumpat motum alterationis, sivè adquisitivum qualitatis cum resistentia contrarij, sivè intensivum, sivè extensivum illius; ac subinde talis motus est continuus.

213 Non dubitamus, quod prima adquisitio qualitatis non habentis contrarium, vel non invenientis in subiecto, aut in medio, quid retardet eius subitam introductionem, immo, & intensionem fiant in instanti; & potest contingere, quod vis activa agentis sit tanta, & tàm parva resistentia passi, vt sit maior vis activa agentis ad totam intensionem producendam, quam virtus restitiva passi ad conservandam aliquam portionem contrariæ qualitatis; vt si minima pars aquæ in ingẽtem rogum injiciatur, poterit quidem ignis in instanti, totam intensionem caloris in illa parte producere.

Cum

Cum quo stat, quod introductio qualitatis habentis contrarium, non statim vincibile ab agente, & extensio illius ad alias partes subiecti propter divisionem quantitativam, & continuam extensionem partium mobilis, possit esse continua: immo, & in eadem parte subiecti intensio qualitatis non habentis contrarium (vt intensio lucis, & gratiæ in Beatissima Virgine Maria) potest esse continua propter latitudinem virtualem, tàm formæ, quàm potentialitatis, subiecti, quod successivè est actuabile, & non statim accedit ad perfectum participationis modum, quo forma est participabilis.

213 Dices 1. Cum quodam recentiore Societatis in manuscriptis, continuationem alterationis impediri ex natura ipsorum agentium, quæ sua natura determinata sunt, vt dum aliquid produxerint paulum quiescant, vt vires ad vlteriores operationes resumant: sic experimur virtutem intellectivam perfectiorem igne non posse per longum tempus incumbere operationi, quia aliquoties in exercitio intelligendi cessat.

214 Contra est 1. Quia pari, aut potiore ratione, successio alterationis, quam admittit prædictus author posset reduci ad naturam agentium (quod non facit prædictus author; sed reducit eam ad naturam qualitatum, & resistentiam ortam ex earum contrarietate) prob. assumptum. Sicut natura agentis est non posse diu operari, aut per longum tempus; ita est iuxta illius naturam non statim suum effectum ad debitam perfectionem perducere, sed propter primum interrumpitur alteratio: ergo propter secundum erit alteratio successiva; & non instantanea; ac proinde sicut interruptio alterationis reducitur ad naturam agentis: ita ad illius naturam deberet reduci successio.

215 Contra est 2. Resistentiam contrariæ qualitatis successivè minui, est ratio apud adversarium, vt alteratio ad qualitatem, quæ introducitur, & intenditur, successivè fiat: sed resistentia contrariæ qualitatis non solum successivè, sed etiam continue minuitur: ergo alteratio, si est successiva, debet etiam esse continua: min. ab adversario videtur non negari, & disparitas difficile datur.

216 Tertio est: Quia non est Philosophi (nisi certè cedendo difficultati) ad occultam naturam agentium recurrere, quando congrua ratio, licet non evidens, assignari potest;

test; sed continuationis alterationis congrua ratio assignatur; & interrumptionis illius adversario nulla ratio congrua apparet: ergo deberet potius pro continuatione alterationis stare, quam illam sine ratione negando ad naturam agentiũ recurrere.

217 Nec exemplum sumptum ab experientia virtutis intellectivæ est ad rem: tum quia actiones spirituales, quales sunt actus intelligendi, solum sunt capaces successionis discretæ, quia in instanti perficiuntur: Tùm quia, quies intellectus, & iterruptio in operando sinistri reducitur ad hoc, vt vires resumat ad vlterius operandum, sed ad defectum speciei, qua fecundatus successivè, & per longum tempus, etiam per longum tempus incumbet operationi, quin ex continuo exercitio vires minuãtur, sed potius si fieri potest, augeãtur: nec oppositum huius docet experientia, aut recta ratio.

218 Dices 2. Alterationem interrumpti ex natura ipsius formæ, cui repugnat in quolibet instanti intendi, & sic impeditur agens, ne in quolibet instanti operetur.

219 Contra est: licet in quolibet instanti continuativo motus successivi, non fit motus quoad partes succedentes, non interrumpitur motus, nec impeditur agens, ne moveat mobile continue, per hoc quod medient instantia continuativa motus: ergo pariter posset dici de forma quoad intendi.

220 Secundò: Quia nulla est repugnatia in eo, quod agenti debite applicato passo per durationem aliquam continuam, correspondeat aliquid perfectionis formæ, tàm in quolibet instanti illius durationis, quàm in partibus talis durationis: in partibus durationis, quia vt supra diximus perfectio formæ est divisibilis virtualiter saltim, & perfective, & sic potest correspondere agenti, in partibus durationis: in quolibet instanti, quia tàm forma, quàm modus perfectionis illius est formaliter indivisibilis; & sic potest in quolibet instanti aliquid illius ab agente derivari: ergo ex parte formæ nihil est, quod impediat agens debite applicatum; vt formam, aut qualitatem continua intendat.

221 Secundo probat. conclusio: in motu locali non cessat aliquis moveri inter initas, & instans, sed paulatim de vno loco ad alium transitur per medium, & continue vincitur distantia inter duo loca; sed etiam inter duas qualitates contrarias, & in eadem à primo gra-

gradu vsque ad vltimum perfectionis datur distantia continua: ergo hæc vinci debet per successionem, & continationem motus, producendo, aut operando aliquid inter instans, & instans. Patet consequentia: quia si inter instans, & instans, agens est debite applicatũ passo, & capacitas in passo, vt in illo intermedio ab agente perficiatur, & nulla repugnantia in forma, vt in illo intermedio ab agente depẽdeat, vt probatum manet actio, & motus agentis, non est cur continue non fiant, sicut fit continue motus localis.

§. III.

Diluuntur argumenta.

222 OBijcies 1. ex D. Thom. 1. dist. 8. q. 3. artic. 3. ad 3. dicente: *Sicut commentator probat, in 8. Physic. nullus alius motus est simpliciter continuus, nisi motus localis.* Et in 2. contrag. cap. 89. *Non enim est tota alteratio continua, neque totum argumentum, sed solum motus localis est vere continuus, vt patet, in 8. Physicor.* Et in 6. Physic. textu 49. Div. Thom. lect. 5. in 2. dubio ait: *Continuitas primo, & per se, & proprie invenitur in motu locali tantum; qui solum potest esse continuus, & regularis, vt ostenditur in* 8. ergo iuxta D. Thom. motus alterationis non est continuus.

225 Facile respond. ex supradictis Divum Thomam in prædictis debere intelligi, vel de alteratione adæquate sumpta à prima ipsius productione vsque ad vltimum perfectionis gradum, quam supra diximus, non esse de necessitate continuam, vt explicat in 2. testimonio adducto in argumento: vel de continuatione primo, & per se (vt satis se explicat in prædictis testimonijs) quod verum est, quia solum illa forma terminat motum continuum primo, & per se, quæ primo, & per se, aut secundum se est divisibilis, & cõtinua; sed qualitas secundum se, aut ratione sui, non est divisibilis, aut continua; sed ratione quantitatis; ergo. Vnde quamvis motus localis sit solus continuus primo, & per se, aut ratione sui, hoc nõ tollit quod alteratio possit etiam esse motus continuus; vt expresse vidimus ex Div. Thoma; in favorem nostræ conclusionis.

224 Obijcies 2. Si alteratio est motus continuus incipit per vltimum non esse, sicut alij motus, & res successivæ: sed hoc est falsum: ergo: Probat. min. Tum quia qualitas, quæ primo incipit per alterationem, non incipit per vltimum non esse, sed per primum

esse, cum sit res permanens: ergò nec alteratio. Tùm quia si alteratio incipit per vltimum non esse, erit verum dicere, nunc agens non alterat, & immediatè post alterabit; & inquiro, vel hunc agens est debitè applicatum passo? Etsi ita est: ergo nunc agit, & alterat, ac subinde alteratio incipiet per primum esse: vel agens non est debitè applicatum? Etsi ita est: ergo nec immediate post alterabit; quia cum talis applicatio fiat per motum, immediatè post nequit esse completa, & agens complete non applicatum non aget.

225. Neg. min. ad 1. probat. neg. antecedens, & ad prob. ibi inclussam disting. antecedens: est res permanens, incipiens modo permanenti, nego antec. incipiens modo successivo, & ad modum motus, concedo ant. quæ solutio habetur in D. Thom. 6. Physicor. lect. 7. vbi explicat, quod secundum quod qualitas est divisibilis per accidens, tùm extensivè propter divisionem quantitatis, tum intensive propter diversum modum participationis in subiecto non datur in ea primum esse, & sic motus ad illam est continuus.

Ad 2. probat. concedo antecedens: & ad id, quod inquiritur: Respond. quod si agens applicatur per motum non incipit alterare, vsque dum completa sit applicatio, quare immediatè post instans terminativum, & completivum applicationis in tempore immediato incipit extrinsecè alterare: & idem dicimus, si applicatio agentis completur in instanti in hoc igitur instanti completivo applicationis, non verificatur, quod alterat, sed immediate post; quia motus sequitur ad aplicationem agentis, iuxta naturam ipsius motus, quæ est incipere non intrinsece, hoc est in instanti completivo applicationis, sed extrinsece, & in tempore immediate sequenti.

226. Obijcies 3. Si qualitas primo fit, & intenditur, per motum continuum, sequitur: quod in fine motus productivi, & intensivi qualitatis, sit infinita qualitas producta, & intensa. Probatur sequela, quia in quolibet instanti durationis illius motus, aliquid de qualitate producitur, & aliquo gradu perfectionis augetur: sed in duratione illius motus sunt infinita instantia: ergo in fine motus erit infinita qualitas producta, & intensa.

227. Neg. sequela: nam sicut motus durans per vnam horam non duret infinite, licet in illa hora sint infinita instantia: & quantitas palmaris non est infinita extensivè, licèt consi-

constet infinitis partibus, & punctis, ita licet in quolibet instanti durationis motus alterationis, aliquid qualitatis, aut aliquis gradus perfectionis fiat, non evadit infinita in fine motus, sicut nec ipse motus infinitus est: vnde infinitas illa instantium, & partium In motu, & in quolibet continuo est infinitas solum in potentia, nō in actu, modo quo id docuimus agentes de compositione continui, in 6. Physicor. quomodo proportionabiliter est discurrendum, de qualitate producta, & intensa motu continuo.

228 Obijcies 4. Principaliter. Motus intensionis terminatur ad modum maioris radicationis qualitatis in subiecto, sed talis modus est indivisibilis, vt artic. præced. vidimus: ergo motus intensionis nequit esse continuus. Probat. consequentia: quia ad terminandum motum continuum requiritur in termino aliqua latitudo, & divisibilitas, vt supra diximus.

229 Respond. Quod motus intensionis directè terminatur ad ipsam qualitatem, non vt producendam, quoad entitatem, quia hæc iam est producta; sed vt perficiendam, non sine novo modo, saltim tanquam conditione: vnde qualitas, quæ est terminus intensionis, licet sit indivisibilis entitativè, aut quantitativè, est tamen divisibilis perfectivè, quatenus eadem entitas potest infinitis modis variari penès magis, & minus, vt docet D. Th. in 6. Physicor. lect. 7. dicens; *Quod subiectum infinitis modis potest variari secundum magis album; & minus album; & sic motus alterationis potest esse continuus, & non habens aliquid primum.* Hæc est sufficiens latitudo in termino intensionis, vt hæc posit esse motus continuus: & licet modi, qui se habent vt conditio, ad augmentum intensivum qualitatis, sint indivisibiles formaliter, tamen terminativè, & virtualiter sunt divisibiles, secundum quod qualitatem habentem latitudinem, & divisibilitatem (modo explicato) præsupponunt, & terminant.

230 Sed instans: infiniti modi quibus variari potest qualitas penès magis, & minus vel sunt continui, vel discreti? Si continui, cum tales modi sint indivisibiles, dabitur continuum constans indivisibilibus, si discreti? Ergo inter modum, & modum cessat motus intensionis, ac subinde talis motus non erit continuus. Probatur consequentia: inter modum, & modum indivisibilem, nihil est quod posit attingi à motu: ergo cessat motus. Proba-

batur antecedens; inter modum, & modum indivisibilem, nequit qualitas attingi à motu; sed præter qualitatem nihil mediat inter modum, & modum, quod ab illo possit attingi: ergo Probatur mai. qualitas nequit attingi à motu intensionis, nisi augendo, & perficiendo illam; sed qualitas nequit augeri, & perfici, nisi medio modo superaddito, vt articulo præcedent. vidimus: ergo vel inter modum, & modum mediat modus, quod est modos esse immediatos, & continuos; vel nihil mediat attingibile à motu Intensionis, proindeque iste interrumpitur.

231 Respond. Quod illi modi sunt discreti, *vt quod*, & continui, vt *quo*, sunt discreti, vt *quod*, quia cum entitativè sint indivisibiles, sicut incapaces sunt partium, & latitudinis, etiam sunt incapaces continuitatis; dicuntur continui vt *quo*, quatenus ratione illarum; qualitas quæ in sui augmento latitudinem habet, continue augetur, & perficitur: vnde inter modum, & modum terminatur motus intensionis ad ipsam qualitatem, non prout in facto esse constituitur in gradu aliquo determinato, sed prout est in via, & fieri, vt medio modo producto per motum intensionis qualitas terminetur, & gradum perfectionis determinatum adquirat. Quare qualitas in facto esse, aucta, & perfectior facta, nequit attingi à motu intensionis, nisi medio modo superaddito illam terminate; at vero, prout in via, & fieri ad aliquam gradum determinatum attingitur à motu medio modo etiam in fieri, non in facto esse; & sic nec interrumpitur motus intensionis, nec modi sunt continui, aut divisibiles.

232 Denique obijcies: motus continuus non terminatur nisi ad continuum; sed qualitas non est capax continuationis: ergo motus ad illam non est continuus. Probatur min. non datur continuatio, aut continuum, nisi constet partibus, & indivisibilibus continuatiuis, & terminatiuis; sed qualitas horum non est capax: alias esset qualitas: ergo.

233 Hæc obiectio petit, vt explicemus: an dentur indivisibilia in qualitate, in qua solum possunt quæri indivisibilia, prout aliquam divisibilitatem, aut latitudinem admittit: admittit enim latitudinem solum secundum quod à subiecto participatur (quia secundum se, cum dicat solum prædicata essentialia, consistit in indivisibili) hæc latitudo, & divisibilitas per ordinem ad subiectum, alia, est extensiva ratio-

tione subiecti quanti, cuius partes extensas informat, & ad extensionem illarum extenditur; alia est intensiva, quatenus eadem pars subiecti potest magis, ac magis à qualitate actuari, alia est quasi transitiva, quæ invenitur inter duas contrarias qualitates, per quam fit transitus de vna ad aliam, vt inter album, & nigrum ponitur pallidum, cæluceum, viride iuxta hoc triplex genus latitudinis possunt quæri indivisibilia in qualitate.

235 In latitudine extensiva qualitatis dantur indivisibilia, sed non propria qualitatis. sed quantitatis, à qua sicut qualitas (& idē est de substantia) habet extensionem, & divisibilitatem, ita, & indivisibilia, quibus vna pars est extra aliam, & cum alia continuatur in quo extensio continua quantitatis per se, & ratione sui, & aliorum accidentium ratione quantitatis consistit.

236 In latitudine vero intensiva non dantur indivisibilia, quibus pars extra partem constituatur, & cum alia continuetur, aut terminetur, quia talis latitudo non consistit in multitudine partium realiter distinctarum; sed in magnitudine perfectionis, & actualitatis eiusdem entitativè qualitatis, & licet hæc latitudo perfectionis non detur sine modis qui vt diximus indivisibiles sunt; tamen non sunt indivisibilia componentia qualitatem continuando, aut terminando illius latitudinem; sed modificantia eandem entitatem qualitatis, vt explicet in subiecto totam perfectionem, quam habet.

237 In latitudine denique quasi transitiva, non est necessarium ponere aliqua indivisibilia, quia illæ species mediæ, per quas fit transitus de vna qualitate extreme contraria ad aliam extremam, non sunt continuæ, nec habent partes eiusdem rationis, quæ copulari possint indivisibilibus, sunt enim diversi colores, & qualitates mediæ, & quæ differunt specie, non possunt esse continua, vt ait Philosoph. 5. Physicor. textu 39.

238 Nec dicas: Quod motu continuo alterationis fit transitus de vna qualitate contraria ad aliam per qualitates medias, vt docet Div. Thom. 2. 2. q. 24. artic. 7. dicens *Sicut patet in pellere cuius terminos per continuam alterationem aliquis transit, vel ad albedinem, vel ad nigredinem perveniens*: ergo vel ad motum continuum non requiritur, quod terminetur ad continuum, vel latitudo inter qualitates contrarias motu vincenda per qualitates medias est continua constās ex indivisibilibus.

Ref-

239 Respond. Quòd cum per nimiam perseverantiam alterationis (quæ videtur esse continua) aliqua qualitas transit terminos propriæ speciei, & introducitur alia alterius speciei(vt in exemplo D. Thom.) tunc sunt duo motus, quilibet continuus, sed ambo solum contingui, alter quo introducitur vna species, alter perveniens solum vsque ad terminos speciei, quæ destruitur: sicut motus canis vivi cadentis ex turri, & in medio morientis videtur continuus, & non est nisi contiguus propter variationem subiecti.

240 Per quod patet ad vltimum argumentum, distinguendo min. qualitas non est capax continuationis, secundum se, aut ratione sui, concedo min. ratione quantitatis moralis ad continuationem extensivã, & ratione quantitatis virtutis ad continuationem intensivam, neg. min. ad cuius probat. quatenus potest obstare, distinguo mai. non datur continuatio sine partibus, & indivisibilibus continuativis, continuatio extensiva, concedo mai. intensiva, nego mai. & disting. min. qualitas non est capax partium, & indivisibilium, vt intensa, concedo min. vt extensa sub distinguo ratione sui, & per se, concedo min. per aliud, aut ratione subiecti quantitatis, nego minor.

QVÆST. IV.

De Nutritione, & augmentatione.

1 NOn licet ordinem Philosophi, & Div. Thomæ invertere, vt à quibusdam recentioribus fit agentibus de actione, & reactione immediate post alterationem, cum tamen Philosoph. & Div. Thom. & alij antiqui imò, & frequenter moderni prius de augmentatione, & nutritione, & etiam de rarefactione, & condensatione pertractent, quam de actione, & reactione, de quibus agunt in fine huius libri; quia quæ de actione, & reactione disputanda sunt, vel sunt conditiones generales non solum motus alterationis, sed aliorum motuum, & augmentationis, vel sunt præambula ad dicenda libro sequenti de elementis; & ideo debito doctrinæ ordine, prius de augmentatione, & alijs motibus fiet sermo, & post modum, de actione, & reactione: de augmentatione quidem, & nutritione non quatenus sunt ab anima, & proprie competunt corpori animato, sic enim, spectant ad lib.

lib. de Anima; sed prout fiunt cum aliqua Generatione, vel corruptione, vt diximus in proemio horum librorum.

ARTIC. I.

An sint, & quid sint nutritio, & augmentatio.

2 NVtritio, & augmentatio ita sunt affines, vt vel quæ dicenda sunt de vna, communia sunt alteri, vel saltim percipi non possunt, ignorata natura alterius, ideoque vtriusque fiet sermo in praesenti.

§. I.

De Nutritione, an sit, & quid sit.

3 DVplex diffinitio nutritionis communiter circunfertur. Altera est, *Nutritio substantialis conversio alimenti in substantiam aliti.* Altera est. *Nutritio est aggeneratio partialis substantia ad substãtiã praeexistentem.* Hoc secundo modo diffinivit eam D. Thom. in 1. de gener. lect. 17. sed pro existentia, & quidditate nutritionis opportet aliqua prælibari.

4 Primum est: in nutritione intercedere plures mutationes, motus, seu actiones: Primo est motus localis alimenti ad stomachum, vel partem vbi residet virtus nutritiva. Secundo est motus alterationis ipsius alimenti, medio calore naturali. Ex quo tertio consequitur corruptio formæ alimenti, vt illius fiat substantialis conversio in substantiam aliti. Quarto est partialis generatio partialis substantiæ. Quinto est substantiæ deperditæ restauratio, quæ dicitur nutritio. Sexto est talis conversio alimenti in substantiam aliti, vt hæc sit maius quã illa, quæ fuit deperdita, & hæc est augmentatio. Plenior notitia actionum, & mutationum, quæ ad nutritionem concurrunt, præterquamquod ad Medicos attinet, est extra spheram horum librorum, vbi solum de generatione, & corruptione in communi, & motibus ad illam expectantibus congrue disputatur.

5 Secundo est prælibandum: quod quamvis in omni vera nutritione sit aggeneratio partialis substantiæ ad substantiam præexistentem; non tamen omnis aggeneratio seu adquisitio partialis substantiæ est vera nutritio, vt in igne adquirente, & convertente in se partes ligni est aggeneratio, & non est vera nutritio, vt infra dicemus: his prælibatis.

6 Prima conclusio est. *Datur vera nutritio per veram conversionem alimenti in substantiam aliti.* Contrarium huius tenuit

Mag.

mag. sententiarum in 2. dist. 30. sed conclusio nostra est Philos. hic textu 41. & in secundo de anima textu 43. quem sequuntur communiter philosophi, & theologi, & D. Thomas ex professo eam probat in 2. dist. 30. quæst. 2. art. 1. & 1. part.

7 Prob. 1. animalia per continuam actionem caloris naturalis deperdunt aliquid de substantia præexistente: ergo debet dari nutritio, per quam substantia deperdita restauretur; alioquin citissime morerentur, quod est contra experientiam; sed substantia quæ restauratur pertinet ad veritatem naturæ animalis, quod nutitur, alias non subrogaretur in locum substantiæ, quæ deperditur: ergo hæc nova substantia debet adquiri de novo; sed non per creationem novæ materiæ, alias nutritio non esset opus naturæ, sed potentiç creativæ; nec per rarefactionem maiorem corporis præexistentis; alias corpus animalis augmentati esset rarius aut minus solidum, quam recen termi nati, cuius contrarium apparet ad sensum: ergo hæc nova pars substantiæ adquiritur per conversionem alimenti in substantiam aliti.

8 Si dicas: Quod substantia alimenti solum cedit in pabulum caloris naturalis, qui quidem nihil consumit de substantia primo habita per generationem, cuius augmentum solum est suarum partium dilatatio. Hæc videtur mens Mag. sententiarum.

9 Non quam in primis obstat: nam substantia alimenti vel cedit in pabulum caloris naturalis per corruptionem formæ alimenti, vel manente alimento in sua natura incorrupto: si hoc 2. præterquamquod adversatur experientiæ quid agit calor naturalis in alimento, & quo modo est illius pabulum? Si primum: ergo in materia alimenti actione caloris naturalis introducitur nova forma substantialis, corrupta forma alimenti, alias corrumperetur alimentum, quoad formam, & materiam; vel maneret materia alimenti sine forma substantiali quorum vtrumque est chymæra, quæ nam forma inducitur in materia alimenti actione caloris naturalis? Non præcisè excrementi; tùm quia experientia constat regulariter, plus materiæ alimenti sumi, quam emittit; tùm quia finis caloris naturalis esset præcisè corrumpere alimentũ, vt corruptum emittatur, quod est absurdum.

10 Secundo: Quia non est contra naturam substantiæ primo habitæ per generationem, quod à calore naturali rága-

gatur agendo in illam, & partem illius destruendo: ergo. Prob. ant. nam prędicta substantia est corruptibilis, sicut, & generabilis: ergo per alterationem mutari potest, & de-perdi; vt contingit in morte animalis: cur non poterit etiam principio illa substantia paulatim deperdi, & loco eius alia subrogari? Augmentum substantiale per dilationem, partium, aut rarefactionem, iam manet impugnatum.

11 Probat. 2. conclusio. Virtus residens in semine animalis generantis deribata ab illius anima non est maioris efficaciæ, quam ipsa anima; sed virtute seminis transmutatur materia, vt recipiat formam animalis: ergo multo melius poterit ipsa anima veram formam animalis imprimere per potentiam nutritivam in alimentum coniunctum.

12 Nec contra conclusionem obstat; 1. illud Mathei 15. *Omne quod intrat per os in ventrem vadit, & in secessum emittitur*. Quod non videtur verificari, si aliquid illius in substantiam convertitur. Secundò: Puer qui statim post ortum moritur resurget in illa statura, quam haberet si vixisset per spatium triginta annorum; iuxta August. lib. 22. de Civitate Dei, cap. 15. ergo sicut in resurrectione illa magnitudo fiet per partium dilatationem, ita, & in hac vita.

13 Tertiò: Quia humidum radicale nequit restitui, ita Medici, immo, & Theologi, qui in eo possunt mirabilem effectum arboris vitæ, nempè quia restaurabat humidum radicale deperditum actione caloris naturalis: ergo ad id non sufficit nutritio ex communi alimento facta.

14 Quartò: Quia in homine nequid alimentum cõverti in propriam naturam: ergo nec in reliquis viventibus. Par. conseq. & antecedens prob. nequit anima rationalis de novo vniri materię alimenti: ergo alimentum nequit converti in naturam hominis. Denique sequeretur, quod mediante nutritione si daretur posset animal reparare quidquid deperdit vi morbi, & caloris naturalis, & in perpetuum adversus mortem tueri, quod naturæ illius, & experientiæ adversatur: ergo nutritio per conversionem alimenti in substantiam viventis non datur.

15 Nihil horum obstat: non 1. cui respondet Div. Tho. quod non dicit Dominus quod totum, quod in os intrat per secessum emittatur: sed solum per destributionem accommodum, hoc est, quod de quolibet cibo, aliquid sit impurum, quod per secessum emittatur.

Ad

Ad 2. Etiam respondet D. Thom. in dist. 50. citata ad 7. Quod puer post ortum statim moriens resurget indebita quantitate augmentata per miraculum, nec illud miraculum fiet per dilatationem materiæ, sed per additionẽ materię exterioris, qui autem vsque ad perfectam ætatem vivent, naturali operatione ad perfectam quantitatem pervenient, quæ operatio est nutritio explicata.

16 Ad 3. dicimus, quod humidum radicale potest reparari per humidum nutrimentale; sed nõ in ea perfectione, qua fuit in principio, eo quod omne agens agẽdo repatitur, & debilitatur, excellentia ligni vitæ consistebat in vi, qua fortificabat humidum radicale reddendo ita purum sicut à principio, contra debilitatem provenientem ex admistione extranei, & quia fructus illius ligni habebat limitatam virtutem indiget homo sæpius de illo fructu sumere, vt reparet debilitatem, quæ proveniret ex alimẽto postea sumpto. Ad 4. neg. anteced. ad probat. etiam neg. anteced. quod non probatur, nec est particularis difficultas in nutritione, sed eadem procedit in generatione hominis, quomodo anima spiritualis vniatur materiæ corporali.

17 Ad 5. neg. sequel. quia per nutritionem nequit reparari perfectè humidum radicale, vt diximus ad 3. in quo excellentia fructus arboris vitæ consistebat: quare nequit homo semper vivere, quia à peregrinis qualitatibus humidi extranei, & nutrimentalis; ita afficitur; vt tandem humidum radicale solvatur, & pereat animal.

18 Secunda conclusio: Diffinitiones nutritionis supra asignatæ sunt rectæ. Constat, tùm quia communiter receptæ à Philosophis antiquis, & de promptæ ex Philosophorum Principe, & ex D. Thoma; tum quia nutritio est quædam particularis generatio, ideoque aggeneratio nominatur; sicut enim quidditas generationis, rectè explicatur per mutationem, ita & aggeneratio; quod fit in illis diffinitionibus in quibus explicatur terminus *à quo, & ad quem*. His terminis explicatis, explicatur rectè quidditas mutationis.

19 Nec valet dicere, cum aliquibus recentioribus per has diffinitiones non rectè explicari naturam nutritionis, quæ essentialiter est actio immanens, & vitalis. Assumptum probant, quia si Deus in me produceret novam partem substãtiæ viventis, convertendo alimentum in carnem, esset conversio substantialis alimenti, & generatio partialis substantiæ;

&

& tamen illa conversio non esset immanens, & vitalis, nec proprie nutritio: ergo.

20 Resp. Tùm quod in prædictis diffinitionibus potius explicatur nutritio sub ratione mutationis (sicut vidimus in generatione substantialis) quã sub ratione actionis, & nutritio, vt mutatio rectè illis explicatur, cum per illas cognoscatur convenientia, & differentia nutritionis à reliquis motibus, & mutationibus, de quibus primo, & per se agitur in his libris.

Tùm quia: licet ratio actionis immanentis, & vitalis nõ ponatur explicite, & per verba formalia in diffinitione; ponitur tamen implicite intelligendo diffinitionem iuxta subiectam materiam: diffiniunt enim Philosophi naturales nutritionem naturalem cognitam lumine naturali, non miraculosam; eo autem ipso, quod conversio substantialis alimenti, & aggeneratio particularis substantiæ, sit naturalis, necessariò est à principio intrinseco, vitali, manens in ipso operante; posito autem illo miraculo non esset nutritio naturalis, quæ hic diffinitur; sed miraculosa nutritio distincta à nutritione naturali hic diffinita.

§. II.

De Augmentatione, an sit, & quid sit?

21 AVgmentatio communiter diffinitur: *Est motus à minori ad maiorem quantitatem*; deducitur ex Philosopho 1. de Generatione, textu 31. dicente; *Augmentatio est existentis magnitudinis additamentum*, & ibidem D. Thom. & in 1. distinctione 17. q. 2. art. 1. *Augeri nihil aliud est, quam sumere maiorem quantitatem.*

22 Explicatur diffinitio communis, in qua recte ponitur ly *motus* ad excludendam augmentationem late, aut improprie acceptam: pro quo notat D. Thom. in 1. distinctione 17. immediate citata; quod proprie loquendo, non est idem augmentum, & motus augmenti; quando enim aliquid fit maius sine motu ipsius quod augetur, vt cum liguntur additur ligno, vel aqua aquæ, est augmentum, sed non motus augmenti: quãdo vero id quod fit maius movetur à principio intrinseco, de quantitate minori ad maiorem, est motus augmenti, cuius terminus per se est quantitas; vnde motus augmenti est proprie augmentatio, seu accretio, de

qua in præsenti: aliud verò augmentum late improprie, & abusiue dicitur augmentatio: sed potius multiplicatio, aut coacerbatio; sed de hoc plura art. sequenti.

23 Ponitur etiam *à minori ad maiorem quantitatem.* Per quod augmentatio genere, aut specie subalterna differt à generatione substantiali (quia àn differat ab à generatione, seu nutritione, infra videbimus) ab alteratione, & à motu locali, quę differentia apparet ex terminis *ad quos* Generatio enim est ad subantiam, alteratio ad qualitatem, motus localis ad *vbi*, à quibus omnibus differt augmentatio, quæ est motus per se ad quantitatem.

24 Ex quo colligitur, quam sine fundamento aliqui Recentiores cum Arriaga distingunt duplicem augmentationem, aliam substantialem, aliam accidentalem, hoc est quantitativā quæ dicitur accretio: cum cōstet ex Philosopho, & D.Thom. nullam esse (proprie loquendo) augmentationem substantialē, sed augmentationem propriam esse præcisè quantitativā, quia cum substantia fit maior proprie dicitur *nutritio, aut aggeneratio*: vnde in rigore scholę omnis augmentatio est accidentalis (quidquid sit, an apud vulgares per metaphoram, aut traslationem, nutritio dicatur augmentatio substantialis) quia non licet cuilibet privata authoritate, vocum significationes immutare, contra vsum scholæ acceptum à principibus Philosophiæ, quorum locutiones retinendæ sunt, & relegandæ impropriæ locutiones vulgarium.

25 Dari augmentationem propriè talem, quæ sit motus ad maiorem quantit[illegible] videtur per se notum, cu[illegible] deamus puerum parvulu[illegible] teraque animalia, planta[illegible] bores, crescere, & adquir[illegible] fectam quantitatem per [illegible] tem nutritivam convertente[illegible] aliqualiter in se, quod intus recipiunt, quidditas verò motus augmentationis, præterdicta explicando eius diffinitionem amplius cōstabit, dum eius terminum, eiusque distinctionem à nutritione explicemus.

ARTIC. II.

An, & quomodo sola viventia nutriantur, & augeantur?

26 Non defuerunt aliqui Philosophi antiqui, vt refert Aristotel. in 2. de Anima, textu 40. qui etiam non viventia dicebant propriè nutriri, & augeri; immo addebant omnia animalia nutriri virtute ignis, qui alia corpora depascit, & in se convertit; ideoque in 1. p.

tituli inquirimus; an sola viventia nutriantur, & augeantur. In secunda vero parte inquirimus, qualiter fiat hæc nutritio, & augmentatio, occasione cuiusdam propositionis Philosophi, quam supponit vt veram, hic cap. 5. textu 32. nempè: *Eius quod augetur quolibet pars augetur*.

§. I.

Prima pars artic. resolvitur.

27 PRima conclusio. Proprie loquendo, sola viventia nutriuntur, & augentur. Habetur expresse in Philosopho 2. de Anima, & in Div. Thom. ibidem lect. 8. & 9. & alijs suæ doctrinæ locis. Probaturque 1. ratione sumpta ex Div. Thom. quæst. vnica de Anima, artic. 13. ad 15. & in primis loquendo de nutritione: id proprie nutritur, quod per propriam virtutem consumit aliquid de propria substantia, & illud restaurat per conversionem extraneæ materiæ in propriam substantiam; sed hoc proprie loquendo, solum invenitur in viventibus: ergo. Probat. min. quia non viventia nempè ignis, vel aqua, nec per virtutem propriam consumunt aliquid de propria substantia, sed de aliena, neque per conversionem extraneæ intus sumptæ restaurant substantiam deperditam, & conservant præexistentem, sed solum in materia iuxta apposita generant aliā substantiam proprie speciei; quod quidem est similitudinaria nutritio, & quædam generatio, aut aggeneratio: ergo propria nutritio in non viventibus non invenitur.

28 Confirmatur: id proprie nutritur, quod in se ipso, & per intus sumptionem aliquid recipit ad sui ipsius conservationem: alias si solum fieret per iuxta appositionem, quod præexistebat, maneret, sicut antea, quoad intrinseca, & id quod additur posset discerni ab eo quod præexistebat; sed non viventia nihil possunt recipere per intus sumptionem cum careant ore, quod habent animalia, radicibus, quas habent arbores, & plantæ, & virtute interna ad convertendum in se ipsis materiam extraneam: ergo proprie loquendo non viventia non nutriuntur.

29 Ex quo etiam; probat. 3. quod sola viventia propriè augentur; quia illa propriè augentur, quæ propriè nutriuntur, cum pars quantitatis non adquiratur sine nova parte substantiæ, & è converso: ergo si sola viventia propriè nutriuntur; sola viventia proprie augentur.

30 Probat. 2. augmentatio est motus ad maiorem quantitatem sibi adquirendam; sed sola viventia mouentur ad maiorem quantitatem sibi adquirendam: ergo sola viuentia propriè augentur. Probatur min. Tùm, qui non viventia à principio recipiunt speciem, & debitam quantitatem cum qua possent operari, & simile sibi generare: viventia vero cum fiant ex semine, à principio debent esse modicæ quantitatis: Tùm quia non viuentia habent partes eiusdem rationis, quas à principio, cum specie, & substantia adquirunt, viventia vero non possunt naturaliter, tàm cito habere partes, ita diversas, quibus constant in ea perfectione, quæ exigunt ad perfectam conservationem, & operationem viuentis; tùm denique, quia non viuentia non movent vitaliter se ipsa ad adquirendam perfectionem, quæ eis deficit, bene vero viventia.

31 Sed oppones 1° ignis verè augetur, & nutritur: ergo non sola viventia augentur, & nutriuntur. Antecedens probatur primo. Quia ignis attrahit oleum in sui populum, quo conservatur, etsi flamma guttis olei vndique aspergatur, augetur medio pabulo extrinseco, & per virtutem intrinsecam, & secundum omnes suas partes, quod nihil plus ad ueram nutritionem, & augmentationem videtur requiri.

32 Secundo: Nam Div. Thom. in 2. de Anima, lect. 8. ait: quod inter elementa uidetur solus ignis nutriri, quia ad sui conservationem, & augmentum, videtur in se humorem convertere, quod quidem de vera nutritione, & augmentatione venit intelligendum, alias superflue concederet igni, quod alijs elementis denegat.

33 Neg. anteced. ad 1. probationem dicimus: ignem per se non indigere pabulo ad sui conservationem, ut patet in igne elementali existente, in connaturali loco; indiget tamen, eo per accidens quia scilicet invenitur extra sphæram propriam circundatur pluribus contrarijs, quibus facile cedet nisi extensio pabulo fulciatur. illud convertendo in substantiam propriæ speciei. viuentia indigent per se pabulo, ut partes substantiæ deperditas actione naturalis caloris, restauret, & conservetur quare natura provida ad ea, quæ sunt per se, tribuit viventibus instrumenta ad propriam nutritionem necessaria, & illa denegat non viventibus.

Ap-

34 Ad 1. dicimus: D. Thomam solum tribuere igni nutritionem superficialiter, & similitudinariè acceptam, vt se explicat in loco in argumento adducto dicens: *Inter elementa videtur solus ignis nutriri, & augeri, si superficialiter, de nutritione, & augmentatione loquimur*. Et infra lect. 9 ait. *Ignis autem videtur per quandam similitudinem nutriri; non autem propriè nutritur.* Alijs autem elementis non solum denegat proprietatem & veritatem nutritionis; sed etiam similitudinem; & hoc ideo, *quia ignis habet plus de forma, quam alia elementa, & est potentior in virtute activa; vnde propter hoc quod manifeste alia convertit in se, videtur nutriri, & augeri.* Verba sunt Div. Thomæ loco citato.

35 Oppones 2. Cum vino parum aquæ infunditur, quæ in illud convertitur, augetur vinum, vt constat; sed in prædicto augmento repetitur, & fieri per virtutem internam vini, & secundum omnes illius partes, cum secundum omnes fiat vinum debilius, & ex aqua, & vino fit vnum individuum, quæ conditiones sunt omnes, quæ exigi videtur ad augmentum proprium: ergo non viventia propriè augentur.

36 Confirm. Quia lapides sub terra geniti habent poros, quibus attrahunt humorem per quem crescunt: ergo augentur per intus sumptionem, & consequenter nihil deest, vt propriè augeantur.

37 Respond. Augmentum illud vini non esse proprium, nec per virtutem internam per se ordinatam ad illud; sed ad novam generationem in materia per accidens adiuncta; quod quidem manifestum fit ex eo, quod posito augmento, vnum manet debilius, quod non contingeret, si tale augmentum fieret per virtutem adhoc destinatam, & cum conditionibus proprij augmenti, quæ cedunt in maiorem perfectionem, & vigorē rei, quæ propriè augetur.

38 Ad Confirmat. neg. consequentia: quia licet in lapide, & alijs non viuentibus, inveniatur conversio alicuius in propriam substantiam imò, & si intra poros eius ingrediatur (communiter enim hoc fit per iuxta positionem extrinsecam) hoc totum tamen fit non per virtutem intrinsecam restaurativam deperditi, & ad augumentū per se destinatam; sed per virtutem generativam agentem in quodcumque approximatum.

§. II.

Secunda pars artic. Resolvitur.

39 SEcunda conclusio. *Eius quod propriè augetur, quælibet pars augetur pars enim aliquota immediate, & per se, proportionalis verò mediante solū, & ratione aliquotarum.* Prima pars conclusionis, nempè quod eius quod augetur, quelibet pars augeatur: videtur supponi à Philosopho in præsenti: textu 32. vt ibidem declarat D. Thomas, lect. 14. & breuiter Prob. eius quod nutritur, quælibet pars nutritur: ergo eius quod augetur quælibet pars augetur; patet consequentia: Tùm apparitate, tùm quia tempore illo quo vivens est capax augmenti non datur illius nutritio sine augmentatione. Antecedens verò probatur. Tùm quia calor naturalis medio quo fit nutritio reperitur in omnibus viventis partibus: ergo sicut totum nutritur: ita, & quælibet pars. Tū quia nutritio reparat detrimentum, quod inducit calor naturalis depascens humidum radicale; sed in qualibet parte est calor naturalis depascens: ergo quælibet per nutritionem debet reparari.

40 Ad secundæ partis probationem: Recolenda est natura, & differentia inter partem aliquotam, & proportionalem, quam traddidimus in 6. Physicorum. P. Rubi: asserit: omnes partes viventis augeri per se, & immediate; sed potiori ratione proportionales; sed adversatur Philosopho in præsenti; textu 35. & D. Thomæ ibidem, lect. 15. qui secundam partem nostræ conclusionis expræsse affirmant. Probatque 1. partes eo modo moventur motu vitali nutritionis, & augmenti, quo habent esse in se, seu existunt; sed partes proportionales per se non habent esse determinatum, designabile, & sensibile; sed confusum; indesignabile, & sensibile ratione partium aliquotarum: ergo ratione harum solum augentur, & nutriuntur.

Secundo: quia pars illa, quæ porum non habet augeri nequit, nec nutriri, sed non quelibet proportionalis habet porum: ergo non quælibet immediate, & ratione sui augetur, & nutritur; mai. patet, quia pars quæ porum non habet, nequit intus sumere alimentum, nec illud in se convertere, vt fiat maior min. verò non minus constat; alias vivens tot poros habet, quod partes proportionales, proindeque totum vivens resolveretur in poros.

Sed

42 Sed pro intelligentia observandum est ex Philosopho, & Div. Thoma 4. metheor. lect. 12. quod pori sunt foramina quædam minutissima per totum corpus, viuentis diffusa non omnino vacua; sed plena humore quodam, qui facile cedit corpusculo intranti, aut humori atracto. Poros dari compertum est ipsa experientia; alias nec sudor, nec vrina à corpore egrederentur, nec vrina reciperetur in vesicam, si non esset scissio, aut penetratio, deficientibus poris.

43 Sed oppones 1. contra primam partem conclusionis: vt omnes partes ad augmentum possent augeri, necesse erat, vt cuius extrinsecum alimentum applicaretur; sed vt applicetur, & intus sumatur recurius ad poros invtilis est: ergo falsum est, quod eius quod augetur, quælibet pars augeatur. Probatur min. Tùm quia Philosophus in præsenti, textu 80. & 81. reprehendit Philosophos ponentes poros medijs quibus fiat augmentatio, quia vera non esset, sed solum quædam iuxta appositio.

Tùm quia inter porum, & porum debet mediare pars solida, alioquin totum viuens resolveretur in poros, hæc pars solida quomodo augetur medio alimento atracto? Non ratione pori, quia solida est; non ratione penetrationis, quę naturaliter impossibilis: ergo. Tùm quia pori supponitur repleti alimento, quod primo augmento deservit, & in substantiam viuentis iam est conversum: ergo nequeunt præbere locū alimento de novo advenienti vt deferri queat ad alias partes magis remotas.

44 Neg. min. ad 1. probationem dicimus: Aristot. impugnare philosophos non in eo, quod ponerent poros; sed quia oppinabantur, quod corpuscula intrantia poros non conbertebantur in substantiam viventis; sed manebant immutata, quod erat magis iuxta appositio, quam nutritiva augmentatio.

Ad 2. dicimus: quod pars medians inter duos poros augetur per intus sumptionem, quia alimentum attractum per poros illi immediatos est sufficienter illi applicatum, saltim secundum extremitates, immo, & pori cum parte solida continui pertinent ad ipsam.

Ad 3. dicimus: quod licet aliqui pori supponantur repleti alimento prius accepto; ad huc tamen non impeditur applicatio novi alimenti, quia calor naturalis de pascens continuo humidū radicale, & partes animalis, efficit novos poros

mag. sententiarum in 2. dist. 30. sed conclusio nostra est Philos. hic textu 41. & in secundo de anima textu 43. quem sequuntur communiter philosophi, & theologi, & D. Thomas ex professo eam probat in 2. dist. 30. quæst. 2. art. 1. & 1. part.

7 Prob. 1. animalia per continuam actionem caloris naturalis deperdunt aliquid de substantia præexistente: ergo debet dari nutritio, per quam substantia deperdita restauretur; alioquin citissime morerentur, quod est contra experientiam; sed substantia quæ restauratur pertinet ad veritatem naturæ animalis, quod nutitur, alias non subrogaretur in locum substantiæ, quæ deperditur: ergo hæc nova substantia debet adquiri de novo; sed non per creationem novæ materiæ, alias nutritio non esset opus naturæ, sed potentię creativæ; nec per rarefactionem maiorem corporis præexistentis; alias corpus animalis augmentati esset rarius aut minus solidum, quam recen termi nati, cuius contrarium apparet ad sensum: ergo hæc nova pars substantiæ adquiritur per conversionem alimenti in substantiam aliti.

8 Si dicas: Quod substantia alimenti solum cedit in pabulum caloris naturalis, qui quidem nihil consumit de substantia primo habita per generationem, cuius augmentum solum est suarum partium dilatatio. Hæc videtur mens Mag. sententiarum.

9 Non quam in primis obstat: nam substantia alimenti vel cedit in pabulum caloris naturalis per corruptionem formæ alimenti, vel manente alimento in sua natura incorrupto: si hoc 2. præterquamquod adversatur experientiæ quid agit calor naturalis in alimento, & quo modo est illius pabulum? Si primum: ergo in materia alimenti actione caloris naturalis introducitur nova forma substantialis, corrupta forma alimenti, alias corrumperetur alimentum, quoad formam, & materiam; vel maneret materia alimenti sine forma substantiali quorum vtrumque est chymæra, quæ nam forma inducitur in materia alimenti actione caloris naturalis? Non præcisè excrementi; tùm quia experientia constat regulariter, plus materiæ alimenti sumi, quam emittit; tùm quia finis caloris naturalis esset præcisè corrumpere alimentū, vt corruptum emittatur, quod est absurdum.

10 Secundo: Quia non est contra naturam substantiæ primo habitæ per generationem, quod à calore naturali tā-

ga-

gatur agendo in illam, & partem illius destruendo: ergo. Prob. ant. nam predicta substantia est corruptibilis, sicut, & generabilis: ergo per alterationem mutari potest, & deperdi; vt contingit in morte animalis: cur non poterit etiam principio illa substantia paulatim deperdi, & loco eius alia subrogari? Augmentum substantiale per dilationem, partium, aut rarefactionem, iam manet impugnatum.

11 Probat. 2. conclusio. Virtus residens in semine animalis generantis deribata ab illius anima non est maioris efficaciæ, quam ipsa anima; sed virtute seminis transmutatur materia, vt recipiat formam animalis: ergo multo melius poterit ipsa anima veram formam animalis imprimere per potentiam nutritivam in alimentum coniunctum.

12 Nec contra conclusionem obstat; 1. illud Mathei 15. *Omne quod intrat per os in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Quod non videtur verificari, si aliquid illius in substantiam convertitur. Secundò: Puer qui statim post ortum moritur resurget in illa statura, quam haberet si vixisset per spatium triginta annorum; iuxta August. lib. 22. de Civitate Dei, cap. 15. ergo sicut in resurrectione illa magnitudo fiet per partium dilatationem, ita, & in hac vita.

13 Tertiò: Quia humidum radicale nequit restitui, ita Medici, immo, & Theologi, qui in eo possunt mirabilem effectum arboris vitæ, nempè quia restaurabat humidum radicale deperditum actione caloris naturalis: ergo ad id non sufficit nutritio ex communi alimento facta.

14 Quartò: Quia in homine nequid alimentum cõverti in propriam naturam: ergo nec in reliquis viventibus. Par. conseq. & antecedens prob. nequit anima rationalis de novo vniri materię alimenti: ergo alimentum nequit converti in naturam hominis. Denique sequeretur, quod mediante nutritione si daretur posset animal reparare quidquid deperdit vi morbi, & caloris naturalis, & in perpetuum adversus mortem tueri, quod naturæ illius, & experientiæ adversatur: ergo nutritio per conversionem alimenti in substantiam viventis non datur.

15 Nihil horum obstat: non 1. cui respondet Div. Tho. quod non dicit Dominus quod totum, quod in os intrat per secessum emittatur: sed solum per destributionem accommodum, hoc est, quod de quolibet cibo, aliquid sit impurum, quod per secessum emittatur.

Ad

& tamen illa conversio non esset immanens, & vitalis, nec proprie nutritio: ergo.

20 Resp. Tùm quod in prædictis diffinitionibus potius explicatur nutritio sub ratione mutationis (sicut vidimus in generatione substantialis) quã sub ratione actionis, & nutritio, vt mutatio rectè illis explicatur, cum per illas cognoscatur convenientia, & differentia nutritionis à reliquis motibus, & mutationibus, de quibus primo, & per se agitur in his libris.

Tùm quia: licet ratio actionis immanentis, & vitalis nõ ponatur explicite, & per verba formalia in diffinitione; ponitur tamen implicite intelligendo diffinitionem iuxta subiectam materiam: diffiniunt enim Philosophi naturales nutritionem naturalem cognitam lumine naturali, non miraculosam; eo autem ipso, quod conversio substantialis alimenti, & aggeneratio particularis substantiæ, sit naturalis, necessariò est à principio intrinseco vitali, manens in ipso operante; posito autem illo miraculo non esset nutritio naturalis, quæ hic diffinitur; sed miraculosa nutritio distincta à nutritione naturali hic diffinita.

§. II.

De Augmentatione, an sit, & quid sit?

21 Augmentatio communiter diffinitur: *Est motus à minori ad maiorem quantitatem*; deducitur ex Philosopho 1. de Generatione, textu 31. dicente; *Augmentatio est existentis magnitudinis additamentum*, & ibidem D. Thom. & in 1. distinctione 17. q. 2. art. 1. *Augeri nihil aliud est, quam sumere maiorem quantitatem.*

22 Explicatur diffinitio communis, in qua recte ponitur ly *motus* ad excludendam augmentationem late, aut impropriè acceptam: pro quo notat D. Thom. in 1. distinctione 17. immediate citata; quod proprie loquendo, non est idem augmentum, & motus augmenti; quando enim aliquid fit maius sine motu ipsius quod augetur, vt cum liguntur additur ligno, vel aqua aquæ, est augmentum, sed non motus augmenti: quãdo vero id quod fit maius movetur à principio intrinseco, de quantitate minori ad maiorem, est motus augmenti, cuius terminus per se est quantitas; vnde motus augmenti est proprie augmentatio, seu accretio, de

qua in præsenti: aliud verò augmentum late impropriè, & abusiue dicitur augmentatio: sed potius multiplicatio, aut coacerbatio; sed de hoc plura art. sequenti.

23 Ponitur etiam *à minori ad maiorem quantitatem.* Per quod augmentatio genere, aut specie subalterna differt à generatione substantiali (quia àn differat ab à generatione, seu nutritione, infra videbimus) ab alteratione, & à motu locali, quę differentia apparet ex terminis *ad quos* Generatio enim est ad subantiam, alteratio ad qualitatem, motus localis ad *vbi*, à quibus omnibus differt augmentatio, quæ est motus per se ad quantitatem.

24 Ex quo colligitur, quam sine fundamento aliqui Recentiores cum Arriaga distingunt duplicem augmentationem, aliam substantialem, aliam accidentalem, hoc est quantitativā quæ dicitur accretio: cum cōstet ex Philosopho, & D. Thom. nullam esse (propriè loquendo) augmentationem substantialē, sed augmentationem propriam esse præcisè quantitativā, quia cum substantia fit maior propriè dicitur *nutritio, aut aggeneratio*: vnde in rigore scholę omnis augmentatio est accidentalis (quidquid sit, an apud vulgares per metaphoram, aut traslationem, nutritio dicatur augmentatio substantialis) quia non licet cuilibet privata authoritate, vocum significationes immutare, contra vsum scholæ acceptum à principibus Philosophiæ, quorum locutiones retinendæ sunt, & relegandæ impropriæ locutiones vulgarium.

25 Dari augmentationem propriè talem, quæ sit motus ad maiorem quantitatem, videtur per se notum, cum videamus puerum parvulum, cæteraque animalia, plantas, & arbores, crescere, & adquirere perfectam quantitatem per virtutem nutritivam convertentem aliqualiter in se, quod intus recipiunt, quidditas verò motus augmentationis, præterdicta explicando eius diffinitionem amplius cōstabit, dum eius terminum, eiusque distinctionem à nutritione explicemus.

ARTIC. II.

An, & quomodo sola viventia nutriantur, & augeantur?

26 NOn defuerunt aliqui Philosophi antiqui, vt refert Aristotel. in 2. de Anima, textu 40. qui etiam non viventia dicebant propriè nutriri, & augeri; immo addebant omnia animalia nutriri virtute ignis, qui alia corpora depascit, & in se convertit; ideoque in 1. p. li-

tituli inquirimus; an sola viventia nutriantur, & augeantur. In secunda vero parte inquirimus, qualiter fiat hæc nutritio, & augmentatio, occasione cuiusdam propositionis Philosophi, quam supponit vt veram, hic cap. 5. textu 32. nempè: *Eius quod augetur quælibet pars augetur.*

§. I.

Prima pars artic. resolvitur.

27 PRima conclusio. Proprie loquendo, sola viventia nutriuntur, & augentur. Habetur expresse in Philosopho 2. de Anima, & in Div. Thom. ibidem lect. 8. & 9. & alijs suæ doctrinæ locis. Probaturque 1. ratione sumpta ex Div. Thom. quæst. vnica de Anima, artic. 13. ad 15. & in primis loquendo de nutritione: id proprie nutritur, quod per propriam virtutem consumit aliquid de propria substantia, & illud restaurat per conversionem extraneæ materiæ in propriam substantiam; sed hoc proprie loquendo, solum invenitur in viventibus: ergo. Probat. min. quia non viventia nempè ignis, vel aqua, nec per virtutem propriam consumunt aliquid de propria substantia, sed de aliena, neque per conversionem extraneæ intus sumptæ restaurant substantiam deperditam, & conservant præexistentem, sed solum in materia iuxta apposita generant aliã substantiam propriæ speciei; quod quidem est similitudinaria nutritio, & quædam generatio, aut aggeneratio: ergo propria nutritio in non viventibus non invenitur.

28 Confirmatur: id proprie nutritur, quod in se ipso, & per intus sumptionem aliquid recipit ad sui ipsius conservationem: alias si solum fieret per iuxta appositionem, quod præexistebat, maneret, sicut antea, quoad intrinseca, & id quod additur posset discerni ab eo quod præexistebat; sed non viventia nihil possunt recipere per intus sumptionem cum careant ore, quod habent animalia, radicibus, quas habent arbores, & plantæ, & virtute interna ad convertendum in se ipsis materiam extraneam: ergo proprie loquendo non viventia non nutriuntur.

29 Ex quo etiam; probat. 3. quod sola viventia propriè augentur; quia illa propriè augentur, quæ propriè nutriuntur, cum pars quantitatis non adquiratur sine nova parte substantiæ, & è converso: ergo si sola viventia propriè nutriuntur; sola viventia proprie augentur.

30 Probat. 2. augmentatio [illegible] motus ad maiorem quantitatem sibi adquirendam; sed sola viventia mouentur ad maiorem quantitatem sibi adquirendam : ergo sola viuentia propriè augentur. Probatur min. Tùm, qui non viventia à principio recipiunt speciem, & debitam quantitatem cum qua possent operari, & simile sibi generare : viventia vero cum fiant ex semine, à principio debent esse modicæ quantitatis : Tùm quia non viuentia habent partes eiusden rationis, quas à principio, cum specie, & substantia adquirunt, viventia vero non possunt naturaliter, tàm cito habere partes, ita diversas, quibus constant in ea perfectione, quæ exigunt ad perfectam conservationem, & operationem viuentis; tùm denique, quia non viuentia non movent vitaliter se ipsa ad adquirendam perfectionem, quæ eis deficit, bene vero viventia.

31 Sed oppones 1° ignis verè augetur, & nutritur : ergo non sola viventia augentur, & nutriuntur. Antecedens probatur primo. Quià ignis attrahit oleum in sui populum, quo conservatur, et si flamma guttis olei vndique aspergatur, augetur medio pabulo extrinseco. & per virtutem intrinsecam, & secundum omnes suas partes, quod nihil plus ad ueram nutritionem, & augmentationem videtur requiri.

32 Secundo : Nam Div. Thom. in 2. de Anima, lect. 8. ait : quod inter elementa uidetur solus ignis nutriri, quia ad sui conservationem, & augmentum, videtur in se humorem convertere, quod quidem de vera nutritione, & augmentatione venit intelligendum, alias superflue concederet igni, quod alijs elementis denegat.

33 Neg. anteced. ad 1. probationem dicimus: ignem per se non indigere pabulo ad sui conservationem, ut patet in igne elementali existente, in connaturali loco; indiget tamen, eo per accidens quia scilicet invenitur extra sphæram propriam circundatur pluribus contrarijs, quibus facile cedet nisi extensio pabulo fulciatur. illud convertendo in substantiam propriæ speciei. viuentia indigent per se pabulo, ut partes substantiæ deperditas actione naturalis caloris, restauret, & conservetur quare natura provida ad ea, quæ sunt per se, tribuit viventibus instrumenta ad propriam nutritionem necessaria, & illa denegat non viventibus.

Ap-

34 Ad 1. dicimus: D. Thomam solum tribuere igni nutritionem superficialiter, & similitudinariè acceptam, vt se explicat in loco in argumento adducto dicens: *Inter elementa videtur solus ignis nutriri, & augeri, si superficialiter, de nutritione, & augmentatione loquimur.* Et infra lect. 9 ait. *Ignis autem videtur per quandam similitudinem nutriri; non autem propriè nutritur.* Alijs autem elementis non solum denegat proprietatem & veritatem nutritionis; sed etiam similitudinem; & hoc ideo, *quia ignis habet plus de forma, quam alia elementa, & est potëtior in virtute activa; vnde propter boc quod manifeste alia convertit in se, videtur nutriri, & augeri.* Verba sunt Div. Thomæ loco citato.

35 Oppones 2. Cum vino parum aquæ infunditur, quæ in illud convertitur, augetur vinum, vt constat; sed in prædicto augmento repetitur, & fieri per virtutem internam vini, & secundum omnes illius partes, cum secundum omnes fiat vinum debilius, & ex aqua, & vino fit vnum individuum, quæ conditiones sunt omnes, quæ exigi videtur ad augmentum proprium: ergo non viventia propriè augentur.

36 Confirm. Quia lapides sub terra geniti habent poros, quibus attrahunt humorem per quem crescunt: ergo augentur per intus sumptionem, & consequenter nihil deest, vt propriè augeantur.

37 Respond. Augmentum illud vini non esse proprium, nec per virtutem internam per se ordinatam ad illud; sed ad novam generationem in materia per accidens ad iuncta; quod quidem manifestum fit ex eo, quod posito augmento, vnum manet debilius, quod non contingeret, si tale augmentum fieret per virtutem adhoc destinatam, & cum conditionibus proprij augmenti, quæ cedunt in maiorem perfectionem, & vigorē rei, quæ propriè augetur.

38 Ad Confirmat. neg. consequentia: quia licet in lapide, & alijs non viuentibus, inveniatur conversio alicuius in propriam substantiam; imò, & si intra poros eius ingrediatur (communiter enim hoc fit per iuxta positionem extrinsecam) hoc totum tamen fit non per virtutem intrinsecam restaurativam de perditi, & ad augumentū per se destinatam; sed per virtutem generativam agentem in quodcumque approximatum.

§. II.

Secunda pars artic. Resolvitur.

39 SEcunda conclusio. *Eius quod propriè augetur, quælibet pars augetur pars enim aliquota immediatè, & per se, proportionalis verò mediante solū, & ratione aliquotarum.* Prima pars conclusionis, nempè quod eius quod augetur, quelibet pars augeatur: videtur supponi à Philosopho in præsenti: textu 32. vt ibidem declarat D. Thomas, lect. 14. & breuiter Prob. eius quod nutritur, quælibet pars nutritur: ergo eius quod augetur quælibet pars augetur; patet consequentia: Tùm apparitate, tùm quia tempore illo quo vivens est capax augmenti non datur illius nutritio sine augmentatione. Antecedens verò probatur. Tùm quia calor naturalis medio quo fit nutritio reperitur in omnibus viventis partibus: ergo sicut totum nutritur: ita, & quælibet pars. Tū quia nutritio reparat detrimentum, quod inducit calor naturalis depascens humidum radicale; sed in qualibet parte est calor naturalis depascens: ergo quælibet per nutritionem debet reparari.

40 Ad secundæ partis probationem: Recolenda est natura, & differentia inter partem aliquotam, & proportionalem, quam traddidimus in 6. Physicorum. P. Rubi: asserit: omnes partes viventis augeri per se, & immediatè; sed potiori ratione proportionales; sed adversatur Philosopho in præsenti; textu 35. & D. Thomæ ibidem, lect. 15. qui secundam partem nostræ conclusionis expræsse affirmant. Probatque 1. partes eo modo moventur motu vitali nutritionis, & augmenti, quo habent esse in se, seu existunt; sed partes proportionales per se non habent esse determinatum, designabile, & sensibile; sed confussum; indesignabile, & sensibile ratione partium aliquotarum: ergo ratione harum solum augentur, & nutriuntur.

Secundo: quia pars illa, quæ porum non habet augeri nequit, nec nutriri, sed non quelibet proportionalis habet porum: ergo non quælibet immediatè, & ratione sui augetur, & nutritur; mai. patet, quia pars quæ porum non habet, nequit intus sumere alimentum, nec illud in se convertere, vt fiat maior min. verò non minus constat; alias vivens tot poros habet, quod partes proportionales, proindeque totum vivens resolveretur in poros.

Sed

42 Sed pro intelligentia obseruandum est ex Philosopho, & Div. Thoma 4. metheor. lect. 12. quod pori sunt foramina quædam minutissima per totum corpus, viuentis diffussa non omnino vacua; sed plena humore quodam, qui facile cedit corpusculo intranti, aut humori atracto. Poros dari compertum est ipsa experientia; aliàs nec sudor, nec vrina à corpore egrederentur, nec vrina reciperetur in vesicam, si non esset scissio, aut penetratio, deficientibus poris.

43 Sed oppones 1. contra primam partem conclusionis: vt omnes partes ad augmentum possent augeri, necesse erat, vt cuius extrinsecum alimentum applicaretur; sed vt applicetur, & intus sumatur recursus ad poros invtilis est: ergo falsum est, quod eius quod augetur, quælibet pars augeatur. Probatur min. Tùm quia Philosophus in præsenti, textu 80. & 81. reprehendit Philosophos ponentes poros medijs quibus fiat augmentatio, quia vera non esset, sed solum quædam iuxta appositio.

Tùm quia inter porum, & porum debet mediare pars solida, alioquin totum viuens resolveretur in poros, hæc pars solida quomodo augetur medio alimento attracto? Non ratione pori, quia solida est; non ratione penetrationis, quę naturaliter impossibilis: ergo. Tùm quia pori supponitur repleti alimento, quod primo augmento deservit, & in substantiam viuentis iam est conversum: ergo nequeunt præbere locũ alimento de novo advenienti vt deferri queat ad alias partes magis remotas.

44 Neg. min. ad 1. probationem dicimus: Aristot. impugnare philosophos non in eo, quod ponerent poros; sed quia oppinabantur, quod corpuscula intrantia poros non conbertebantur in substantiam viventis; sed manebant immutata, quod erat magis iuxta appositio, quam nutritiva augmentatio.

Ad 2. dicimus: quod pars medians inter duos poros augetur per intus sumptionem, quia alimentum attractum per poros illi immediatos est sufficienter illi applicatum, saltim secundum extremitates, immo, & pori cum parte solida continui pertinent ad ipsam.

Ad 3. dicimus: quod licet aliqui pori supponantur repleti alimento prius accepto; ad huc tamen non impeditur applicatio novi alimenti, quia calor naturalis depascens continuo humidũ radicale, & partes animalis, efficit novos poros

ros, quibus novum alimentum partibus viventis applicetur; sed de his satis ne digrediamur ad extranea.

45. Oppones 2. Si vivens secundum omnes partes augetur, æqualiter secundum omnes partes extenderetur, cõsequens est falsum: tùm quia homo habet maiorem longitudinem, quam latitudinem; tùm quia capilli, & vngues augentur, cessante augmento aliarum partium. Tùm quia spadones habent Brachia, & crura satis longa, caput verò valde parvum, alijsque exemplis idẽ potest comprobari: ergo eius quod augetur, non quælibet pars augetur.

49. Respondet, quod vivens æqualiter secundum omnes partes augetur, servata proportione illarum debita cum toto, quia virtus augmentativa imitatur virtutem formativam corporis, & sicut hæc format à principio humanum corporis magis longum, quam latam; ita virtus augmentativa sequitur illius ductum, augendo partes, & totum. Capilli, & vngues augentur, cessante augmento aliarum partium, quia non ita cito perveniunt ad præfixum terminum suæ magnitudinis, sicut aliæ partes, & cum dicimus, *quod eius quod augetur quælibet pars augetur*: intelligendum est de partibus, quæ nondum adquisierunt terminum magnitudinis illis à natura præfixum. In spadonibus quælibet pars augetur attenta dispositione illius, & influxus caloris naturalis; minus enim augentur secundum caput ob defectum caloris naturalis debilitati à cerebro membro frigidissimo, dilatio verò secundum alias partes oritur ex eo, quod superfluum alimenti, quod in alis hominibus convertitur in semen, in illis convertitur in carnem, & ossa.

47. Oppones 3. contra 2. partem conclusionis partes aliquotæ non habent aliam entitatem, quæ immediate, & per se augeatur præter entitatem partium proportianalium: ergo si illæ immediate, & per se augentur, etiam proportionales.

Resp. Quod licèt entitas, & extensio sit eadem modus tamen essendi est diversus; vnde licèt materialiter omnes augeantur, primò, & per se in aliquota repetitur augmentum, quæ habet esse determinatum designabile, & porum.

ARTIC. III.

Vtrùm vivens maneat idem numero toto tempore nutritionis, & augmenti?

48 CErtum enim est, quod nutritio plus durat, quam augmentatio; hæc

hæc enim tantum durat, quantum exigitur, vt vivens adquirat quantitatem perfectam, in qua valeat perfecte operari, quia hic est finis augmentationis, quæ deficit deficiente isto fine; qui etiam deficit ante finem vitæ viuentis: nutritio vero durat toto tempore vitæ; quia finis illius est reparare, media conversione alimenti in substantiam, id quod continue deperditur actione caloris naturalis; hoc enim toto tempore vitæ viuentis durat, illoque deficiente animal, seu viuens moritur, & deficit.

49 Cum autem natura nutritionis constat in novarum partiũ adquisitione propter antiquarum deperditionem, quæ per longam vitam continue fiunt, consurgit dubium præsens; an cum hac variatione continua partium viuentis, stet vnitas numerica illius.

50 Partes viuentis, aliæ sunt essentiales, vt materia, & forma; aliæ integrales; & integralium; aliæ sunt ætherogeneę, vt pes manus, & caput, alię homogeneę, vt partes eiusdem Brachij, aut Rami in planta. Rursus viuentia alia sunt vegetativa solum, vt planta; alia sensitiva, vt animalia. Animalium etiam, alia sunt perfecta, vt homo, & equus, & leo, alia imperfecta.

51 Certum debet esse, quod in homine, toto tempore nutritionis, & augmenti, manet eadem forma, cum anima rationalis indivisibilis sit & tota in qualibet parte: & idem dicendum est de forma animalium perfectorum, quæ etiam est indivisibilis; iuxta Philosoph. de senectitute cap. 1. & Div. Thom. 2. contrag. cap. 72. & alibi.

52 Deinde debet esse certum, animalia imperfecta, & plantas habere formas divisibiles, cum constet experientia, quod decissa vivunt, & ramusculus arboris abscissus inferitur, & viuit. Non est ita certum, an in augmento, & nutritione plantarum, & animalium imperfectorum, cum nova parte materiæ adquiratur nova pars formæ; an solum forma præexistens sine additione novæ partis sui, extendatur ad novam partem advenientis materiæ?

Probabilior sententia tenet: quod cum plantæ, & animalia imperfecta augentur, educitur nova pars formæ ex nova parte materiæ de novo advenientis, (cuius exacta discutio potius pertinet ad libros de Anima) & in præsenti supponitur aliqualiter, vt maior sit difficultas præsentis articuli, quæ non ita dificile resolvitur, si in omnibus viventibus, for-

les, & corruptibiles, vt sublunaria, ita illarum vnitas numerica non eodem modo omnibus convenit; quare vnitas numerica rei corruptibilis (quæ hoc ipso, quod talis est, debet aliquam variationem in propria entitate admittere alias ab ente incorruptibili non differt) sumitur à materia variabili eo modo, quo vnitas numerica rei corruptibilis variabilitatem aliquam admittit; admittit enim variabilitatem materialem, & entitativam suarum partium; quæ per continuam nutritionem succedunt, & deperduntur, conservat tamen formalem permanentiam omnium illarum, quatenus omnes illæ materialiter succedentes eidem toto subordinatur, eisdemque dispositionibus, sub eademque figura, ordine, & situ.

56 Quare informa dist ting. conseq. Si partes materiales tàm materialiter, & entitative, quàm formaliter acceptæ deperduntur, concedo consequentiam. Si deperduntur materialiter, & entitativè, permanent tamen formaliter, neg. cõsequẽtiam: explicat D. Thom. m. quando partes materiales deperduntur tàm formaliter, quàm materialiter, & resultat novum individuum; quando etiam deperduntur tantum materialiter, & permanet idem individuum exemplo ignis, ait enim 1. p. quæst. 119. artc. 3. ad 5. *Quod quando aliquã materia per se convertitur in ignem, tunc dicitur ignis denovo generari. Quando verò aliqua materia convertitur in ignem præexistentem, dicitur ignis nutriri: vnde si tota materia simul amittat speciem, & alia materia convertatur in ignem erit alius ignis numero; si verò paulatim combusto vno ligno aliud substituatur; & sic deinceps quoad vsque omnia prima consumantur semper remanet idem ignis numero; quia semper quod additur transit in præexistens: & similiter est intelligendum in corporibus viventibus, in quibus ex nutrimento restauratur, in quod per calorem naturalem consumitur.*

57 Sed instas: quod materia tota simul deficiat, vel paulatim, & per partes videtur differentia solum per accidens: ergo si dum tota simul deficit, variatur individuum; idem dicendum est, dum tota deficit paulatim, & per partes.

58 Neg. ant. quia cum toto simul deficit, ex ea, & ex materia de novo adveniente, non fit vnum, nec per identitatem nec per continuationem, nec vtraque subordinatur eidem toto nec eisdem dispositionibus, nec de novo adveniens transit ad esse compositi præexistentis, quæ omnia requirebantur, vt ex vtraque materia

ria idem indiuiduum maneret: omniaque prædicata salvantur, cum materia paulatim, & per partes deficit, & adquiritur.

59 Oppones 1. partes formales alicuius compositi substantialis nihil aliud sunt, quam materia ipsa, & entitas partium illius sub tali forma, sed deficiente materia, per successionem novarum partium, etiam forma, quæ in tali materia erat, solvitur: ergo si per nutritionem deficiunt omnes partes materiæ, quamvis paulatim, & per successionem, deficiunt non solum materialiter, sed etiam formaliter, subindeque variatur individuum.

60 Confirm. in animalibus imperfectis, & Plantis cum nova parte materiæ advenit nova pars formæ, vt supra admisimus vt probabilius: ergo in his saltim partes formales mutātur cum mutetur ipsa forma.

61 Confirm. 2. quia entitas totius non distinguitur ab eius partibus simul sumptis; sed tempore nutritionis, & augmenti, possunt deperdi omnes partes tam materiæ quam formæ communicatæ viuentis in prima generatione, & succedere aliæ: ergo viuens non manet idem.

62 Neg. min. si vniversaliter intelligitur, cum in homine, & in animalibus perfectis formæ sunt indivisibiles, & sic non deficiunt, quamvis omnes partes materiæ, quæ sub illis formis sunt, deficiant: si verò minor intelligatur de formis divisibilibus, quæ cum partibus materiæ adveniunt, & deperduntur, distinguenda est: solvitur forma, quæ erat in tali materia forma materialiter, & entitativè accepta omitto, min. forma formaliter accepta neg. min. & consequentiam: quamvis nova pars formæ adveniat cum nova parte materiæ; & ad huius defectum deficiat, manet tamen eadem forma formaliter non per identitatem, aut indivisibilitatem (quod est manere eandem formam materialiter, & identice) sed per continuationem, & subordinationem ad idem totum, & ad easdem dispositiones, quæ vnitas continuationis cum reliquis requisitis sufficiens est ad vnitatem numericā simpliciter talem, vt explicat D. Thomas exemplo ignis supra adducto. Per quod patet ad vtramque confirmationem.

63 Sed instas 1. nam deficientibus partibus substantialibus, & variatis, necesse est variari, & deficere omnes dispositiones accidentales, quæ transire non possunt de subiecto in subiectum: ergo falsum est dicere, quod partes substantiales materiæ, & formæ de-

deficiunt materialiter, & permanent formaliter sub eisdem dispositionibus.

64 Secundo: Quia iuxta prædicta non ponitur maior vnitas in viventibus, quam in fluvio, aut in populo, cuius partes fluunt, aut mutantur sub eadem habitudine, & dispositione, imò, & continuatione, vt in fluvio, quod quidem est falsum.

65 Ad 1. dicimus: Quod idem dicendum est de accidentibus, ac de partibus materiæ, & formæ substantialis, nimirum, quod deficiunt materialiter, non formaliter, quatenus per continuationem, & subordinatione ad idem totum, sunt vnum per continuationem, & imperceptibilem successionem in sensu immediatè explicando.

66 Ad 2. dicimus: esse latam differentiam inter vnitatem fluvij, & populi, & vnitatem viventis quamvis imperfecti; populus enim non est, vnus vnitate aliqua physica, adhuc secundum continuationem partium, sed præcisè secundum convictum, quæ proprie est coadunatio, aut vnitas moralis fluvius autem, & si sit vnus continuatione, partes tamen non commiscentur per conversionem in substantiam præcedentium, aut totius sed per puram successionem, qua vna est post aliam, aut post aliam emittitur, cuius oppositum invenitur in viventibus, in quibus vna pars non præcisè emittitur post aliam, sed per conversionem in substantiam præexistentis, fit vnum non solum vnitate continuationis successivæ, sed continuationis conversiuæ substantialis.

67 Si dicas: ergo: ad minus non est maior vnitas in viventibus media nutritione, quam in igne; qui quidem non est unus præcisè per continuationem, sed etiam per commixtionem conversivam partium de novo advenientium in propriam substantiam.

68 Neg. consequentiam: differentiaque sumitur ex eodem capite, quo igne negavimus veram nutritionem, quã concessimus solis viventibus, quod videri potest in 1. p. art. præcedentis: ideoque pro solutione primi argumenti huius articuli, rectè notabimus, quod unitas numerico admittit latitudinem secundum quod magis, aut minus accedit ad indivisibilitatem; & relictis individuis purè spiritualibus, vt sunt Deus, & Angeli, inter individua corporalia, magis accedunt ad indivisibilitatem corpora incorruptibilia vt sunt cęli, quam corruptibilia; in illis enim manet materia, & forma quoad suas entitates omninò invariabi-

biles, at verò in ente corruptibili manente eodem individuo variatur saltim materia, ut in animalibus perfectis; variatur non solum materia, sed etiam forma in animalibus imperfectis, & plantis: In non viventibus vero etiam est latitudo, maior enim vnitas est in indibiduo ignis, quam in aqua, & alijs, quia augmentum ignis magis assimilatur augmento, & conservationi viventium; ac denique maiorem vnitatem habet individuum cuius partes saltim continuantur, quam illud, quod solum habet partes coadunatas moraliter, vt populus.

ARTIC. IV.

An, & quomodo viventia, & non viventia terminentur penès magnitudinem, & parvitatem?

69 DEterminis magnitudinis, & parvitatis communiter disputāt philosophi in libris physicorum, aliqui in primo, alij in sexto, alij in octavo, quibus negare non possumus illa esse loca congruētia pro resolutione præsentis difficultatis, vt notavimus in 6. physic. q. 19. art. 2. in fine, vbi etiam redimus rationem, cur illam ad hunc locum remisimus, qui nobis in congruus non apparet quia Doctrina duorum articulorum præcedentium, & præsentis difficultatis connexione non caret, vt ex dictis, & ex dicendis constabit.

§. I.

Exponuntur termini, & certa præmittuntur.

70 QVatuor sunt termini, magnitudinis duo, duoque parvitatis. Magnitudinis alter est intrinsecus, alter extrinsecus. Intrinsecus dicitur: *maximum quod sic*: Cui subest quantitas inqua res naturalis esse potest, & in maiori non: idest maxima quantitatum; in quibus res naturalis esse potest. Extrinsecus est ille, cui subest quantitas, inqua res naturalis esse non potest, bene ta nen sub minori (dum modo non sit minor minima) & rectè dicitur; *minimum quod non*, idest minima omnium ex quantitatibus magnis in quibus res naturalis esse non valet

Duorum terminorum parvitatis; alter etiam est intrinsecus, [illegible]r extrinsecus. Intrinsecus est ille cui subest quantitas in qua res naturalis esse potest, & in minori non, & vocatur *minimum quod sic*, idest minima quantitatum in quibus res naturalis esse potest. Extrinsecus est ille, cui subest quantitas, in qua res naturalis

esse

esse non potest, bene tamen sub maiori, (dum modo non sit maior maxima) rectè dicitur; *maximum quod non*, idest maxima omnium ex quantitatibus parvis, in quibus res naturalis esse non valet.

71 In titulo quærimus, & terminationem rerum naturalium (præscindendo an sit extrinseca an intrinseca) & modum terminationis, an scilicèt terminetur intrinsecè, an extrinsecè solum, consultoque ponimus, *an & quomodo*; quantitas, & potest considerari secundum se, & mathematicè, (& quomodo hæc terminetur, vel non terminetur vidimus in libris physic. agendo de infinito) & potest considerari naturaliter, idest vt pertinet ad corpus naturale, & de hoc inquirimus, an terminum habeat penes magnum, & parvum.

72 Loquimurque etiam de terminatione illius, non attenta potentia Dei absoluta; sed præcisè attentis principijs naturalibus: Principia etiam naturalia, alia sunt extrinseca rebus illa nimirum quæ eis conveniunt attento ordine vniversi, cuius sunt partes; alia sunt ipsis rebus intrinseca, nempè particularis natura cuiuscumque rei; certum enim est quod servato ordine vniversi, vltra supremum cælorum, inferiores nō possunt crescere, nec etiam elementa supra infimum cælorum. Loquimur igitur de terminatione rerum naturalium attentis propijs naturis, & intrinsecis principijs naturalibus cuiusvis.

73 Res etiam quælibet naturalis attentis proprijs principijs naturalibus potest considerari, & in statu connaturali via generationis, & debitæ conservationis, & vt exacta à connaturali statu, & via corruptionis: quærimusque terminum illius in vtroque statu.

74 Vt certum supponimus, omnia viventia connaturaliter terminari penès magnitudinem, & parvitatem (præscindendo à terminatione intrinseca, vel extrinseca) ita Philosophus, & D. Thomas, in 1. physicorum, textu 36. & 38. lect. 9. quia impossibile est, viventia se habere in determinate ad quamcumque magnitudinem, aut parvitatem, est enim aliqua quantitas tàm magna vltra quàm nullum vivens extenditur (respectivè ad speciem cuiuslibet viventis) & aliqua ita parva infra quam nullum vivens esse potest. Suadetque idem doctrix experientia: naturaliter enim fieri nequit, quod hactenus natura numquam fecit, numquam fecit hominem in magnitudine montis, nec in parvitate formicæ, & idem dicendum est de

omni vivente comparativè, aut respectivè ad speciem cuiusvis, hoc supposito circa quæstionē de re, circa modum terminationis, an scilicèt sit intrinseca an solum extrinseca; sequenti conclusione dicemus.

§. II.

Prima Conclusio.

75 *Viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis via generationis, & in statu conservationis: at vero via corruptionis solum habent terminum extrinsecum non magnitudinis, sed extensionis, sic communiter Philosophi, vno, vel altero dempto.* Prob. 1. pars conclusionis, viventia augentur per nutritionem convertendo alimentum in propriam substantiam, sed virtus nutritiva, cum sit activitatis limitatæ, iuxta Philosoph. 1. de Cœlo textu 116. petit terminum intrinsecum: ergo augmentum viventium terminatur intrinsecè; probatur min. virtus nutritiva, & augmentativa petunt terminum à se naturaliter productum, & per virtutem intrinsecam: ergo petunt terminum magnitudinis intrinsecum, quia magnitudo ad quam est potens virtus augmentativa, & vltra quam non potest, est magnitudo in qua vivens esse potest, & in maiori nō in quo terminus intrinsecus magnitudinis consistit.

76 Secundo: datur quantitas in qua vivens naturaliter operari potest, & in maiori non potest: ergo datur quantitas in qua vivens esse, & conservari potest, & in maiori non potest, in quo terminus magnitudinis consistit: consequentia patet: quia operari naturaliter sequitur ad esse connaturale. Antecedens vero probatur. Operatio naturalis viventium fit medio corpore constante partibus organicis; sed partes organicæ exigunt determinatum temperamentum, & quantitatem in qua esse possunt, & in maiori non possunt, vt ratio, & experientia dictāt: ergo.

77 Secunda pars conclusionis, nempè quod via corruptionis, solum habent terminum extrinsecum: Prob. si vivens via corruptionis haberet terminum magnitudinis intrinsecum, posset desinere per vltimum sui esse; consequens esse falsum (quando desinit per generationem alterius substantiæ) vidimus in 6. Physicor. ergo. Sequela prob. magnitudo viventis via corruptionis est magnitudo in qua vivens tendit ad non esse, & sui corruptionem: posito ergo vivente in termino dictæ magnitudinis, vel est ve-

rum

rum dicere: *Nunc est vivens, & immediate post non erit: vel nunc est vivens, & perseverabit post, vel nunc non est vivens, & immediate ante fuit*, (In his enim non videtur assignabile medium) si primum: vivens desinit per vltimum sui esse, vt de se patet; si secundum: vivens non est in termino magnitudinis via corruptionis, cum adhuc sub illo termino conservetur, & non corrumpatur: si tertium: ergo quātitas sub illo termino, est in qua vivens non potest esse, & in minori, aut in eadem cum minori extensione esse potest, in quo terminus extrinsecus magnitudinis consistit.

78 Tertia denique pars, nempè quod terminus via corruptionis, non sit magnitudinis propriæ, sed extensionis, aut localis, aut refactionis, aut huiusmodi constat in casu communiter obiecto cōtra terminum intrinsecum magnitudinis viventium, nimirum si homo constitutus in termino magnitudinis poneretur in loco humido, aut quis pugno illius maxillas percuteret, aut morsu venenoso vespæ crescceret pertumefactionem, esset in via corruptionis, & excederet terminum magnitudinis præhabitum in statu debitæ conservationis: hunc excessum dicimus, non esse propriæ magnitudinis. Tùm quia excessus magnitudinis propriè non datur sine additione novæ partis quantitatis, & hæc non additur sine nova parte substantia; sed partes novæ quantitatis, & substantiæ addi non possunt viventi colocato in termino activitatis suæ virtutis nutritivæ, & augmentatiuæ qualiter esset viuens in casu dicto ergo: tùm quia magnitudo adveniens viventi per additionem novæ partis quantitatis, non constituit illud in via corruptionis, cum tale augmentum debeat esse à virtute augmentativa, cuius munus est conservare, & perficere, non corrumpere vivens.

Relinquitur: ergo, quod illa tumefactio ratione cuius vivens extenditur vltra terminum quantitatis, inquo debite conservatur, nō est magnitudo, quæ sit effectus primarius quantitatis: sed effectus, aut secundarius quantitatis præhabitæ, extensio scilicet illius noua in ordine ad maiorem locum, aut alicuius qualitatis supervenientis; qua quantitatis præexistens invariata quoad intrinseca, rare fit, & magis extenditur in ordine ad locum. Cum autem illa tumefactio, rarefactio, aut extensio violenta partium quātitatis illius viventis in ordine ad locum, necessario habeat terminum (non enim potest omnem locum occupare)

in quo termino vivens iam non est, vt supra probavimus, sequitur illum terminum esse extrinsecum, non magnitudinis propriæ; sed extensionis localis, aut rarefactionis, magnitudinis præhabitæ, & antea intrinsecè terminatæ.

79 Obijcies. 1. Animal in supremo termino suæ magnitudinis constitutum, sumendo alimentum facilis decoctionis, convertet in propriam substantiam, & crescet: ergo non habet terminum intrinsecum. Si dicatur: quod tantum de perdit de propria substantia, quantum adquirit de alimento. Contra est: quia ignis quamtumvis maximus si ei applicetur stuppa, illam convertit in propriam substentiam (in sententia quam infra defensabimus) non habet terminum intrinsecum suæ magnitudinis, & tamen per cõtinuam combustionem tantum potest deperdere, quantum de novo adquirit: ergo.

80 Respondet. solutione data, quæ non corruit exemplo ignis inter quem, & viuens, hæc est differentia, quod virtus nutritiva, seu conversiva animalis, sic est disposita à natura, vt continua ractione debilitetur, & plus perdat, quã convertat; ignis verò est èconttra quanto plura convertit in propriam substantiam, tanto plus fortificatur eius virtus, & sic non est cur iudicemus, quod tantum, aut plus perdit quam adquirit.

81 Obijcies 2. contra 2. partem conclusionis: Ponamus hominem in termino intrinseco suæ magnitudinis, & incipientem corrumpi motu alterativo tumefactionis, vel in sua natura habet virtutem determinatam vt sub illo motu possit aliquantulum permanere vel non? Si primum: ergo terminus illis tumefactionis est intrinsecus, siquidem vivens ex intrinseca virtute naturali, quæ intrinsecè determinata est, habet pervenire ad illum terminum, & sic via etiam corruptionis habebit terminum intrinsecum. Si secundum: ergo statim peribit vivens, & sic nec habebit terminum extrinsecum, cum careat virtute naturali determinata, sine qua nullatenus permanere potest; nec pro aliquo tempore, nec pro aliquo instanti.

82 Respondet. dictum hominem in prædicto casu, aliquantulum permanere sub motu tumefactionis, ex determinata sua virtute naturali, infirma tamen, & in via corruptionis, sicut ipsum vivens: ex quo non sequitur, quod terminus illius virtutis prout tendit ad corruptionem

nem, sit intrinsecus, nec virtuti, nec viuenti, quia in tempore mensurante motum tumefactionis, & priusquam iste terminetur, deficit vivens & virtus naturalis, qua sub tumefactione aliquantulum permanebat: quare dum motus, & extensio tumefactionis terminantur, iam non est vivens, nec virtus naturalis illius, sed immediatè antea fuerunt; ex quo infertur, & viuens desinere extrinsecè & extensionem illius via corruptionis terminari tantum extrinsecè.

§. III.

Secunda conclusio.

83 N*On viventia attenta natura ipsorum non habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis.* Dicimus, *attenta natura ipsorum.* Hoc est præscindendo ab ordine defacto seruato in vniuerso, in quo omnia corpora determinatam situationem habent, & consequenter determinatam magnitudinem, vltra quam non possunt se extendere, vt supra diximus §. I. numero 72. Contrarium nostræ conclusionis tenent Averrois, & alij antiqui apud Masium, & ex Thomistis, Ferrara, Ca. Astud. Nacar. PP. Carmelit. Prado, & alij; sed nostra conclusio communior est intra, & extra Scholam D. Th. eam tenent Soto, Masius, Ioannes à S. Thoma, Lerma, & alij. Scot. Ocham, Conimb. Tolet. & alij.

84 Prob. 1. ex Philosoph. 2. de Anima, textu 41. dicente: *Ignis enim augmentum in infinitum est, quo vsque fuerit combustibilis;* vbi D. Thom. lect. 8. *Manifestum est quod augmentum non est vsque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inveniatur.*

85 Si dicas: Philosoph. & D. Thomam debere intelligi de augmento ignis, qui est vnus non vnitate simpliciter, & indiuiduali in sua specie; sed vnitate solum per aggregationem sicut aceruus lapidū, hoc enim secundo modo potest crescere in infinitum; primo verò modo præfigit sibi terminum intrinsecum magnitudinis.

86 Contra est 1. nam D. Thom. 1. p. quest. 119. art. 1. ad 5. citatus artic. præced numer. 59. ait: *Quod quando igni præexistenti additur noua materia combustibilis, remanet idem ignis numero, quia semper quid additur, transit in præexistens.* Quo exemplo probat, & explicat, vivens manere idem numero toto tempore nutritionis, & augmenti, vt ibidem vidimus; ergo dum igni additur materia combustibilis, ita vt tota mate-

ria ignis præexistentis simul nō amittat speciem ignis; ex igne præexistente, & de novo genito, resultat vnus ignis simpliciter vnitate individuali, & numerica.

87 Secundo: ad vnitatem simpliciter individualem, non requiritur vnitas indivisibilitas, sed sufficit vnitas per continuationem, alias adhuc viventia constantia ex materia, & forma divisibilibus, essent tot individua, quod sunt partes continuatæ in vnoquoque, nec remanerent eadem toto tempore nutritionis, & augmenti; contra doctrinam datam artic. præced. sed nulla est ratio, cur ignis præexistens remanens cum igne de novo genito non continuetur cū illo: ergo nec est ratio, cur ex igne præexistente, & ex igne de novo genito sibi vnito, non resultet vnum individuum simpliciter, saltim per continuationem.

Probatur min. Tùm ex D.Thom. loco citato ex 1.p. expresse asserēte, quod si igni præexistenti paulatim additur materia conbustibilis, semper quod additur, transit in præexistens, ergo continuatur cum præexistente, & fit vnum individuum. Tùm quia non est ratio cur aqua paulatim superaddita aquæ, & partes aquæ continue fluentes in fluvio cotinuentur, & ignis paulatim superadditus igni non continuetur cum illo, cum iuxta Philosoph. & D. Thomam augmentum ignis magis assimiliter augmento viventium, quam augmentum alterius cuiuslibet elementi, aut rei animatæ: sed iuxta Div. Thomam in præsenti, textu 33. & 34. lect. 15. aqua paulatim superaddita aquæ continuatur cum illa, & idem de aqua fluvij, ita vt resultet vnicum individuum: ergo idem dicendum est, & potiori iure de igne.

88. Tertio: quia difficile assignatur, quid requiratur, vt ignis sit unus numero, & vnicum individuum, si non sufficit quod ignis præexistens, & adveniens de novo continuentur. Si dicatur cum Ferrara, & alijs quod ignis vnus numero est qui constat ex vna dumtaxat materia, & vna forma. Rursus inquirimus: nomine vnius materiæ, & vnius formæ ignis, vel intelligitur materia & forma divisibilis, vel indivisibilis; hoc secundum repugnat; quia formæ omniū elemētorū, sicut, & materia illorum, constant ex partibus divisibilibus ad divisionem quantitatis, quod in omni individuo illorum debet inveniri; si dicatur primum: ergo vnus ignis numero constat vna materia, & vna forma, quæ solum habent vnitatem per continuationem suarum partiū, ergo si ig-

ignis superadditus continuatur cum præexistente (vt continuari posse probavimus) ex vtroque resultabit vnus numero ignis, constans ex pluribus materijs, & formis partialibus continuatis, componentibus vnum ignem numero, constantem ex vna materia, & ex vna forma totali.

89 Secundo probat. conclusio ratione: Quia dato igne quantumvis maximo, & in termino, quem meditantur adversarij; si ei applicetur materia combustibilis, illam convertet in ignem, quem sibi vniet per continuationem, & hoc quidem (imò potiori iure) quamvis nihil deperderet de materia, & forma præexistente: ergo ex vtroque resultabit vnicum individuum, & maius præexistente; sed eodem modo potest fieri adiditio in infinitum sincathegorematicè attenta natura ignis, & ordine vniversi præciso, vel non attento: ergo ignis terminum magnitudinis non habet.

90 Confirmatur Nam vt diximus, artc.2. huius quæst. augmentum non viuentium, ad differentiam augmenti viuentium, cum non sit propiè tale, hoc est nec per virtutem adhoc destinatam indeterminata parte corporis, nec per intus sumptionem; sed præcisè per iuxta appositionem, & coniunctionem continuatam, vel continuam partium eiusdem speciei, ita vt quælibet pars de novo adveniens adducat secum novam partem materiæ, & formæ est augmentum non habens à quo limitetur, sicut nõ est, à quo limitetur additio novarum partium formæ, & materiæ, quæ continuari possunt cum præexistentibus: ergo agumentum, cuius non viuens est capax, non habet terminum.

91 Confirmatur 2. iuxta adversarios igni præexistenti potest addi materia substantialis in qua ignis forma introducatur sine termino: ergo magnitudo cuius ignis est capax non habet terminum. Antecedens constat: nam adversarij non negant posse addi combustibilia in infinitum sincathegorematicè, & in illis ignẽ posse generari, solum enim negant resultare ex illis vnum ignem, nisi solum per aggregationem Consequentia verò probatur: Magnitudo cuius ignis est capax, est quæ resultat ex additione ignis, ex quo, & ex præexistenti fit vnum saltim per continuationem; sed aditio ignis, quæ iuxta adversarios non habet terminum, non est cur non sit additio ignis ex quo, & ex præexistente fiat vnum saltim per continuationem, vt supra manet probatum: ergo magnitudo cuius ignis

 nis

nis est capax non habet terminum.

92 Obijcies 1. cotra præcedentem conclusionem; Non viventia habent formam determinatam: ergo; & determinatam magnitudinem; probatur consequentia: iuxtà Div Tomam, varijs in locis: sequuntur ad formam drterminatam accidentia determinata, inter quæ præcipuum est quantitas.

93 Disting. consequens: Habent determinatam magnitudinem consequutam ex vi generationis formæ, concedo consequentiam: adquisitam ex vi additionis formæ, neg. consequentiam: dupliciter potest magnitudo, aut quantitas convenire corpori, vel vt accidens consequutum ex ipsa prima productione suæ formæ, vel per extrinsecam additionem, coniunctionem, aut vnionem multarum partium formæ, quæ estare nequit sine simili, & tanta additione partium quantitatis; magnitudo, seu quantitas primo modo determinata est, tam in viventibus, quam in non viventibus, in quibus ominibus quantitas primo ad formam consequuta ex vi suæ generationis debet esse determinata, cum virtus generativa in omnibus determinata sit; & non in qualibet indeterminata quantitate possint generari, & hoc tantum intendit Div. Thomas asserens; ad formam determinatam sequi accidentia determinata; at verò magnitudo, seu quantitas secundo modo) qui modus magnitudinis non convenit viventibus, sed solum non viventibus, & est augmentum impropriè tale) non habet terminum ut supra probatum est.

94 Sed instas 1. quantumvis addantur partes formæ non viventibus ab extrinseco, aut quomodocumque sit, semper forma non viventis determinata, & finita est in essendo: ergo etiam quantitas, & magnitudo consequuta ex additione formæ.

95 Secundo: In igne additio formæ aut novæ partis illius, fit per generationem novæ formæ, aut partis illius: ergo si quantitas aut magnitudo consequuta ex vi generationis formæ determinata est; etiam quantitas, aut magnitudo consequuta ex additione formæ determinata erit.

96 Confirm. ideo viventia habent terminum magnitudinis, quia additio quantitatis in illis sit media virtute nutritiva, vel aggeneratira novæ partis substantiæ, & quantitatis, quæ virtus, vtpotè consequuta ad formam determinatam viuentis, determinatà etiam est; sed etiam additio quantitatis in igne fit media virtu-

te

te generativa, vel aggenerativa nouæ formæ ignis, quæ virtus vtpote consequuta ad formam determinatam, determinata etiam debet, esse: ergo saltim ignis adhuc per additionem habebit terminum magnitudinis intrinsecum.

97 Ad 1. disting. ant. determinata, & finita est in actu, & cathegorematicè, conc. ant. sincathegorematicè, & in potentia, neg. ant. & disting. consequens eodem modo: omnis enim forma substantialis creata capax quantitatis molis, & constans partibus homogeneis, determinata est, & limitata in essendo physicè, & metaphysicè cum claudatur terminis essentialibus physicis, & metaphysicis, in esse integrali, non attento ordine vniversi, sed prçcisè natura ipsarum, habent terminum actu, & cathegorematicè, quia actu, & collectivè non possunt existere omnes partes, quibus potest fieri additio, ut probavimus agendo de infinito: at vero sincathegorematicè, & in potentia numquam pervenitur ad aliquem terminum, ultra quē repugnet, quod fiat additio aliarum partium eiusdem speciei, & hoc solum intendit D. Thomas, dum ex determinatione formæ probat magnitudinem actu infinitam repugnare.

98 Ad 2. disting. antec. ita ut generatio novæ formæ se habeat formaliter, & per se ad augmentum ex additione, cuius est ignis capax, neg. ant. ita vt se habeat prçsuppositivè, & quasi per accidens, conced. ant. non enim repugnat, quod ex igne alibi genito, & aducto, vnitoque cum præexistente hic, fiat continuatio, & augmentum ignis hic præexistenti, sicut aqua augeri potest, se habens pure passivè ad suum augmentum: unde quamvis regulariter ignis se habeat activè ad suum augmentum, hoc per se, & formaliter non requiritur; sicut in viventibus, quæ prçcisè augentur per virtutem activam convertentem alimentum in propriam substantiam, quæ virtus cum limitata sit, habet terminum non solum ex vi primæ generationis, sed etiam aggenerationis, & augmenti.

99 Resp. 2 quod ex eo quod additio formæ in igné fiat media generatione, aut aggeneratione talis formæ superadditæ solum infertur quod magnitudo consequuta ex tali additione, sit determinata, & limitata in actu, & cathegorematicè, non verò sin cathegorematicè, & in potentia, quia cū parte ignis, quæ de novo additur, & quæ actu determinata est, additur nova virtus aggenerativa, aut generativa ignis in materia, quæ applicatur, & sic,

deinceps vsque in infinitum sincathegorematicè, & sic ex tali additione simul generativa partis additæ resultat magnitudo, actu determinata, at verò sine vllo termino in potentia.

100 Ad 3. neg. conseq. differentiaque est inter virtutem activam viuentis ad generandum novam partem substantiæ, & virtutem activam ignis aggenerativam noui ignis: quod virtus activa ignis est determinata in actu, sicut, & illius forma actu determinata est: at verò sicut potest fieri additio formæ ignis sincathegorematicè sine termino; ita virtus activa illius sincategorematicè, & in potentia non habet terminum, & hoc ideo, quia talis virtus activa est in omni parte ignis; & crescente igne, crescit talis virtus, & cuilibet parti applicetur extrinsecè combustibile generabit ignem, & vniet sibi, & crescet ignis, & virtus: virtus autem activa nutritiva, & augmentativa viuentis, est determinata tam actu, quã in potentia, sicut & ipsius forma nec talis virtus est in omni parte viuentis, sed in parte, aut organo determinato in stomacho, v. g. nec cum nova parte viuentis advenit nova pars virtutis nutritivæ, aut augmentatiuæ, & sic sicut talis virtus omnibus modis determinata est, ita, & magnitudo viuentis.

101 Obijcies 2. augmentum ignis solum est per additionem, aut iuxta appositionem, sed quidquid iuxta ponitur, aut additur igni præexistenti, non auget illum, nec maiorem facit ergo ignis præexistens habet terminum magnitudinis. Probatur min. quidquid additur igni præexistenti, non fit vnum per se cum illo, sed præcisè vnum per aggregationem: ergo quidquid additur non auget, nec facit maiorem ignem præexistentem, consequentia est evidens, quia loquimur de termino magnitudinis in vno eodemque individuo antecedens verò probatur: ex D. Thoma in 2 de Anim. lect. 9. dicent: *Cum igni accenso aliqua materia combustilis additur, in illa materia novus ignis generatur*, & paulo infra. *Totus enim ignis qui est ex congregatione multorum ignitorum, non est vnus simpliciter, sed videtur vnus aggregatione, sicut acervus lapidum est vnus.*

102 Neg. min. ad proba. neg. antecedens: ad testimonium Div. Thomæ in quo præcipuè fidit sententia contraria; dicimus cum Bañez in præsenti cap. 5. quest. 4. ad 2. quod Div. Thomas non affirmat quod semper ignis sit vnus per accidens hoc enim falsum

est,

est, quia ignis elementaris vnus est, & alij ignes dantur habentes vnitatem per se per continuationem, sicut alia in animata continua; de quo D. Thomas 4. contrag. cap. 81. ad 4. & 5. Sed solum intendit, quod quando sunt multæ prunæ aggregatæ, est ignis per accidens vnus: quam expositionem approbat ipse Prado in præsenti libr. 1. de Generatione quæst. 20: §. 1. num. 6. Cum tamen ipse in physica nostræ conclusioni adversetur, quæ expositio etiam apparet vera, ne D. Thomas videatur sibi contrarius in hoc testimonio, & in illo quod aduximus, ex 1. p. quæst. 119.

103 Obijcies 3. & potest esse replica, cum novus ignis additur præexistenti, vel perit individuatio vtriusque, vel non? Si perit: ergo ignis præexistens destruitur, quia deficit individuum, dum dificit individuum: ergo non augetur, quia quod augetur manet sub augmento, si non perit: ergo manent duo individua, & ex vtroque fiet vnum solum per aggregationem.

104 Respondet. quod si igni præexistenti solum additur materia substantialis, quam in se convertit, se habet admodum nutrimenti, per quod non destruitur individuatio viuentis, sed potius perficitur, licèt destruatur individuatio alimenti, quod transit ad substantiam, & individuationem aliti, vt vidimus ex D. Thoma loco citato ex 1. p. quæst. 119. Si verò igni præexistenti additur alius ignis alibi genitus ita vt ignis præexistens se habeat passive solum ad augmentum, sicut cum aqua additur aquæ; licèt individuatio formalis vtriusque deficiat, entitas tamen vtriusque individui non deficit, sed manet sub vnica individuatione, semel facta continuatione vtriusque, qua posita de quolibet illorum non est verum dicere, quod est indivisum in se, & divisum à quodlibet alio, cum divisio ab alio per continuationem vtriusque deficiat; ac subinde nec de quolibet illorum verificatur, quod est individuum, sed ex vtroque resultat vnum individuum maius.

§. IV.

Tertia Conclusio.

105 V*Iventia, & non viventia habent terminum intrinsecum parvitatis.* Est communis Thomistarum, aliorumque extra Scholam D. Thomæ. Contra Scotum Ocham, Valles, Rubio, & alios. Probatur 1. experientia, qua videmus, quod res qualibet na-

turalis vivens, aut non vivens, perit, & corrumpitur, facta in ea maxima contritione, aut divisione in minutissimas partes, signum evidens, quod non potest sub tam parva quantitate conservari.

109 Secundo: quia vnaquæque res naturalis est propter suam operationem, vt dicitur in 1. Ethicor. cap. 7. Sed res naturalis sub minori minima quantitate, non apparet quam operationem exercere possit: ergo res naturalis exigit determinatam quantitatem versus minimum. Tertio sequeretur quod aliqua substantia naturalis inciperet extrinsecè, idest per vltimum non esse, sicut res successiva, quod est falsum; sequela probatur: quia data quantitate quamtumvis minima, in alia minori, & minori, vsque in infinitum posset ignis introduci: ergo nec erit instans determinatum, aut pars determinata quantitatis, ante quam, & in tempore antecedente non sit ignis introductus: ergo solum poterit designari instans, in quo sit verum dicere, nunc ignis non est introductus, & immediate post introduceretur, quod est incepere per vltimum non esse.

107 Denique probat. In viventibus eadem ratione qua in illis terminum magnitudinis præfiximus: quia viventia petunt plura organa ad sui compositionem, quæ nec esse, nec disponi possunt in quacumque minima quantitate, nisi reddantur In habilia ad exercendas operationes vitæ propter quas sunt, & conservantur: ergo.

108 Obijcies 1. Non viventia non habent terminum magnitudinis: ergo nec parvitatis. Consequentia probatur: Tùm à paritate rationis: tùm paritate viventium, quibus eadem ratione, qua conceditur terminus magnitudinis, conceditur terminus parvitatis: ergo non viuentibus ea ratione qua negatur terminus magnitudinis, debet negari terminus parvitatis.

109 Neg. conseq. disparitas consistit in eo, quod nō vivens, cum homogeneum sit, per additionem formæ, & quantatis (in quo eius augmentum consistit) non impeditur, sed potius roboratur ad operandum; nec destruitur, sed potius melius conservatur; at verò per minorationem, divisionem, avt diminutionem formæ, & quantitatis destruitur, signum evidens exigentiæ determinatæ quantitatis versus minimum, vt sit, conservetur, & operetur. Viventia vero, cum in illa solum quantitate possint conservari, in qua possunt naturaliter operari; & naturaliter operara

ra propria operari non possunt, nisi medio corpore organico, quod tam per excessum, quam per defectum quantitatis inhabile redditur; fit vt versum magnum, & parvum, eadem ratione terminum exigant.

110 Obijcies 2. Agens naturale approximatum passo prius, ac fortius agit in partem propinquiorem, quã in magis distantem; sed dato minimo ligno potest ignis applicari illius medietati: ergo in illam medietatem introducet formam ignis; sed eadẽ ratio est de medietate illius medietatis: ergo entia naturalia non determinãt sibi quantitatem versus minimum.

111 Confirm. 1. dato minimo ligno ignis prius alterabit partem propinquorem, quam remotam (cum lignum quamtumvis minimum constet ex partibus, cum sit divisibile:) ergo medietas minimi ligni prius recipit calorem, vt octo; ac subinde formam ignis. Secunda consequentia constat ex prima; & prima probat. si medietas minimi prius alteratur ab igne: ergo ab illo recipit calorem; sed ille calor est intensibilis vsque ad summum: ergo recipit calorem vt octo.

112 Confirm. 2. Ponamus corpus naturale exigens minimam quantitatem in vniverso, & in quantitate minima in qua conservetur, dividaturque tale corpus ab Angelo sine vlla alia alteratione; vel facta divisione manebit illud minimum, vel non. Si primum: ergo infra terminum parvitatis conservari potest, & sic caret termino parvitatis. Si secundum: vel in medietate illius minimi divisi ab Angelo, introducitur aliqua forma substantialis, vel non. Primum repugnat, aliàs daretur corpus naturale minus minimo, quod in mundo esse potest, quod est chimera. Secundum etiam repugnat, alias daretur naturaliter pars quantitatis sine subiecto, aut materia sine forma.

113 Confirm. 3. Demus minimam quantitatem in qua substantia panis esse potest, si sacerdos intendat consecrare medietatem illius solum, illam solum consecrabit, & in alia medietate non consecrata manebit substantia panis; ergo manebit panis in minori minima quantitate, ac subinde termino parvitatis caret.

114 Ad Arg. neg. Prima consequentia: in illam medietatem ignis non introducet suam formam propter in dispositionem subiecti carentis debita quantitate, quæ est prima, & præcipua dispositio ad naturalem generationem, & conservationem entis naturalis substantialis; teste D. Thoma.

3.

3.p.q.77. artic.2 dicente. *Prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva.*

115 Ad 1. confir. neg. Prima consequentia: quia id quod reddit subiectũ incapax formę ignis, reddi illud incapax vltimę dispositionis, quæ est calor vt octo, qui inseparabiliter cõmitatur formã ignis; vnde licèt medietas sit capax alterationis per calorẽ infra octavum gradum, & calor sit intensibilis in eadẽ parte subiecti, non sequitur, quod omnis pars subiecti, quæ est capax caloris infra gradum octavum sit capax caloris vt octo; sicut nõ omne quod recipit calorem, recipit formam ignis ob defectum dispositionis ad hanc requisitæ, & non ad illam; vt patet in flamma, quæ vicinam superficiem, aut partes aeris non inflamat, quamvis in eis conservet calorem, & si ponatur meteria nimis sicca aliquantulum distians, Inflamat eam; quare sicut positio calore, si deficeret aliqua alia dispositio requisita naturaliter, nec ignis generaretur; ita deficiente quantitate naturaliter exacta, quæ est prima dispositio, quamvis ad sit alteratio, medio calore nec ignis generatur, nec calor vt octo introducitur.

116 Ad 2. Confirm. diximus; quod illa divisio servando naturæ leges est chimera; si desit corpus, circunstans alterius speciei, cum quo partes debitæ continuetur, & in quo convertantur; Dixi servando naturæ leges, quia sicut Deus potest inducere formam naturalem in materia, sine dispositionibus, quas connaturaliter exigit, ita poterit conservare formam sine illa determinata quantitate, quam vt primam dispositionem exigit connaturaliter; & sic illud corpus naturale minimum in vniverso, solum posset dividi à Deo conservante, supra leges naturæ substantiam in minori minima quantitate.

117 Ad 3. dicimus: quod sicut medietas illius minimæ substantiæ panis conservabatur ante consecrationem cum alia medietate prædictæ substantiæ quatenus quantitas cui subest vtraque medietas, non est divisa, sed continua, & sub illa sic continua potest panis conservari: ista facta consecratione medietatis, quantitas huius habet vim substantiæ, & facit ad munus conservandi substantiam, quæ remaneret, quidquid faceret substantia, quæ conversa est in corpus Christi.

118 Obijcies 3. minimo ignis, aut aquæ etiam vt est ens naturale, convenit extensio partium, quæ est ratio essentialis quantitatis: ergo convenit divisi-

visibilitas, quæ est quantitatis proprietas: ergo tale minimum erit divisibile in partes, quæ separatæ erunt entia naturalia ac subinde hæc non habebunt terminum parvitatis.

119 Resp. quod posse dividi in infinitum non est passio quantitatis naturalis, sivè prout constituit corpus naturale quantum; sed solum prout constituit corpus mathematicè acceptum, vt habet expressè D. Thom. 1. phisic. lect. 9. dicens: *Licet corpus mathematicè acceptum sit divisibile in infinitum; corpus tamen naturale non est divisibile infinitum*. Et etiam in 8. physic. lect. 11. & 12. ait D. Thom. quod sunt aliqua continua talis naturæ quæ non possint actu dividi, vt patet in corpore solis, hoc impediente naturali forma; & idem dicimus de minimo ignis, aut aquæ; vnde illa proprietas quantitatis non est intelligenda secundum actualem divisionem, sed secundum designationem.

120 Ex dictis inferes terminum parvitatis in viuentibus, & non viventibus esse intrinsecum via generationis, & debitæ conservationis; non verò corruptionis; primum patet quia est minima quantitas, in qua viventia, & non viventia esse, & conservari possunt, & in minori non; sed in hoc consistit terminus intrinsecus parvitatis: ergo. Secundum non minus patet, eadem ratione, qua viuentibus negavimus terminum intrinsecum magnitudinis via corruptionis, & concessimus solum terminum extrinsecum; ne scilicet viuentia, & non viuentia desinant intrinsecè per vltimum sui esse; quia si motu corruptivo versus parvitatem, condensando videlicet, aut dividendo, pervenirent ad terminum intrinsecum parvitatis, immediatè post iam non essent, (alias non esset vltimus terminus via corruptionis;) ergo in prædicto termino esset verum; nunc est ens naturale, viuens, aut non vivens, & immediatè post iam nō erit, quod est desinere intrinsecè.

ARLIC. V.

An, & quomodo differant nutritio, & augmentatio?

121 LOquimur de nutritione propria, quę est in viuentibus aggenerativa partis substantiæ media conversione alimenti in illam, & de augmentatione etiam propria per additionem partium quantitatis, media virtute ad hoc destinata, quæ sola viuentibus adest; & inquirimus; an sit motus, aut actiones distinctæ, & quomodo distinguantur.

§. I.

Status difficultatis, & illius resolutio.

122 Certum enim est, non addi novam partem quantitatis viventi sine nova parte substantiæ, nec è contra addi novam partem substantiæ sine nova parte quãtitatis, quidquid sit an pars quæ additur tam substantiæ, quam quantitati, sit maior, vel minor, aut æqualis, cum illa, quæ fuerit deperdita per calorem naturalem.

123 Certum est 2. augmentationem seu accretionem non esse, si pars substantiæ, & quantitatis, quæ additur viventi, non sit maior, quam illa, quæ deperdita fuit actione caloris naturalis. Certum est 3. quod ad nutritionem sufficit, quod media conversione alimenti in substantiam aliti, restauretur in viventi quidquid fuit deperditum per calorem naturalem, quamvis quod restauratur non excedat deperditum: at verò ad augumentationem per se requiritur, quod plus restauretur, quam deperdatur; alias viuens non erit maius, nec augebitur. Ex quo infertur nutritionem posse dari sine augmento, non tamen augmentationem sine nutritione prout hæc importat aggenerationem novæ partis substantiæ media conversione alimenti.

Ex quo iam apparet aliqualis differentia inter nutritionem, & augmentationem, sed non sufficiens ad resolutionem præsentis difficultatis, quia restat difficultas an, & quomodo differant augmentatio, & nutritio, non quælibet, sed illa, quæ ad maiorem partem substantiæ terminatur; his suppositis.

124 Conclusio nostra est: *Nutritio, & augmentatio differunt realiter, formaliter, & specifice.* Sic communiter philosophi, cum Arist. & D. Thoma, hic, lect. 16. & 17. contra aliquos antiquos innitentes principijs, quorum falsitas alibi à nobis est probanda, & hic supponenda nimirum quod quantitas non distinguitur realiter à materia prima, vel quod in illa residet immediatè, vt tenent aliqui recentiores contra quos agemus libro sequenti.

125 Prob. igitur nostra conclusio, ratione à priori. Quoties dantur termini realiter distincti, ita vt quilibet illorum sit per se primo intentus à natura necessariò debent actiones, motus, aut mutationes, realiter formaliter, & specifice distinctę; sed termini nutritionis, & augmentationis realiter distinguntur, & quilibet illorum est per se primo intentus à

à natura: ergo nutritio, & augmentatio sunt actiones, motus, aut mutationes realiter formaliter, & specificè distinctæ, mai. videtur evidens, quia distinctio actionum, motuum, aut mutationum sumitur à terminis, & distinctio specifica illarum à terminis per se primo intentis, aut inspectis; illumque terminum per se primo insicipicit, aut intendit actio, aut motus, quem per se primo intendit natura, quæ destinavit talem motum, aut actionem ad attingentiam termini, quem per se primo intendit, nec est assignabile caput distinctionis specificæ motuum, aut actionem, nisi hoc.

Iam prob. min. nova pars substantiæ, & nova pars maior quantitatis sunt termini nutritionis, & augmentationis, sed prædictæ partes realiter distinguuntur, & quælibet illarum est per se primo intenta à natura: ergo prædicti termini realiter distinguntur, & quilibet illorum est per se primo intentus à natura; min. pro prima parte constat, quia pars substantiæ, & pars quantitatis distinguntur, sicut substantia, & quantitas, pro secunda parte prob. natura non solum intendit restaurare sustantiam deperditam media nova parte substantiæ, quæ est terminus nutritionis, sed etiam perficere vivens perducendo ad debitam quantitatem in qua valeat perfectè operari media nova parte quantitatis maiori deperdita, quæ est terminus augmentationis; sed ex his duobus intentis à natura, vnum non intenditur ratione alterius: ergo quodlibet illorum est per se primo intentum à natura, prob. min. in primis restauratio substantiæ deperditę præcisè non intenditur à natura ob adquirendam maiorem quantitatem, (alias cessaret restauratio, dum cessat adquisitio maioris quantitatis,) sed propter conservationem viventis, quæ sine augmento potest subsistere. Rursus adquisitio maioris quantitatis præcisè non intenditur à natura ratione restaurationis substantiæ deperditæ: tùm quia vna sine alia invenitur; tùm quia quod vivens fiat maius non convenit illi ratione substantiæ; sed ratione quantitatis. Tùm denique iuxta phylosophum ad quantitatem datur per se motus qua ratione inter species motus numerat augmentationem, quod falsum esset, si esset consequuta ex nutritione per se primo terminata ad substantiam.

§§§

§§

§. II.

Diluuntur argumenta.

126 OBijcies 1. iuxta philosophum in præsenti; textu 41. *nutritio, & accretio est idem, ratio autem diversa*: ergo nutritio, & augmentatio solum differunt ratione. Negatur consequentia. Tùm quia in Phrasi Philosophi esse aliqua ratione diversa intelligitur in essentia, diffinitione, aut formalitate, non autem præcisè per intellectum, vel vt ait D. Thomas ibidem, lect. 17. loquitur philosophus de nutritione, & augmentatione solum ex parte materiæ circa quam versatur, quia ex eodem reali alimento nutrimur, & augemur quamdiu augmentum durat, & certum est quod circa eandem materiam sub diversa formalitate, multoties versantur actiones, aut motus realiter distincti, vt contingit in præsenti.

127 Obijcies 2. substantia, & quantitas in prima generatione, vnica actione producuntur: ergo nutritio, & augmentatio sunt vnica actio, & motus. Prob. conseq. quantitas non solum totalis, sed etiam partialis est passio substantiæ; sed quia quantitas totalis est passio, fit eadem actione, ac substantia totalis in prima generatione: ergo quia vt partialis est passio, fiet eadem actione, ac substantia partialis; sed hęc fit per nutritionem; quantitas partialis per augmentationem: ergo nutritio, & augmentatio sunt eadem actio.

128 Confirm. 1. substantia prior est accidente, tempore, natura, & difinitione, iuxta Aristotel. 7. Metaphisic. cap. 1. ergo semper prius intenditur a natura substantia, sivè totalis, sivè partialis, quam quantitas.

Confirmatur 2. Nam partialis quantitas, sicut, & totalis est propter subiectū: ergo semper prius intenditur substantia, & semper quantitas solum secundario, & ex consequenti, ac subinde hæc primo, & per se nunquam terminat motum aut actionem.

129 Ad argum. neg. consequentiam: ad prob. disting. mai. quantitas totalis, & partialis secundum se, & vt constituit quantum absolute, concedo mai. vt constituit maius quantum, nego mai. ad probat. min. sumptę disting. quantitas partialis fit per augmentationem, quantitas partialis secundum se, & vt constituit quantū partiale absolute, nego min. vt cōstituit quantū partiale maius præexistente concedo min. nullus est motus per se ad quanti-

ti-

titatem, quando substantia simpliciter generatur, & absolute conservatur per nutritionem; quia tunc simpliciter adquirit esse, vel illud absolute conservat, & ex consequenti adquirit esse quantum totale, aut partiale absolute, at vero cum augetur non adquirit esse simpliciter, sed esse maiorem, & quia esse quid maius formaliter, & solum conveniat ratione quantitatis, ideo terminus per se augmentationis est quantitas partialis maior.

130 Sed instans 1. esse maiorem, aut minorem solum addit ad quantitatem secundum se, & absolute consideratam, relationem maioris, vel minoris: sed ad relationem non datur per se motus: ergo nec ad quantitatem vt maiorem.

131 Secundo: Motus ad maiorem partialem quantitatem, non datur sine motu ad maiorem partialem substantiam, qui quidem est motus nutritionis: ergo maior quantitas se habet ex consequenti ad maiorem substantiam, ac subinde vtraque terminat eundem motum, & actionem. Probatur consequentia: quia partialis quantitas non datur sine partiali substantia, quae quidem est terminus nutritionis, partialis quantitas absolute non terminat motum, aut actionem distinctam à nutritione: ergo pariter.

132 Ad 1. disting. mai. sumpto maiori, & minori formaliter, concedo mai. fundamentaliter sumpto, nego mai. verum est quod quantitas vt maior formaliter solum addit relationem ad quam non est per se motus, caeterum fundamentaliter importat additionem partis quantitatis coniungendae cum praeexistente, vel nullo modo deperdita, vel non deperdita tantum, quantum adquiritur; pars quantitatis sub hac ratione addita praeexistenti fundat relationem maioritatis, & prout fundat illam, terminat per se motum, qui per se primo non terminatur ad substantiam, vt statim constabit.

133 Ad 2. neg. vtramque consequentiam ad probat. dicimus: quod non praecisè, quia partialis quantitas non datur sine partiali substantia, vtraque terminat eundem motum, vel actionem; sed praecipue quia partialis quantitas sic absolute considerata non habet formalitatem aliquam specialem praeter illam, quae absolute convenit quantitati prout est passio substantiae; at verò partialis quantitas maior illa, quae fuit deperdita

habet formalitatem fundantem relationem maioritatis, quæ formaliter convenit quantitati ratione sui, & non ratione substantiæ; & vt est passio substantiæ; vnde partialis quantitas absolute terminat motum nutritionis per se primo terminatum ad partialem substantiam, & ex consequenti ad partialem quantitatem; at verò partialis quantitas maior deperdita (quamvis esse non posit sine partiali substantia maiori etiam deperdita) terminat motum augmentationis per se primo terminatum ad quantitatem maiorem, & solum concomitanter ad maiorem substantiam, quia formalitas maioris solum potest convenire substantiæ ratione quantitatis.

134 Ad 1. confirm. quæ est replica contra immediatè dicta; dicimus: quod illud est verum de quantitate secundum se, & absolute; non vero de illa sub formalitate fundante relationem maioritatis, avt minoritatis; instaturque in intensione caloris, quę per se primo intenditur à natura, & calor per se primo terminat motum intensionis, quamvis calor sit passio substantiæ posterior illa tempore, natura, & diffinitione.

Dicimus enim: quod maior quantitas per se intenditur à natura per augmentationem, quamvis quantitas absolute, & secundum se intenditur à natura ex consequenti, quia natura non solum intendit generare substantiam, sed etiam illam conservare, & ad perfectum statum perducere; illam conserbat per nutritionem, & ad perfectum statum perducit per augmentationem, hæc autem perfectio status non potest esse aliquid substantiale; quia quidquid substantiale, & essentiale est adquiritur in instanti generationis, in quo agens essentialiter, & substantialiter assimilat sibi passum. Relinquitur ergo, quod status perfectus, qui post modum per se intenditur à natura, sit accidentalis, & motus ad talem statum sit per se primo ad accidens; & quamvis talis motus ad accidens non detur sine motu ad partialem substantiam, qui est nutritio: talis pars substantiæ potest considerari, & vt conservativa absolute subiecti, & sic terminat nutritionem, & vt subiectum maioris, aut minoris quantitatis, & sic non est terminus nutritionis formaliter, sed solum concomitanter, aut materialiter se habet ad motum augmentationis

nis

nis per se primo terminatum ad maiorem quantitatem, per quod patet ad secundam confirmat.

135 Obijcies 3. Substantia nõ habet partes nisi ratione quantitatis, ergo non datur motus per se primo terminatus ad partialem substantiam; sed hæc fit per motum per se primo terminatum ad partialem quantitatem; & sic nutritio, & augmentatio non sunt motus formaliter, & specificè distincti.

136 Difficilius solvitur hoc argumentum in sententia aliquorum Thomistarum negantium substantiæ antecedenter ad quantitatem actualem suarum partium distinctionem, nos verò qui in Logica substantiæ ex se, & antecedenter ad quantitatem concessimus habere partes realiter inter se distinctas, facile assignamus terminum nutritionis terminatæ per se primo ad partem substantiæ, quæ pars tantum dependet à quantitate, vt à dante extensionem, & divisibilitatem, quæ per se non requiruntur ad nutritionem, vel distinctam ab augmentatione.

137 Ex dictis infertur: qualiter inter se comparentur aggeneratio, nutritio, & augmentatio, & qui sint earum termini formales. Comparatur autem nutritio ad aggenerationem, sicut aliquid particulare, aut specificum, ad genericum, aut commune, quia aggeneratio est sola adquisitio partialis substantiæ, sivè fiat in viventibus, sivè in non viventibus, nutritio verò est vitalis adquisitio partialis substantiæ. Nutritio etiam comparatur ad augmentationem vt quid ad istam essentialiter præsuppositum, vel vt præbens materiam, & subiectum, licèt nutritio essentialiter non exigat augmentationem, vt supra diximus numero 123.

138 Terminus formalis aggenerationis est forma substantialis præscindens a vitali, & non vitali, non vt de novo totaliter introducta in totam materiam; quia prout sic est terminus generationis, sed vt de novo applicata, & informans partem adæquatam materiæ. Terminus formalis nutritionis est forma vitalis, vel pars formæ substantialis vitalis de novo applicata, & informans partem materiæ alimenti. Terminus formalis augmentationis est pars quantitatis non quomodocumque, sed vitaliter adquisita, vt maior præexistente, & deperdita.

ARTIC. VI.

Vtrum nutritio, & augmentatio sint motus successivi, & continui.

13. Ertum est 1. Nutritionem durare toto tẽpore vitæ, augmentationem verò non durare per totam vitam. Vtrumque docuit Aristotel. hic textu 41. dicens: *Quandiu salvum manet animal, etiam si decretionem subeat, nutritur; sed non semper accrescit.* Vtrumque etiam doctrina, experientiá comprobatur. Sed circa durationem vtriusque, aliqua advertere oportet.

140 In primis circa nutritionem adverte; quod illius duratio per totam vitam non est sic intelligenda, quod si pro brevi tempore impediatur, statim animal pereat cum experiamur, quod non quodlibet impedimentum virtutis nutritivæ est immediata causa mortis; vnde aliquando impeditur, vel infirmitate subiecti, vel defectu caloris, vel resistentia indebiti, & minus proportionati alimenti, vel quia alimentum non est debite applicatum. Est ergo sensus, quod nutritio durat per totam vitam quatenus vivens per totam vitam semper est in indigentia alimenti, quod si diu subtrahatur; vel peribit, vel erit in via corruptionis.

141 Nec obstat contra hoc: quod in magna parte hyemis plura animalia vivunt sine nutrimento, vt patet in Gliribus, idemque refertur de vrsis, & de aliquibus serpentibus; imò, & de aliquibus hominibus. Non inquam obstat: nam præterquamquod plures dubitant de veritate huiusmodi historiarum, & eas vt fabulas contemnunt. Dicimus: quod animalia illa, licèt externum alimentum non recipiant; habent tamen internum aliquem humorem crassiorem, vel pituitam, quæ tempore illo à calore naturali concoquitur vite alimenti, & ob caloris defectum, lente, & paulatim illum consumunt, vel ita parũ consumũt, vt pauscissimo indigeant alimento.

142 Circa augmentationem, quod per totam vitam non duret constat; quia ad illam non sufficit restaurare deperditum, sed requiritur quod plus adquiratur, quam deperdatur, quod toto tempore vitæ nequit durare, ob defectum virtutis conversivæ, quæ limitata est, &. ob continuam reactionem, qua alimentum agit in calorem naturalem, ipsum debilitat, ne plus de ali-

alimento possit convertere, quam deperdit de humido.

Præterquamquod, vt diximus artic. 4. huius quæst. vivens habet terminum intrinsecum sui augmenti, qui designari debet, non in morte, sed in vita, & statu perfectiori viventis; ibidem etiam docuimus qualiter in igne cum nova parte quantitatis, qua augetur, adveniat nova virtus augmentativa; non verò in viventibus, & sic his assignamus terminum augmenti, non verò igni. Recolantur dicta supra numer. 100.

143 Certum est 1. nutritionem, & augmentationem esse motus, aut mutationes aliqua successione gaudentes (præscindendo an successio sit continua, an discreta) quia experientia compertum est, vivens successive acquirere partes quantitatis, & consequenter etiam partes substantiæ, ad differentiam suæ primæ generationis, quæ tota perficitur in instanti, quoad acquisitionem, tam substantiæ, quam quantitatis; vnde dificultas in eo sistit an eo tempore, quo durant nutritio, & augmentatio, sint vere motus, & continui; an verò sint solum plures mutationes instantaneæ discretæ sibi succedentes. Hoc secundum docuerunt plures antiqui, & moderni, intra, & extra Scholam Div. Thomæ, sed communior sententia sequenti conclusione proponitur.

§. I.

Vnica conclusio.

144 D*Vm vivens nutritur, & augetur in exercitio, nutritur, & augetur motu continuo.* Et quidem de augmentatione, conclusio constans esse debet apud omnes, qui cum Aristotel. in 5. Physicor. cap. 2. tenent; augmentationem esse motum propriè dictum, & ad quantitatem dari per se motum augmentationis; quod rectè non intelligitur nisi de motu continuo. Consonatque D. Thomas hic textu 84. lect. 24. circa finem dicens *Nam motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicèt quantitate, qualitate, & vbi* Et clarius in 6. Physicor. lect. 7 in fine ait. *& similiter manifestum est in mutatione quantitatis; quæ est augmentum, & decrementum, quia hæc etiam mutatio est secundum aliquid continuum, scilicèt secundum quantitatem accrescentem, vel substractam, quæ cum sit in infinitum divisibilis non est in ea accipere primum.*

145 Ex quo non leviter deducitur, nutritionem fieri motu continuo; alias sequeretur, vel dari substantiam na-

turaliter sine quantitate, vel quod augmentatio per se non sit motus continuus. Assumptum probat. si solum in instanti aggeneratur pars substantiæ, vel in illo instanti est nova pars quantitatis, vel hæc pars quantitatis non additur in dicto instanti; sed reservatur addenda pro tempore immediate sequenti. Si primum: ergo additio novę partis quantitatis fiet in instanti: ergo etiam augmentatio, quæ aliud nō est nisi additio partialis quantitatis. Si secundum: ergo in aliquo instanti pars substantiæ naturaliter est sine quantitate.

146 Si dicas: hoc esse verum de nutritione cōmitante motum augmentationis, cū autem possit dari nutritio sine augmentatione, poterit etiam dari sine motu continuo. Contra est: quia nequit dari aggeneratio novæ partis substantiæ, sivè maioris, sivè minoris, sivè æqualis cum præexistente sine nova parte quantitatis; de hac ergo parte quantitatis, maiori aut minori, avt æquali, fit idem argumentum; an fiat in instanti, an in tempore. Si primum: cum æque divisibilis sit, & continua sit pars quantitatis minor, aut æqualis, ucut est pars maior; non est cur hoc fiat motu continuo; & non illa. Si secundum: ergo datur pars substantiæ in instāti sine quātitate.

147 Secundò probat conclusio: nutritio, & augmentatio fieri possunt, & defacto fiunt per partes substantiæ, & quantitatis indeterminatas minores, scilicet, & minores: ergo fieri possunt, & defacto fiunt motu successivo, & continuo; patet consequentia: Tùm quia motus ad partes, vt divisibiles, & continuas, & cum latitudine successivè percurrenda, est motus successivus, & continuus, & huiusmodi est motus ad partes minores, & minores quantitatis, & substantiæ: tùm quia ideo prima generatio fit in instati, quia petit determinatam materiam, & quantitatem, ita vt in minori nequeat forma substantialis introduci.

Antecedens vero prob. Ad nutritionem, & augmentationem non requiritur determinata materia aut quantitas: ergo fieri possunt per partes minores, & minores. Antecedens probatur. Tùm quia vivens per primā generationem iam habet debitam materiā, & quantitatē, vt anima informet corpus, & sufficientem ad sui consistentiam, & debitas operationes: ergo in aggeneratione, & augmento nō requiritur, nec quantitas, nec materia determinata.

Tùm quia ex suppositione, quod vivens habet per

ge-

generationem quantitatem debitam, & materiam potest quælibet pars materiæ alimenti minor, & minor viventi vniri, & sub eius forma conservari; imò quanto fuerit minor pars alimenti, tanto vivens perfectius aget in illam, & convertet in se, sicut ignis in parte minori stupæ, aut ligni: ergo ad aggenerationem, & augmentum rei iam productæ non requiritur determinata quantitas, aut materia, sed quanto minor fuerit perfectius aggenerabitur, & crescet vivens.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

148 Obijcies 1. ex Div. Thoma 8. Physicor. lect. 5. & 22. quæst. 24 artic. 6. afferente cum Aristotel. quod non est posibile continue aliquid augeri, vel minui. Et quod augumentū corporale in animalibus, & plantis non est motus continuus. Confirmatur ex Aristotel. qui 8. Physic. citato textu 23. docet: dimiautionem continue non fieri, exēplo lapidis excauati à guttis cadentibus, quæ non continue diminuunt partes lapidis; sed toto tempore illo disponitur lapis, & in vltimo pars illius extrahitur.

149 Respond. mentem Div. Thomæ, & Philosophi in prædictis locis esse quod nutritio, & augmentatio non sunt motus continui, si ly *continuum* dicat regularem proportionem, ita vt si augeatur, aut minuatur tantum in tanto tempore, in medietate illius temporis augeatur, aut minuatur dimidium, & in quarta parte temporis quartum. Quod nos etiam fatemur, quia nutritio, & augmentatio taliter à nobis admittitur continua, vt admittat inrregularitatem, & aliquid discontinuationis, propter dependentiam, quam habet à dispositione alimenti, quæ non semper est æqualis, & à virtute nutritiva subiecti quod quandoque infirmatur, & non semper est in eadem dispositione; hoc solum, & non plus intendere Philosophum in prædictis locis, constabit legenti Div. Thomam locis citatis, vnde si nutritio, & augmentatio fiant cum dispositione subiecti, & alimenti, currenti modo facta, & sine aliquo impedimento per motum continuum fiunt. Per quod patet ad confirmationem.

150 Obijcies 2. si nutritio fieret motu successivo, & continuo, sequeretur, quod forma substantialis alimenti desineret per vltimum esse, & substantia partialis viuentis incipiat extrinsece, aut per vltimum nō

esse; sed vtrumque est falsum iuxta dicta à nobis in 6. Physic. quia substantia vtpote indivisibilis per se loquendo non incipit extrinsece successivorum more; & quoad hoc idem de substantia partiali, ac totali videtur dicendum: ergo saltim nutritio fit in instanti. Probatur sequela quoad vtramque partem, substantia incipiens motu successivo incipit admodum illius, non intrinsece: & in instanti, in quo repugnat successio, sed extrinsece: similiter cū ad inceptionem partialis substantiæ viuentis, desinat formā totalis alimenti, si est verum dicere de parte substantiæ aggenerata, *nunc non est, & immediate post erit*, in eodem instanti debet esse verum, *nunc est forma alimenti, & immediate post non erit*: (ne dentur, vel duo instantia immediata, vel aliquod instans in quo materia alimenti sit sine vlla forma) quod est partialem substantiam incipere per vltimum non esse, & formam alimenti incipere per vltimum esse.

151 Concedimus sequelam, quin obstent dicta in 6. Physicor. quæ intelligenda sunt de inceptione substantiæ quando totaliter, & primo fit per generationem, prout sic enim substantia est indiuisibilis, & modo est indivisibili fit, hoc est integre, & totaliter exigens determinatam quantitatem, & dispositiones, quæ in tempore indeterminato nequeunt haberi; quando autem pars substantiæ solum fit, fit modo quo partialis quantitas; cui sub est omnis partialitas, & divisibilitas substantiæ, hoc est modo divisibili, ita vt in minori, & minori parte posit substantia incipere media nutritione, qua ratione in aggeneratione substantiæ non requiritur determinata quantitas, sicut requiritur in illius prima generatione.

152 Si dicas; quod in nutritione non minus sit transitus de privatione formæ ad formam partialem, ac in prima generatione fit transitus de privatione formæ ad formā totalem: ergo nutritio non est motus cum latitudine successive per currenda; sed instantanea mutatio, sicut prima generatio.

153 Respondet. Quod in nutritione non fit transitus à privatione formæ ad formam absolute, quæ instantanea mutatio est carens latitudine; sed à privatione formæ vt partialis, vel vt est pars in determinata ad partem formæ indeterminatam, in quo latitudo, & divisibilitas resplendet, non per se loquendo intra lineam substantiæ, sed per accidens, & ratione quantitatis, à qua substan-

tia

tia habet, & esse partem, & indeterminationem partium, & illarum divisibilitatem, latitudinem, & continuationem. Sicut autem forma substautialis indivisibilis, cum desinit ad generationem alterius, desinit per primum non esse, saltim per accidens; ita substantia partialis secundum se indivisibilis; incipit modo divisibili; saltim per accidens ratione quantitatis, à qua esse partem, & modum partis habet in inceptione, successione, & continuatione.

QVÆST. V.

De rarefactione, & condensatione.

1 QVamvis rarefactio non sit propriè augmentatio, cum non fiat per quantitatis additamen tùm: sed qualitatis vt infradicemus: habet tamen aliquam similitudinem cum augmentatione; quatenus est motus saltim à minori ad maiorem quantitatis extensionem, modo infra explicando, ideoque non incongrue, post augmentationem, de rarefactione, & condensatione tractamus.

ARTIC. I.

Qualiter fiant, & in quo consistant rarefactio, & condensatio?

2 ID quod nomine *rari*, & *densi* communis conceptio hominum percipit, experientia ipsa conspicimus; videmus ceram rarefieri per suarum partium dilatationem, & eiusdem condensationem conspicimus earundem partium compresione. Vt modus huius compressionis, & dilatationis partium, seu qualiter rarefactio, & condensatio contingat, explicemus; Rectè à diffinitionibus rari, & densi exordium sumimus.

3 Diffinitiones communes rari, & densi desumuntur ex philos. 84. physic. textu 4. & lib. 3. de cœlo, textu 10. & ex D. Thom: ibidem, lect. 3. & sunt huiusmodi: Rarum est illud, *quod sub magnis dimensionibus parum continet materiæ*. Densum verò, *quod sub parvis dimensionibus multum continet materiæ*: Circa quas diffinitiones (vltra dicenda inferius) observa 1 quod cum raritas, & densitas contrarientur, & contraria nata sint fieri circa idem; & materia per hoc quod est sub vno contrario, & postea sub alio non est diversa, sed eadem num-

ro, ideo eadem numero est materia rari, & densi; vnde in diffinitionibus *parum, & multum materiæ*, non est necessario referendum ad diversas materias, sed ad eandem quæ sub densitate dicitur magna, & sub raritate dicitur parva, non absolute, sed relatè ad dimensiones magnas, vel parvas, quas potest habere. Observa 2. quod nomine dimensionum in præsenti non intelligitur ipsa quantitas secundum se, sed secundum commensurationem ad locum, quam eadem quantitas variare potest per raritatem, & densitatem.

4 Hinc iam status difficultatis facile percipitur qualiter scilicet eadem materia, & quantitas numero occupare possit modo maius spatium, & postea minus, nulla additione facta nec materiæ, nec quantitati? Quia vel partes ad invicem penetrabuntur in densitate; vel eędem erunt simul in duplici spatio in raritate; vel locus non adæquabitur locato, & erit vacuum in natura, quæ omnia impossibilia saltem sunt naturaliter. Hic est status difficultatis cuius ressolutio difficilis ęst, vt satis indicant tot viæ à philosophis antiquis, & modernis excogitatæ, quas statim referimus.

§. I.

Aliorum sententiæ referuntur, & Reijciuntur.

5 Aliqui dixerunt: Rarefactionem fieri, per intromisionem corpusculorum intra poros corporis rarefacti; & condensationem, per extramissionem eorundem. Dicunt enim quod cum aër circunstans corpora capacia raritatis sit plenum athomis, alijsque imperceptibilibus corporibus, dum datur dispositio ad raritatem alicuius corporis, illa corpuscula imperceptibilla confugiunt ad poros corporis rarefacti, & cum huius partibus repletur illud maius spatium, quod occupat corpus rarefactum, quo vitatur, quod detur vacuum, aut eadem pars sit simul in duplici spatio; in densitate verò eiusdem corporis vitatur penetratio, per hoc quod exeant ea corpuscula, & partes corporis contrahantur ad minus spatium; ita aliqui antiqui, & quidam moderniores societatis.

6 Contra quos obstat 1. D. Thom. in 4. Physic. lect. 14. docens; *non ergo condensatio fit per hoc quod partes in hærentes extrahantur, scilicet per rarefactionem; nec per hoc quod aliquæ aliæ partes subintrando advenient*. Vbi in-

intromisionem, & extramisionem corpusculorum ad rarefactionem, & condensationem apertissime reijcit.

7 Secundo: quia ignis est maximè rarus, & tamen rarus non fit in intromisione corpusculorum intra poros: ergo in hoc nō consistit rarefactio; mai. est D. Thomæ in 2. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 4. dicentis: *Vnde vltima raritas ad quam potest perveniri est secundumquod materia stat sub forma ignis.* Min. verò prob. tùm quia ignis est, maximè activus; ergo post aliquantulum temporis, potest omnia corpuscula intromisa consumere; sed illis consumptis non minus rarus, imò rarior ad sensum apparet, quam antequam illa consumeret: ergo raritas ignis non fit intromisione corpusculorum.

Tùm quia ignis in sua propria regione elementari, non ammittit raritatem, sed in tali regione nō admitit corpora extranea: ergo raritas non consistit, in admisione corpusculorū. Tùm quia, vt vidimus, paulo ante ex D. Thoma: corpora ab igne admissa ab illo accipiunt raritatem; imò, & vltimam raritatem: ergo ignis non fit rarus à corpusculis intromisis.

8 Tertio: quia licèt in corpore raro sint pori in quorum cavitates ingrediantur corpuscula, in horum ingressu non consistit raritas; sed potius hæc ad illum supponitur: ergo. Prob. ant. pori nil intra se possunt recipere, nisi prius sint dilatati, & cum aliqua vacuitate; sed hæc vacuitas, & dilatatio non fit maior repletione corpusculorum: ergo raritas, & dilatatio corporis porosi supponitur ad ingresum corpusculorum. Denique quia raritas, & densitas non fit additione, & substractione materiæ, & quantitatis, vt statim videbimus, sed corpuscula intromisa intra poros corporis rarefacti haberent distinctam, & novam materiam, & quantitatem: ergo illis non fit rarefactio.

9 Alij dixerunt: per rarefactionem adquiri novam quantitatem, & eam perdi per condensationem, quod quidem de quantitate totali intellexerunt aliqui antiqui. Alij verò solum partem aliquam adquiri, & partem perdi, dixerunt; vtrumque esse falsum, iam communiter tenent philosophi.

10 Et quidem de quantitate totali est plusquam certum: Tùm quia sequeretur, corpus per rarefactionem substantialiter destrui, quod quidem ad sensum apparet esse falsum; cæra enim, & aqua sine ipsarum corruptione modo sūt rarefactæ, modo condensatæ.

Sc-

Sequela probat. quia totaliter destructa quantitate alicuius corporis quæ est prima dispositio conservativa formæ substantialis illius, necesse est talem formam destrui, & corpus corrumpi, qua propter nequit eadem substantia permanere, non manente eadem quantitate: ergo.

Tùm etiam sequeretur: Sanginem Christi desinere esse sub speciebus vini consecrati, præcisè per hoc quod aliquo modo rare fiant, & condensentur, quod esse falsum, videtur certum apud Theologos. Sequela probat. quia non manentibus accidentibus vini, sanguis Christi non manet sub Sacramento; sed non manente quantitate vini condensati, avt rarefacti, cætera accidentia non manerent, quia quantitas est subiectum aliquorum accidentium: ergo si per rarefactionem, & condensationem variatur quantitas totalis, Sanguis Christi desineret esse sub speciebus vini, per hoc præcise quod aliquomodo rarefiant, avt condensentur.

11 Quod non fiat condensatio, & rarefactio per adquisitionem, & perditionem quantitatis partialis. Prob. Tùm quia non differunt ab augmentatione, & diminutione propriè dictis, contra sensum communem phylosophorum, imò, & contra communem hominum conceptionem, & experientiam, quia videmus causam nō valentem augere aliquod corpus, posse illud rarefacere.

Tùm: quia nova pars quantitatis non additur corpori sine nova parte materiæ, & substantiæ (alioquin pars quantitatis de novo adveniens vel reciperetur in parte materiæ, quæ antea erat sub nulla quantitate quod est aparte falsum, vel recipitur in parte materiæ quæ erat sub quantitate, & tunc quantitas præexistens, & de novo adveniens penetrarentur, & duæ quantitates numero essent in eadem parte materiæ, quorum vtrumque est plusquam falsum) sed in rarefactione nova pars materiæ, aut substantiæ non additur: ergo nec additur nova pars quantitatis; prob. min. primo, quia rarefactio, & condensatio fiunt sine nova mutatione substantiali, videmus enim cæram rare fieri, & condensari sine nova generatione, aut aggeneratione ipsius cęrę, quia causa sufficiens ad rarefaciendum non est sufficiens ad generationem, aut aggenerationem cęrę; vt est per se motum.

12 Secundo: si cęra rare fit per additionem novę partis materiæ, iam cęra sub magnis dimensionibus non parum materiæ, sed magnam ma-

te-

teriam continet, nempè coniunctum ex præexistenti materia, & ex materia superaddita, & ècontra ex condensatione continget; ergo conceptus rarefactionis, & condensationis explicatus per earum diffinitiones omnino destruitur.

13 Alij dicunt (& est communis modus dicendi Recentiorum Societatis relectis alijs modis explicandi inventis in eadem Schola, qui vel ex ipsa prima ipsorum relatione, & apprehensione terminorum manent reiecti) raritatem, & densitatem formaliter stare in maiori, & minori præsentia, qua quantitas, & quodlibet punctum maiori, avt minori spatio correspondet; rarefactionem autem, & condensationem formaliter stare in actione productiva prædictæ maioris, aut minoris præsentiæ; qualitates verò determinantes corpus ad maiorem, aut minorem præsentiam, (quæ sunt communiter calor, & frigus) esse raritatem, & densitatem tantum illativam, aut radicalem.

14 Hæc enim sententia, quæ inter alias magis placet Recentioribus Societatis; nobis displicet. Primo: propter ad maiorem aut minorem præsentiam correspondentem maiori, aut minori spatio, datur raritas, & densitas in corpore quanto: ergo in tali maiori, aut minori præsentia non stat raritas, aut densitas formalis. Prob. ant. quod; partes corporis quanti sint plus, aut minus extensæ in se sine additione, aut substractione quantitatis, nequit stare sine raritate, aut densitate formali: sed prius est quod partes corporis quanti sint plus, aut minus extensæ in se, quam quod habeant maiorem, avt minorem præsentiam in spatio, aut loco: ergo pro priori ad maiorem, aut minorem præsentiam in spatio, avt loco, datur raritas, aut densitas in corpore quanto. Prob. min. Tùm quia prius est, quod partes corporis quanti sint in se extensæ, aut in ordine ad se, quam quod sint præsentes in loco, aut extensæ in ordine ad illum: ergo prius est, quod sint plus, aut minus extensæ in se quam quod habeant maiorem, aut minorem præsentiam in loco.

15 Tū quia; prius est quod corpus quantum sit maius in se per additionem substantiæ, & quantitatis, sivè per verum augmentum, quam quod repleat maius spatium, aut habeat maiorem præsentiam ad illud: ergo prius etiam quod corpus sit extensius in se per rarefactionem, quam quod habeat maiorem præsentiam ad spatium. Prob. conseq. (& redditur ratio præcedentium) quia omnis variatio quantitatis in ordine ad

ad locum aut spatium, quod est extrinsecum ipsi quantitati per nos maiorem, aut minorem extensionem; debet provenire, & supponere variationem intrinsecam, & mutationem in ipsa quantitate, quia extensio in ordine ad locum est effectus consequutus ex extensione quantitatis intrinseca, & in ordine ad se: ergo sicut variatio quantitatis per verum augmentum, prior est, quàm maior præsentia in loco; ita variatio quantitatis per raritatem prior est, quàm præsentia maior in spatio.

16 Secundo: & est confirmatio præcedentium, quia raritas, & densitas est formalitas pertinens ad partes corporis quanti in ordine ad se: ergo primo, & per se non consistit in præsentia, quam habent in loco, aut spatio. Probatur. Tùm quia in partibus corporis Christi in Eucharistia est formalis densitas, & raritas, quia ossa densiora sunt carne, & sanguis est rarior vtroque, & tamen Corpus Christi prout sic caret extensione in ordine ad locum, aut spatium: ergo. Tùm quia densitas, & raritas non est solùm in externa superficie tangente locum, sed in ipsis partibus, & intra ipsas invenitur, & constat facta ipsarum divisione: ergo.

17 Ex his, & ex dicendis in nostra resolutione constat rarefactionem formaliter non stare in actione productiva maioris præsentiæ; quia rarefactio formaliter est motus, vel actio terminata ad raritatem formalem; sed raritas formaliter non stat in maiori præsentia, vt ex dictis, & ex immediatè dicendis constabit; ergo rarefactio non stat formaliter in actione productiva maioris præsentiæ.

§. II.

Vera sententia exponitur, & probatur.

18 Nostra resolutio est, *Raritas, & densitas formaliter sunt physicæ, & naturales qualitates tertiæ speciei, & sic rarefactio, & adensatio sunt motus, aut actiones alterativæ.* Est communis Thomistarum, & iuxta mentem Philosophi, & D. Thomæ, qui 3. p. q. 77. art. 2. ad 3. ait *Rarum, & densum sunt qualitates quædam consequentes corpora ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus.* Idem habet in 1. distinct. 17. q. 2. artic. 1. clare idem docet in præsenti lib. 1. de gener. lect. 4. vbi ait: *talis transmutatio,* (hoc est si aer rarefiat, aut condensetur) *non potest propriè dici augmentum, sed alteratio fit enim secundum transmutatio-*

ionem passibilium qualitatum, scilicet rari, & densi, Vbi clare habetur resolutio nostra, quoad omnes partes.

19. Quoad primam verò partem Prob. ratione. Primo: quia raritas, & densitas sunt quædam dispositiones immutativæ corporis quanti, cum per illas aliter realiter se habeat, nunc ac prius: ergo sunt aliquid reale saltim accidentale ei superadditum: sed non aliquid accidentale superadditum pertinens ad prædicamentum quantitatis vt ex superioribus constat; nec ad aliud prędicamentum vt per se patet: ergo hoc accidentale superadditum est qualitas.

20 Secundo: quia in raritate, & densitate invenitur intensio, & remisio, cum vnum sit magis densum quam aliud; Invenitur etiam contrarietas, ac denique sunt dispositiones conducentes ad generationem, aut corruptionem corporis quãti, si enim animal nimium rarefiat, corrumpitur, si partes condensantur, & solidantur, convalescit, & in alijs rebus talis, ac tanta raritas, aut densitas conducit ad illius conservationem, & sine illa tendit ad corruptionem, vt mille exemplis fiet compertum: ergo sunt qualitates physicæ superadditæ corpori quanto.

21 Tertio: Prob. specialiter quod sint qualitates tertiæ speciei. Tùm quia resultare possunt ex mixtione primarum qualitatum, vt ex frigore, & calore, cæra, & alia quam plurima condensantur, aut rarefiunt. Tùm quia per se ordinantur ad generationem, & corruptionem vt vidimus. Tùm denique quia per se primo causant passionem in sensu, percipiuntur enim per tactum non minus, quam calor, & frigus in prædicto prædicamento, & speciei qualitatis cõstituũtur: ergo raritas, & densitas sunt qualitates physicæ tertiæ speciei.

22 Ex his manet probata secunda pars conclusionis quia motus per se primo terminatus ad qualitatem tertiæ speciei, est motus alterationis; sed rarefactio, & condensatio per se primo terminantur ad raritatem, & densitatem, quæ sunt qualitates tertiæ speciei; ergo sunt motus alterationis.

23 Sed vt supra dictæ melius percipiantur, & obiectiones solvantur, observa. 1. colligi ex dictis; quod effectus primarius formalis raritatis non est maior præsentia localis, aut maior extensio in ordine ad locũ, sed taliter disponere partes corporis quãti vt ei diversa, aut maior extẽsio situalis, aut localis sit debita sine additione novæ, & distinctæ quãtitatis. Prima pars cõstat ex dictis.

tis, quia effectus formalis primarius formæ importat in recto ipsam formam, & est ipsa forma communicata: sed raritas formalis est quædam qualitas, a qua præsentia localis, vbi, & situs distinguuntur vt quid pertinens ad diversum prædicamentum: ergo. Secunda pars constat ex prima: quia maior præsentia localis seclusa additione novę quantitatis non stat sine raritate formali, sed huius effectus formalis primarius, nō est prædicta maior præsentia localis: ergo effectus formalis primarius raritatis erit aliquid cui dicta maior prçsentia sit debita, & annexa, quod aliud esse non potest, nisi taliter disponere partes corporis quanti, vt magis extendantur sine aditione novę quantitatis.

24 Observa. 2 quod illa maior aut minor extensio localis corporis rari, aut densi, (quæ dici potest raritas, aut densitas situalis, & extrinseca) est quasi effectus secundarius consequutus ex raritate formali, & primaria, quæ est qualitas tertiæ speciei, imò, & separabilis à raritate formali, & primaria; prima pars constat ex dictis supra, impugnando vltimum modum dicendi Recentiorum Societatis, vbi variationem loci, & præsentię localis corporis quanti ex variatione intrinseca præhabita in ipsis partibus quantitatis deduximus, quæ variatio intrinseca sine additione quantitatis, aut qualitatis saltim naturaliter intelligi nequit. Secunda pars constat in corpore Christi sub Sacramento, quod quidem retinet totam quantitatem, & intrinsecas qualitates, inter quas est raritas, quæ reperitur in sangine, magis quam in carne, & densitas magis in ossibus, quam in carne, & sanguine, quin sub Sacramento habeat situationem in loco, vel extensionem partium in ordine ad illum.

25 Observa. 3. illam maiorem, avt minorem extensionem localem, aut raritatem situalem, & extrinsecam consequutam ex formali, & primaria raritate non esse huius effectum adhuc secundarium in genere causę formalis, sed tantum dispositivæ constat; quia quamvis extensio partium quātitatis in ordine ad locum est effectus proveniens tanquam à causa formali vnice, ab extensione quantitatis in ordine ad se, in quo essentia ipsius quātitatis consistit; cum autem ab eadem forma eodem modo se habente, nequeat diversus effectus formalis provenire, poporte quod, vt diversa extensio localis ab eademmet quantitate, tanquam à forma proveniat, ipsamet quantitas varietur vel per additionem, aut substrac-

substractionem intrinsecam suarum partium (quod est augere, aut diminui) vel per aliquam intrinsecam dispositionem supervenientem eisdemmet partibus, quæ alia non est nisi qualitas.

Videmus enim frequenter, quod eademmet forma nobiliori modo disposita meliorem effectum præstat; eadem enim materia si melioribus accidentibus disponatur, meliorem effectum formalem substantialem participat ab eadem forma substantiali; similiter esse subiectum minus, aut magis calidum, est à calore tanquam à forma; at verò tanquam à conditione, vel dispositione, est à modo minoris, aut maioris superaddito ipsi calori, vt diximus agentes de intensione qualitatum. Sic in præsenti, licèt maior, aut minor extensio localis sit proprietas, & effectus formalis quantitatis, potest tamen dependere tanquam à causa dispositiva, à raritate, quæ est qualitas disponens, & aptans taliter partes qualitatis; vt sine additione novarum partium, maior extensio localis debeatur.

26 Denique observa: quod cum, effectus primarius raritatis, quæ est qualitas non ita sensibiliter appareat, effectusque illius secundarius, nempè maior præsentia, aut extensio localis in corpore raro ad sensum appareat; propterea essentiam raritatis, quæ qualitas est, per illius quasi effectum secundarium, qui est raritas situalis, aut maior extensio localis, vt per aliquid magis nobis notum explicuit, & diffinivit Philosophus, & Divus Thomas, & communiter Philosophi, & in hoc sensu intelligendæ sunt diffinitiones rari, & densi in principio traditæ ex Philosopho, & communiter acceptatæ. Quare iuxta nostram sententiam supradictis observationibus expositam, poterat sic rarum describi: *Rarum est corpus quantum; ita qualitate dispositum, vt sine quantitatis additione occupat maiorem locum*, & ita proportionabiliter potest describi densum.

§. III.

Obiectionibus fit satis.

27 Obijcies 1. Aristotel. in cap. de Qualitate ait: *Quod rarum, & spissum asperum, & lene, quandam pos-*

 ſi-

sitionem magis videntur partium habere. Idem Div. Thom. in præsenti lib. textu 8. lect. 1. ait: *Quod rarum, & densum non sunt qualitates physicæ, sed positio, partium materiæ secundum propinquum in denso, & remotam in raro*. Et in 4. Physic. lect. 14. docet: *Quod rarefactio fit per hoc, quoad materia earundem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem, vt sic rarefactio nihil aliud sit, quam materiam recipere maiores dimensiones per reductionem de potentia ad actum, condensari autem econtrario*. Denique lib. 2. de Generat. lect. 7. ait: *Rarum, & densum non addunt super partes materiæ qualitatem, quæ essentialiter sit qualitas; sed potius situm in partibus materiæ distensionem per maiorem, & minorem quantitatem*. Ex quibus habetur, & exclusio qualitatis à raro, & denso, & constitutio illorum per diversam situationem in loco, aut diversas dimensiones, quæ omnia indicant diversam præsentiam, aut extensionem in ordine ad locum.

28 Confirmatur 1. ex diffinitionibus rari, & densi per dimensiones, sed dimensiones sunt accidentia de genere quantitatis: ergo si in raro, & denso variantur dimensiones etiam quantitas variatur.

29 Confirmat. 2. in raro, & denso variatur, extensio quantitatis in ordine ad locum, sed extensio in ordine ad locum, est effectus secundarius extensionis in ordine ad se constitutivæ quantitatis: ergo in raro, & denso variatur quantitas; sed huius variatio non est sine additione, aut substractione partium: ergo.

30 Ad argumentum facile constat: si observentur ea, quæ supra observare monuimus Philosophus enim, & Div. Thomas in prædictis locis explicant rarum, & densum, per id quod his nominibus secundario significatur; rarum enim, & densum per se primo significant qualitates tertiæ speciei, vt ex ipso Philosopho, & Div. Thoma supra vidimus: imò Divus Thomas in loco adducto in argumento ex 4. Physicor. subdit: *& sic patet, quod rarum, & densum diversificat qualitates, & non quantitates*. Secundario verò rarum, & densum significant raritatem situalem, & extrinsecam, & de hac secundo loquuntur in prædictis locis, no sibi contradicant; similiter dum de rarefactione loquuntur intelligendi sunt de illa per

per respectum ad terminum, seu effectum secundarium, qui est maior, aut minor præsentia localis, aut variatio dimensionum, & est nobis notior, quam terminus, aut effectus illius primarius, qui est qualitas dispositiva, & rari, & densi primario constitutiva

31 Per quæ etiam patet, ad vtramque confirmationem ratione enim qualitatis, quæ est raritas, aut densitas, partes quantitatis sic disponuntur, dilatantur, aut comprimuntur, vt eis debeantur tales dimensiones, maior, aut minor locus, & quia hoc est notius; quoad nos, quam qualitas, quæ per se primo adquiritur per rarefactionem, ideo per secundario significata, vel connotativæ importata datur diffinitio.

32 Ad secundam confirmationem dicimus, quod licèt extensio in ordine ad locum sit effectus secundarius quantitatis in genere causæ formalis, in genere autem causæ dispositiva potest etiam dependere à qualitate, & iuxta huius variationem variari, in variata quantitate entitativè, & formaliter, hoc est seclusa additione, aut substractione suarum partium, vt supra docuimus in tertia observatione.

33 Obijcies 2. per rarefactionem producitur nova, & maior extensio quantitatis in ordine ad locum: ergo, & nova, & maior extensio in ordine ad se quantitatis, ac subinde nova quantitas, aut pars illius. Probatur consequentia repugnat productio, aut consequutio novæ, & maioris passionis, aut effectus secundarij sine productione novæ, & maioris essentiæ, aut effectus primarij sed extensio in ordine ad locum est passio, aut effectus secundarius extensionis in ordine ad se, in qua essentia quantitatis consistit: ergo.

34 Disting. primum consequens, nova, & maior extensio quantitatis in ordine ad se quoad entitatem, & multitudinem partium ipsius nego consequentiam: quoad modum, & dispositionem earumdem partium, concedo consequentiam, & ad probat. primæ consequentiæ dicimus: quod extensio quantitatis in ordine ad se dupliciter potest novitatem, aut maioritatem accipere, vel entitativam, & hæc non est sine additione novarum partium, aut sine verò augmento: vel per hoc, quod eadem partes tali modo sint dispositæ, vt earumdem essentialis extensio magis explicetur, & hoc fit, non

nova quantitate, sed qualitate superaddita; extensio enim quãtitatis in ordine ad locum est effectus secundarius, & passio extensionis in ordine ad se, & ad huius variationem variatur, & fit maior; sed quia extensio in ordine ad se dupliciter potest variari, & quoad entitatem, & quoad modum, & dispositionem eiusdem entitatis, fit, vt maior extensio localis sequatur non solum ex maiori extensione in ordine ad se entitative considerata; sed etiam tali modo, avt dispositione affecta.

35. Sed instans 1. quia omnis extensio provenit à quãtitate, tanquam à prima radice, & forma, à qua recipiunt extensionem omnia sivè sint substantiæ, sivè sint qualitates, & omnia præter quantitatem in propria linea sunt formaliter inextẽsa: ergo falsum est, quod maior extensio, sivè in ordine ad locum, sivè in ordine ad se proveniat à qualitate, aut ab aliquo distincto à quantitate.

36. Secundo: extensio in ordine ad locum est proprietas quantitatis: ergo sequitur ad illius essentiam; sed dato, quod raritas sit qualitas, non est essentia, sed accidens quantitatis: ergo si extensio ad locum sequitur ad raritatem hæc non est qualitas, sed quantitas.

37 Tertio: qualitas raritatis si datur, nequit recipi nisi in subiecto quanto, & extenso tali, ac tanta extensione: ergo talis ac tanta extensio præsupponitur in subiecto quanto, vt illam qualitatem valeat accipere: ergo ab illa qualitate non provenit, quod corpus quantum, & rarum habeat extensionem, qua constituitur rarum, quia nulla forma præbet effectum, qui ad illam necessario præsupponitur.

38. Ad 1. disting. consequens est falsum quod maior extensio proveniat à qualitate; tanquam à forma, concedo consequentiam: tamquam à dispositione, & modificatione, neg. consequentiam: eo proportionali modo, quo intensionem qualitatum exposuimus; vt enim de novo aliquod subiectum reddatur magis calidum, non est necessarium, vt cũ superadditur novus calor entitativè, sed sufficit quod calor præexistens afficiatur novo modo radicationis, quare esse magis calidum provenit tanquam à forma à calore solum, & à modo radicationis, tanquam à dispositione, seu conditione, sic similiter de maiori extensione potest Philosophari.

Ad

39 Ad 2. disting. primum consequens, sequitur ad essentiam quantitatis; tanquam ad formā, concedo consequentiam: tanquam ad dispositionē formæ, neg. consequentiam: Præterquamquod licèt extensio in ordine ad locum absolutè, sit proprietas sequuta ad essentiam quantitatis absolutè; at verò quod sit talis, vel tanta potest sequi, ad aliquod accidentale quantitatis nempè ad qualitatem taliter disponentem eius partes vt talem ac tantam habeant extensionem.

40 Ad vltimā dicimus: raritatem recipi in subiecto taliter extenso non ante ipsam raritatem, sed per ipsam. Sicut quantitas recipitur in substantia extensa non ante, & sine quantitate, sed per ipsam; quia in diverso genere causæ raritas conducit ad extensionem, & ipsa extensio, quæ est eius quasi effectus conducit ad sui receptionem.

41 Obijcies 3. Partes ceræ rarefactæ magis distant inter se, quam ante rarefactionem; cum correspondeant partibus loci magis distantibus: ergo per rarefactionem novæ partes quantitatis ceræ producuntur. Probatur consequentia: Si non producitur nova pars medians inter illas partes distantes solum mediabit inter illas punctum indivisibile; sed hoc nequit inducere distantiam inter partes, inter quas mediat: ergo.

42 Confirm. 1. Cæra rarefacta occupat maiorem locum, quam antea: ergo per rarefactionem adduntur ei novæ partes quantitatis. Probat. consequentia: Non potest occupare maiorem locum quam antea, nisi ei addantur nova indivisibilia, sed additis indivisibilibus, adduntur partes: ergo si occupat maiorem locum adduntur partes. Prob. mai. vnum indivisibile locati tantum potest correspondere vnico indivisibili loci, quia indivisibile latitudine caret, & sic nequit adęquatè correspondere, nisi alio indivisibili carenti latitudine; sed non stat cæram occupare moiorem locum, quam antea, quin correspondeat pluribus indivisibilibus loci, quam antea: ergo non stat occupare maiorem locum, quin ei addantur indivisibilia, vel indivisibilia, quæ antea habeat, quodlibet illorum correspondet pluribus indivisibilibus loci, quod est falsum.

43 Confirmat. 2. Sequeretur, tùm quod idem corpus esset in duobus locis circunscriptivis, siquidem eadem cæra, quæ condensata erat in medietate vasis, vt in loco sibi adæquato, postea rarefacta, occupat aliam medietatem.

Tùm quod partes ceræ condensatæ essent penetratæ, cum partes ceræ, quæ per rarefactionem erant in medietate superiori vasis, confluant ad locum partium, quæ erant in medietate inferiori.

44 Hoc est præcipuum argumentum præsentis difficultatis, ad quod dicimus; quod partes ceræ inter se immediate vnitæ, & continuatæ, eodem puncto indivisibili, non distant magis inter se posita rarefactione quam antea, quia punctum vnicum madians inter illas nullius dilatationis est capax, nec aliquam distantiam potest præstare partibus medio ipso continuatis, & vnitis; at verò partes ceræ inter quas nō solum punctum; sed alia pars ceræ mediat, distant magis inter se, quam antea, quia pars medians inter illas, accipit in se dilatationem per raritatem, & sicut ipsa occupat maius spatium, quam antea; ita facit, quod partes inter quas mediat, magis sint inter se distantes, & partibus loci magis distantibus correspondeat.

45 Ad 1. confirmationem neg. primam consequentiam: ad cuius probat. Relictis varijs modis dicendi, respond. quod correspondentia, & commensuratio locati cum loco, non debet præcisè attendi ex multitudine, aut paucitate partium locati, sed etiam ex dispositione illarum; corpus enim densum habet plus materiæ, & quantitas, quam exigebat locus, cum quo sub tali dispositione densitatis commensuratur, vt constat ex illius diffinitione, vnde quod corpus densum occupet minorem locum, quam exigebat multitudo materiæ, & quantitatis, qua gaudet, non provenit ex defectu partium, & punctorum; sed ex defectu dispositionis, qua posita, superfluit, quod punctum, aut partes addantur, vt maiorem locum repleant.

Ex quo deducitur, quod vt corpus densum occupet maius spatium, quam sub densitate occupavat, non indiget additione partium, aut punctorum, sed quod illa multa, quæ sub parvo spatio continebat disponantur taliter, vt repleant spatium, quod exigebat multitudo suarum partium, & punctorum; vnde corpus densum non correspondet parvo loco secundum omnes partes, & indivisibilia, quæ continet (cum plures partes, & indivisibilia contineat, quam exigebat locus parvus) sed præcisè secundum illas partes, & indivisibilia; quæ permittit dispositio densitatis, qua istæ tantum partes, & indivisibilia redduntur designabilia, & non aliæ; ablata igitur dispositione densitatis, &

& posita raritate, alia indivisibilia,& aliæ partes, quæ in eodem corpore continebantur, quasi confussa, indesignata, & implicata,explicantur,ordinantur, & disponuntur, taliter, vt cum partibus maioribus loci correspondere possint; locus enim est mensura extrinseca locati,pendens ad sui adæquationem,& correspondentiam cum locato, non solum ab huius extensione proveniente à multitudine suarum partium, sed etiã proveniente à dispositione illarum.

49 Ad 2. Confirmat. neg.sequela:medietas enim vasis non est locus adæquatus ceræ attenta: natura partium illius,& illarum multitudine, & extensione quasi essentiali, sed præcisè attenta dispositione densitatis, & extensione suarum partium quasi accidentali, qua variata, media extensione raritatis succedente, variatur, & succedit novus locus adæquatus, deficiente adæquatione præcedente; & non verificatur, quod sit simul in duplici loco adæquato,sed successivè. Præterquamquod cæra, quæ rarefit, non occupat novum, & distinctum locum sed incipit esse in maiori loco, sicut si illi adderentur partes,non occuparet distinctum locum sed maiorem,quam antea;alias augmentum, & rarefactio essent motus locales, quod est falsum,licèt secundario,& ex consequẽti possint terminari ad locum. Nec per condensationem partes cæræ penetrantur; sed comprimuntur, quia non occupant locum alterius quantitatis totalis, sed locum sibi adæquatum, & conmensuratum iuxta partium dispositionem.

47 Si inquiras 1.quis erit locus adequatus. ceræ attenta natura suarum partium illarum multitudine, & extensione quasi essentiali? Resp. quod ille locus, qui ab illa potest repleri constituta in extensione, & raritate maiori, qua potest gaudere, salva ipsius natura,& conservatione.

48 Si inquiras 2. cur non sufficit ad rarefactionem, & condensationem variatio temperamenti absque productione novæ, & distinctæ qualitatis à calore, & frigore? Resp.tùm ex eo quod in elementis non est temperamentum, & est raritas, & densitas, & motus ad istas: tùm quia quamuis aliquando ex variatione temperamenti penes calidum,& frigidum, resultet raritas, & densitas; rarefactio,quid distinctum est à variatione temperamenti cum possit sine illa dari,&ècontra. Tùm quia,tactus discernit inter calorem, & frigus, raritatem, & dẽsitatem, habentque inter se distinctam

contrarietatem, quod absque distinctione qualitatum non intelligitur, Tùm denique, quia raritas, & densitas sunt qualitates passivæ, vt statim dicemus, non autem calor, & frigus.

49 Si inquiras 3. An raritas, & densitas sint qualitates activæ, an passivæ? Resp. esse qualitates passivas, ita tamen disponentes subiectum, vt qualitates activæ, quæ in illo sunt magis, vel minus disponantur, ad operandum. Prima pars patet, tùm quia raritas, & densitas sequuntur ex ordinatione partium quantitatis; sicut figura ex illorum terminatione: ergo sicut nec quantitas, nec figura sunt activæ, ita nec raritas, nec densitas. Tùm quia ad sensum apparet, raritatem, & densitatem per se ipsas solum non producere similes qualitates; si enim raritas, & densitas producuntur, non ab alia raritate, & densitate producuntur; sed activitate frigoris, & caloris.

Secunda pars etiam constat: quia si qualitas aliqua activa in quantitate, aut corpore quanto magis denso recipiatur, efficacius, & celerius operatur, teste experientia; sic etiam figura rotunda, quæ est qualitas passiva disponit subiectum, vt commodius, & velocius moveatur; quam figura quadrata.

ARTIC. II.

Vtrum sine augmentatione, aut rarefactione possit aliquid fieri maius, quam antea?

50 Breviter ad hac difficultate nos expediemus de qua Authores, cū Mag. sent. in 1. dist. 18. & cum Div. Thom. 1. p. q. 92 artic. 3. Pro parte affirmativa, citantur Magist. sent. Durando Henricus, & alij. Sed oppositum tenet D. Thomas, & cum eo communiter Philosophi.

51 Prob. 1 Ex Div. Thom. in 2. dist. 18. iam citata: quæst. 1. affirmāte esse in intelligibile sine additione materiæ, aut quantitatis aliquid fieri maius, nisi per rarefactionem, & in 1. p. loco citato ait: quod est dicere contradictoria simul nempè diffinitionem sine diffinito, materiam multiplicari, absque rarefactione; idem docet alij in locis.

52 Probat. 2. Ratione; id quod est maius, quam antea secundum quantitatem, dicit in conceptu suo essentiali, vel quod habeat plures partes, quā antea, vel quod correspondeat pluribus partibus loci secundum extensionem in ordine ad illum, quam antea, sed primum est additio quantitatis

tis per augmentationem, secundum est rarefactio : ergo sine augmentatione, & rarefactione repugnat aliquid fieri maius, quam antea.

53 Sed oppones 1. Deus fecit Evam ex costa Adæ, sed non per rarefactionem, sic enim non esset similitudo inter vtrumque in ossibus, & carne; nec per additionem materiæ, quia hæc esset maior, quā costa Adami, & potius diceretur Eva facta ex maiori materia adiuncta, quam ex costa, quod est falsum: ergo.

54 Neg. min. Pro secunda parte, vt tenet D. Thom. dist. 18. supra citata, nec ex hoc infertur potius dici Evam factam ex illa materia superaddita, quam ex costa; quia costa fuit primum mediante quo reliqua materia superaddita pertinuit ad formationem Evæ; sicut licèt Embrio additione materiæ adquirat debitam quantitatem, non tamen dicitur fieri ex materia superaddita; sed ex semine, aut prima materia, quæ est fundamentum formationis animalis.

55 Oppones 2. Sicut materia est in potentia ad magnum, & parvum, mediante raritate, aut additione quantitatis, virtute agentis naturalis; ita erit in potentia obedientiali ad magnum, & parvum sine raritate, aut additione quantitatis virtute Dei, quia raritas, & additio quantitatis sunt medium præcisè naturale : ergo sine his poterit Deus facere aliquid maius, quam antea.

56 Respond. Quod additio quantitatis, aut raritas sunt medium non præcisè connaturale, sed etiam essentiale, vt aliquid sit maius, quam antea secundum quantitatem, vt convincit ratio supra formata; quin oppositum illius possit aliqua, vel apparēti ratione suaderi: an autem qualitas sit terminus essentialis rarefactionis; an tantum connaturalis? Dissident Authores, quorum aliqui tenent repugnare rarefactionem sine qualitate; alij verò asserunt, posse Deum rarefacere sine qualitate, repugnare tamen dilatationem partium sine raritate aliqua, aut situali, aut proveniente ab aliqua causa formali, continente æquivalenter effectum qualitatis, quæ est raritas; sed quidquid sit de hoc, conclusio nostra procedit de rarefactione terminata, vel ad qualitatem, vel ad aliquam aliam formam, seu causam præbentem equivalenter effectum qualitatis, quæ est raritas.

(S)

Quæst-

QVÆST. VI.

De Actione, & reactione.

1 QVia lib. sequenti acturi sumus cum Aristot. de transmutationibus elementorum; ideo in fine huius libri, intendimus præmittere aliquid de mixtione illorum, & aliarum rerum; sed cum hæc fieri non posſint sine actione, & passione, aut reactione, ideo ad quæstionem sequentem de mixtione hanc præmittimus de actione, & reactione.

ARTIC. I.

Vtrùm aliquid posſit agere in se ipsum, aut saltim in sibi simile?

2 PRimæ partis articuli resolutio præcipuè nititur illi axiomati Arist. partim in Physica discuso, & propriissimè in metaphisica discutiendo; *quod omne, quod movetur ab alio movetur.* Quod quidem roboratur alio apud nostros recepto vt principio; nempè quod nihil est in actu, & inpotentia respectu eiusdem, sed omne quod movet, in quantum huiusmodi est in actu; & omne quod movetur, in quantum huiusmodi est in potentia: ergo nihil est respectu eiusdem actu movens, & motum subindeque omne quod movetur, ab alio movetur.

Veritatem præmissarum huius discursus non est præsentis loci firmare, pertinet ad metaphysicos, & nos in 2. Physicorum agentes de concursu Dei cum causis secundis, & in 7. Physicorum prædictam veritatem roboravimus, recolantur ibi dicta: ex quibus (quod ad rem præsentem attinet) deducitur nullum agens naturale posse agere in se ipsum, secundum eadem partem, quæ conditio est essentialiter requisita ad actionem, & reactionem, & quamvis directè, & per se loquendo, hoc verum sit; restat videre, an saltim per accidens, & consequutive (hoc est quando agendo in aliud aliquid reflectitur ad se ipsum) posſit aliquid agere in se ipsum; de quo §. sequenti agemus.

§. I

De Antiperistasi.

3 Hæc vox *Antiperistasis* Græca est, & significat idem ac hæc vox latina, *circum obsistentia*, quæ contingit quando agens aliquod circundatur à

à contrario fortiori, & qualitas agentis circundati, quasi reflectit ad se, crescit, & magis intendit se, cum non possit vincere, nec exire per contrarium fortius circumobsistens.

4 Dari hanc circumobsistentiam, seu Antiparistasim comprobatur experientia observata ab Aristotel. 1. Metaphisicor. & à Div. Thom. ibidem lect. 14. & 15. asserente: quod per experimentum videmus, quod calidum, & frigidum à contrarietate circunstant se invicem, & aggregant, quod quidem manifestum est in terra, cuius interiora in æstu sunt frigida, quia caliditas aeris terræ frigiditatem circunstat, & congregatur interius: èconverso verò tempore frigoris, interiora terræ sunt calida, quia frigus concludit interius calorem, qui erat in terra, ex quo provenit, quod aqua puteorum in æstate est frigida, & in hyeme calida.

5 Per hanc circumobsistentiam, non solum secundum apparentiam, sed vere intendi, & perfici qualitatem vera, & propria intensione, nemo est qui integris sensibus valeat negare, quia eadem manus eodem modo disposita tangens aliam aquam communem, & illam subterraneam, sentit differentiam inter hanc, & illam; sed hæc nequit reduci ad solam dispositionem manus; cum supponamus esse eodē modo dispositam: ergo solum debet reduci ad diversam dispositionem aquæ.

6 Cum igitur experientiæ sint certæ, causam illius maioris intensionis in calore, & frigore investigamus; quia ex vna parte repugnat vnum contrarium ab alio contrario perfici, & roborari, cum vnumquodque tendat ad alterius destructionem; ex alia parte non facile assignatur alia causa distincta ab ipsa qualitate, quæ intenditur: ergo hæc intendet se ipsam; ac subinde poterit aliquid agere in se ipsum.

7 Relictis varijs modis dicendi, vt causa maioris intensionis in qualitate assignetur distincta ab ipsamet qualitate, quæ intenditur, oppertet distinguere de qualitate innata, & connaturali subiecto, sicut frigus in aqua, aut in terra, & de qualitate non propria, sed extranea, vt calor in eadem aqua, aut in terra: Quādo enim posita Antiparistasi crescit aqua in qualitate sibi innata, vt cum circundante calore amplius frigescit, v.g. aquæ puteales in æstate, tunc causa per se, & intrinseca illius intensionis, est ipsa forma aquæ, quæ sicut est causa emanationes suæ frigiditatis, ita ab illa emanat perfectio, & intensio illius, sublatis im-

impedimentis, quibus in frigiditate aquæ erat remissio. Cum quo stat, quod præcipua causa sit generans aquam, quod sicut est causa propietarum aquæ, ita est causa perfectionis illarum sublatis impedimentis.

Quando verò per Antiparistasim crescit aqua in qualitate non propria, sed extranea, vt cum circundante frigore calefit, causa directa, & per se proxima erunt, vel vapores, aut exhalationes calidæ, & causa remota erit sol, qui illis vaporibus, & exhalationibus calorē impræssit.

8 Qualitas verò contraria circumobsistens, se habet, vt causa per accidens, calor v. g. solis maximè vigens in æstate est causa perfectioris frigoris in aqua puteali, quatenus vapores calidi, seu exhalationes qui sub terram in hyeme, & aquæ frigiditatem remittebant, extrahuntur virtute solis in æstate vigentis, & aperientis terræ quasi poros, vt evaporentur, vnde discedentibus à terra prædictis vaporibus, & exhalationibus calidis, aqua recuperat suam naturam, & perfectam frigiditatē, sicut è contra frigus circunstans est causa per accidens caliditatis aquæ putealis in hyeme, quia impedit, ne vapores, & exhalationes calidæ in terra inclusæ extrahantur.

9 Ex dictis habentur, & assignantur causæ omnium effectuum, qui fiunt, & experimur in Antiparistasi, absque eo, quod idem secundum idem directe, aut indirecte, per se, vel per accidens possit agere in se ipsum.

§. II.

Secunda pars Articuli resolvitur.

10 NOn loquimur de agentibus æquivocis, quæ quidē sūt dessimilia, non solum passo, sed etiam effectibus, sed de vnivocis, quæ licèt faciant suos effectus sibi similes, & tendant ad assimilandum sibi passum non supponitur in passo similitudo, quæ ei præstatur ab agente: & est difficultas, an si supponatur in passo id per quod est simile suo agēti, possit nihilominus agens in illud agere.

11 Similitudo enim inter agens, & passum potest esse vel in specie solum virtutis, per quam agens agit, videlicèt, quod vtrumque habeat calorem, vel non solum in specie, sed etiam in gradu, nempè quod vtrumque sit calidum, vt quatuor, vel non solum in specie, & gradu virtutis activæ, sed etiam in alijs conditionibus cōducentibus ad agendum, & patiendum, nempè quod vtrumque

quæ habeat eandem densitatem, & raritatem; & ex eisdem capitibus potest inter agens, & patiens esse dissimilitudo.

12. Certum debet esse nullum agens posse agere in passum sibi omnibus modis simile, aut in passum formaliter vt sibi simile. Tùm quia passum debet esse in potentia ad id quod recipit ab agente, & agens debet esse in actu illius, quod communicat passo: ergo vtraque in quantum talia habent dissimilitudinem. Tùm quia intendit assimilare sibi passum: ergo non supponit passum sibi omnino simile.

13. Nec dicas: quod simile potest conservare omnino simile, sicut duæ manus æque calefactæ fovent se invicem, & conservant calorem: ergo simile potest agere in omnino simile; præterea, quia inter similia est minus resistentiæ: ergo cum non defficiat virtus, est facilior actio.

14. Hæc facillima sunt: ad primum dicimus: illam conservationem non esse positivã per positivum influxum vnius manus augentis, aut producentis calorem in alia; sed negativam defendendo à contrarijs. Ad 2. similiter dicimus; inter similia esse minus resistentiæ positivæ, sed est plus resistentiæ negativæ; nimirum quia est in capacitas in simili ad recipiendum aliquid ab alio sibi omnino simili.

15. Certum est 2. quod simile in specie virtutis, dissimile tamen in gradu perfectionis, posse agere in sibi simile. Tùm quia iam passum est in potentia ad id quod recipit ab agente, nempè calidum vt duo est inpotentia ad calorem vt sex quo agens est in actu. Tùm quia iam inter vtrumque est sufficiens dissimilitudo, & sic calidum vt sex potest intendere assimilari sibi calidum vt duo. Tùm quia experientia teste, calidum excellens auget, & agit in calidum remissum.

16. Præcipua difficultas consistit in eo, an stante similitudine in specie, & gradu perfectionis virtutis, sit dissimilitudo in densitate, aut raritate subiectorum, in quibus est talis virtus, vnum possit agere in aliud? In quo dissident philosophi adhuc ex nostris. Sed vt in resolutione nostra clarius procedamus, aliqua præmittere debemus, quæ vel omnes fatentur, vel difficillime possunt negari.

17. Primum est, quod densitas secundum se considerata non auget virtutem, & activitatem agentis formaliter, & directè. Tùm quia densitas vt supra diximus, non est qualitas activa. Tùm quia densitas solum

lum est modus, & dispositio agentis, non tamen dat ille nec maiorem actualitatem, nec maiorem virtutem nec maiorem perfectionem suæ virtutis.

15 Secundum est (in quo latet magna æquivocatio) quod duo calida æque intensa dissimilia tamen in densitate possunt considerari dupliciter. Primo: ita vt solum differant in modo densitatis, hoc est, quod densum non habeat plures partes nec materiæ, nec formæ, nec quantitatis, quam calidum rarum, sed præcisè quod eadem materia, forma, & quantitas, quæ in calido denso est sub parvis dimensionibus sit in calido raro sub magnis dimensionibus. Secundo ita vt calidum densum plures partes habeat materiæ, formæ, & quantitatis, quam calidum rarum, ita vt si calidum densum rarefieret esset sub maioribus dimensionibus, quam sunt illæ, sub quibus de facto est calidum rarum. In hoc secundo sensu illa duo calida non solum sunt dissimilia in densitate sed in materia, forma, & quantitate, quia harum omnium plures partes habet vnum calidum, quam aliud. In primo verò sensu, sunt dissimilia solum in densitate, & raritate, in reliquis verò sunt perfectè similia. Hac igitur distictione supposita, difficultas potest producere in vtroque sensu, & non eodem modo resolvitur ab authoribus in vno, & in alio sensu.

16 aliqui asserunt; quod stante æquali intensione qualitatis in agente, & passo, si agens excedat in multitudine partium formæ, materiæ, & quantitatis, potest in passum agere formaliter, directè, & per se. Ita Mag. Prado; alij asserunt, quod cum æqualitate in intensione virtutis, & diversitate in densitate, nequit agens agere in passum. Ita P. P. Carmelitæ, & alij. Alij denique asserunt, quod cum æqualitate in intensione virtutis in agente & passo, densitas agentis, sivè includat excessum in multitudine formæ, sivè non, non sufficit, vt agens directè, & per se agat in passum, conducit tamen indirectè, & per modum cuiusdam dispositionis. Ita Mag. S. Thoma.

20 Hæc vltima sententia videtur reliquis probabilior, quam libenter amplectimur, & quoad partem primam, Prob. & in primis, quod sine excesu nec intensione virtutis, nec in multitudine formæ non posit dari actio directe, & per se, constat ex dictis, quia in prædicto casu datur perfecta similitudo inter agens, & passum in omnibus, excepta dispositione, & qualitate densitatis, quæ sit in agente, & non in passo, sed densitas præci-

cisè considerata. vt supra diximus, non est qualitas, quæ sit virtus agentis, nec activa: ergo nequit conducere ad agendum directè, formaliter, & per se. Patet conseq. quia agens directè & per se solum agit ratione virtutis contentivæ effectus, sed supponimus hanc esse ęqualem in agente, & passo, ac subindè non continere directè effectum in passo producendum, qui est maior intensio, alias densitas non est virtus contentiva, nec activa: ergo

21 Deinde quod excessus in multitudine formæ stante æqualitate in intensione, & perfectione intensiva formæ non sufficiat ad agendum directè, & per se. Probat. contra Mag. Prado, & supponamus, quod agens, & passum sunt calida vt quatuor, quamvis agens ratione densitatis habeat plures partes participantes calorem vt quatuor, & quod effectus producendus in passo est calor vt sex; in hoc casu, quamvis habeat plures partes participantes calorem vt quatuor secundum omnes illas est in potentia ad quintum, & sextum gradum caloris non minus quam passum quod ratione raritatis non habet tot partes participantes calorem vt quatuor, alias non essent æqualia in gradu caloris: ergo agens nequit directè, & per se intendere passum vsque ad sextum gradum caloris. Probatur consequent. nullum agens, directè, & per se operatur aliquem effectum, nisi sit in actu virtutis operativæ talis effectus, quia vnumquodque agit, in quantum est in actu, quod specialiter debet intelligi de actu virtutis operativæ; sed virtus operativa caloris vt sex debet esse ad minus calor vt sex, ad quem agens est in potentia, non minus quam passum, vt supradictum est: ergo stante æqualitate in intensione virtutis, quamvis agens excedat passum in densitate includente plures partes caloris, non stat agere, directè, & per se.

Secunda pars nempè quod densitas conducat, vt simile posit agere in aliud sibi simile intensione, saltim per modum dispositionis, & indirectè probatur; vidimus enim quod virtus operativa decissa ab aliqua causa principali recepta in corpore denso in eodem gradu intensionis, ac in córpore raró operatur effectum, prout in corpore denso, quod non operatur in corpore raro: ergo densitas conducit ad operandum; sed non directè, & per se, vt probatum est: ergo saltim indirectè, & per modum dispositionis.

22 Primum ant. Probatum in radijs solis qui adden-

la,

tati in speculo caustico, seu vitorio combarant, quod dispersi in aere facere non possunt. Tùm inferro candenti, in quo ratione densitatis, calor operatur effectum, quem in alio subiecto raro cum æquali intensione operari non potest. Tùm in carbone ardenti, qui validius agit, quam flamma rarior. Tùm quia est Doctrina D. Thomæ varijs in locis, & communiter recepta, quod agentia corporalia, quæ operantur per virtutem diffusam, licèt non possint operari in distans, quin agant in propinquum, possunt tamen in remotum aliquid operari, quod non operantur in medio, sicut piscis qui detentus in rete stupefacit manum præter hoc quod stupefaciat rete quia manus, & non rete adhuc effectum dispositionem habet. Propter eandem rationem sol in visceribus terræ operatur &c. & non in aere: ergo similiter virtus, aut qualitas quæ de se capax non est agendi in aliam similem qualitatem, si tamen adsit diversa dispositio densitatis, poterit in illam agere, & illam intendere. Tùm denique constabit veritas illius antecedentis ex doctrina, quam, circa extensionem medij per reflexionem trademus §. sequenti.

23 Nec obstat 1. contra præcedentem resolutionem multitudo formæ est multitudo actualitatis in agente, sed agens agit directè, & per se ratione suæ actualitatis: ergo multitudo formæ conducit ad agendum directè, & per se: ergo, & densitas. Secundo: illius effectus, quem potest producere calidum densum in calido raro simile ipsi in intensione, debet dari aliqua causa directè, & per se: ergo, vel calor, vel densitas; quia alia non est assignabilis, si calor, falsa est prima pars nostræ resolutionis; si densitas, falsa est secunda.

24 Tertio; si vera est doctrina proximè data, infertur non solum, quod qualitas similis possit agere in aliam similem ratione densitatis subiecti, sed etiam quod qualitas remissa possit agere in intensã, quod videtur absurdum. Sequela probatur: quia virtus decisa ab aliqua causa deffunditur vniformiter, difformiter, hoc est calor v. g. magis intensus est in parte proximiori ipsi agenti, à quo decidatur, quam in parte remotiori: ergo si in parte remotiori producit effectum, quem in proximiori non potest, poterit dum est debilior agere, quod non potest, dum est fortior, ac subinde poterit debilior virtus agere in fortiorem.

Ad 1. dicimus: Quod est multitudo actualitatis extensivæ,

siuæ, non extensiuæ, & solum hæc secunda conducit ad agendum effectum perfectiorem, & intensiorem directè & per se.

25 Ad 2. dicimus: quod illius effectus causa directa, & per se non est densitas, nec est calor, sed ignis in cuius virtute calor ille, qui ratione suæ intensionis non valebat principaliter, & per se intendere calorem sibi similem, intendit illum; vt virtus instrumentaria ignis, sicut hac ratione potest vsque ad producendum alium ignem pertingere: vnde calor vt est virtus ignis, & in virtute illius potest producere omnes effectus contentos in igne, vbi invenerit dispositionem ad talem effectum intra sphæram suæ activitatis; quare si in parte remotiori illam invenit, & non in propinquiori, ibi producit effectum; & quamvis in remotiori calor sit debilior in se, & formaliter, virtualiter tamen, & vt virtus ignis est fortior, & quasi intensior, sicut licèt calor sit imperfectior substantia; producit illam in virtute ignis. Per quod patet ad 3. probationem, & hanc doctrinam amplius in reflexione declarabimus.

(5)

§. III.

De Reflexione.

28 Contra resolutionem quam elegimus ad vtramque partem articuli obstat celebre argumentum sumptum ex reflexione. Videmus enim ex reflexione lucis aerem reddi clariorem; siquidem melius ibi legitur, aut videtur aliquid: similiter si obstat corpus tersum ciaculatur lumen vsque ad aliud corpus: iuxta illud Machab. 6. *Refulsit sol in clipeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis.* Idem dicendum est de calore; radij enim solares magis calefaciunt medium per illorum reflexionem, propter quod ista vltima regio aeris calidior est, quam secunda vbi concrescunt nubes, quia illuc reflexio radiorum non pervenit.

27 Ex hoc enim sumitur argmentum ad probandum, quod vel idem intendit, aut agit in se ipsum, vel saltim in sibi simile: quia si lux directa, & reflexa emissa à lumi noso (& idem de calore) est eadem, cum reflexa intendat directam, & agat in illam, idem aget, & intendet se ipsum? Si non est eadem lux directa, & reflexa, ad minus habent perfectam similitudinem

nem in intensione (imò reflexa erit debilior cum magis distet à luminoso illam emittente) quo non obstante, lux reflexa agit in directam, & illam [illegible]: ergo simile agit in sibi simile.

28 Supponimus enim vere intendi sivè lucem, sivè calorem in medio reflexionis, & causam illius maioris intensionis investigamus, distinctam ab ipsamet luce, quæ intenditur, & ab alia sibi perfecte simili, vt prespicuum maneat ex reflexione non inferri aliquid agere, aut in se ipsum, aut in sibi simile.

29 Et quidem quod in reflexione, vna pars agat in aliam, non eadem in se ipsam, constat, quia certum est, quod cum lux emittitur à luminoso, lux recepta in vna parte, non transit in aliam (quia accidens non migrat è subiecto in subiectum) sed producit novam, & sic multiplicatur lux ab vna parte in aliam, vnde sicut medium, quod magis illuminatur, & corpus oppacum, vnde fit reflexio, sunt distinctæ partes: ita lux medij, quæ per reflexionem intenditur, & lux quæ tangit corpus oppacum, & in illo inhæret, distinctæ sunt, & hæc agit, & intendit aliam, non eadem se ipsam.

30 Restat difficultas præcipua, a qua causa proveniat, quod vna ex his intendat, & perficiat aliam? Cum sint similes emissæ à corpore luminoso, imo quæ tangit corpus oppacum videtur debilior, cum magis distet à corpore luminoso, quam lux, quæ est in medio, aut in aere.

31 Relictis varijs modis componendi excessum lucis, aut caloris in medio per reflexionem, sine eo, quod simile agat in sibi simile. Nos conformiter ad doctrinam traditam in §. antecedenti, dicimus: quod lux diffusa à luminoso (& idem est de calore) per aliquod medium, magis, ac magis debilitatur, quia diffunditur vniformiter, difformiter stante eadem dispositione medij; si tamen tangit corpus aliquod tersum, aut densum, à quo fiat reflexio, illa lux intenditur in illo corpore, non ab illo formaliter (eo quod densitas, aut oppacitas non est ratio formalis producendi maiorem lucem) sed ab ipsa luce remissiori, quæ erat in medio, non quatenus formaliter remissa (alias effectus excederet causam) sed quatenus virtualiter intensior, virtute scilicèt agentis luminosi, à quo emanavit, à quo deribatur virtus in luce, vt possit se explicare in effectum formaliter

ter

ter intensiorem ipsa in subiecto, in quo fuerit talis dispositio densitas, & oppacitatis, &c. sicut calor diffusus ab igne in aere intermedio, quia humidus est, non producit flammam, & producit illam in stupa aliquantulum distanti, quia licèt calor proximus stupæ remissior sit formaliter, quam qui est in aere propinquiori igni, est tamen intensior, virtualiter, quatenus, scilicèt est virtus, qua ignis generat alium ignem, vbi adest dispositio.

ARTIC. II.

Vtrùm activitas agentis debeat esse maior resistentia passi.

32 RESistentia alia est activa, alia est passiva, quæ divisio congruit huic voci *resistere*, attento illius origine, duo enim significat, nempè *adversari*, seu *repugnare*, cum enim repugnare sit quasi adversus alterum dimicare, quod fit agendo; ideo ex hac parte resistentia activa congruit illi voci: Significat etiam *gradum sistere* ex qua parte prædictæ voci congrui resistentia passiva, quia nihil agendo possumus alterius gradum sistere.

33 Resistentia activa est veluti in genere causæ efficientis, & invenitur inter qualitates activas contrarias, quarum vna agendo resistit alteri, & ècontra; sicut calor frigori, & ècontra. Resistentia passiva se tenet ex parte subiecti patientis ab aliquo agente, cui resistit ob sui indispositionem; hæc resistentia dicitur passiva, materialis, & etiam formalis, & non incongrue; passiva, quia se tenet ex parte passi vt talis, quia oritur ex materiali indispositione subiecti. Formalis, quia convenit passo ratione alicuius formæ formaliter repugnantis, & retardantis actionem agentis, dum connatur formam inducere. Neutra ex his resistentijs datur in rigore, nisi in actuali pugna, vel actionum agentium contrariorum, vel formalis repugnantiæ passi, vel materialis indispositionis illius.

34 Nostra resolutio est: *Activitas agentis maior esse debet quàm passiva resistentia passi, licèt possit aliquod agens minoris activitatis, agere in magis activum activè resistentem non formaliter in quantum activum est, sed materialiter.* In resolutione hoc modo explicata facile convenient omnes Authores alias in hoc puncto dissidentes.

35 Prima pars facile probatur: Quia agere contra impetum, vel resistentiam

tiam pasſivam paſsi, & in illo inducere effectum, aut formam eſt vincere reſiſtentiam; ſed hæc victoria eſſe nequit, niſi ſit maior activitas, & influxus, quam reſiſtentia paſsi: ergo activitas agentis debet eſſe maior, quam paſsiva reſiſtentia.

36 Secunda pars conſtabit ipſa experientia actionis, & reactionis de qua ſequenti artic. in quo videbimus, quod non ſemper vtrumque agens eſt æqualis virtutis, & activitatis, ſed inæqualis, vt ignis, qui in activitate excedit aquam; & tamen aqua agit in ignem, & alia minoris activitatis reagunt in ea, quæ habent maiorem activitatem.

37 Tertia pars conſtat, & eſt veluti principium Philoſophicum, quod agens, quatenus agens eſt formaliter ſuperius patiente. Probatur igitur, quia intentum reſiſtentis eſt impedire actionem agentis; intentum verò agentis eſt imprimere effectum paſſo, & illud aſſimilare ſali im in aliquo: ergo ſi agens agit, ſaltim in aliquo conſequitur ſuum intentum, & paſſum in eo non reſiſtit, & conſequenter in hoc paſſum manet inferius, & agens ſuperius: ergo agens in quantum agens ſemper vincit, & paſſum in eo quod patitur, ſemper ſubijcitur; licèt materialiter, & ſecundum aliam rationē ſit èconverſo.

38 Sed oppones 1. gutta aquæ ſæpè cadendo cavat lapidem; & tamen reſiſtentia paſsiva lapidis maior eſt quam guttæ activitas: ergo prima pars reſolutionis eſt falſa. Reſpondet. quod gutta cabat lapidem; non quia quælibet gutta agat contra totam reſiſtentiam lapidis; ſed quia quælibet introducendo aliquid humiditatis licèt valde parū per receptionem ſolvitur aliquid ſiccitatis, & mollificatur duritia, ita vt vltima gutta in virtute præcedentium agit tollendo aliquid lapidis.

39 Obijcies 2. Si agens minoris activitatis ageret in magis activum, reſiſtentia activa, & paſsiva non differrent; hoc ſecundum eſſe falſum, omnes fatentur: ergo ſecunda pars reſolutionis eſt falſa. Probat. mai. Si minus activum agit in magis activū, hoc ſuperatur ab illo in aliqua parte: ergo magis activum ſecundum illam partem non agit; ſed patitur à minus activo: ergo magis activum ſecundum illam partem non reſiſtit àctive, vel reſiſtentia activá non diſtinguitur à paſsiva illius partis.

40 Neg. ſequel. Reſiſtentia activa conſiſtit in hoc; quod agens fortius debilitat vir

tu-

tutem agentis minus activi reagentis in se, & sic debilitàndo, & agendo impedit, ne agens minus activum ulterius agat in se, licèt in eo, in quo magis activum à minus activo repatitur illi non resistat, sed potius ei aliquo modo cedat. Resistentia verò passiva non fit debilitando virtutem nec agendo, sed præcisè impediendo actionem agentis, ne agat in aliquod passum ob huius in dispositionem, aut repugnantiam suæ formæ.

41 Hinc resolutum manet; an, & quomodo à proportione maioris, aut minoris inæqualitatis possit fieri actio? Fieri actionem à proprotione maioris, aut minoris inæqualitatis, idem est ac fieri actionem ab agenti maioris, aut minoris activitatis, quam sit resistentia passi, quod quidem iam resolutum manent.

ARTIC. III.

Vtrùm omne agens in agendo repatiatur?

42 Repassio, & reactio nihil aliud sunt, quam quædam viccissitudo actionum, & passionum inter duo agentia, quorum vnum agit in aliud, & vicissim patitur ab illo. Procedit difficultas primo de agentibus communicantibus in eadem materia defectu cuius licèt Angelus, & Cœlum agant in hæc inferiora ab his non repatiuntur, quia non habent materiam capacem actionis, & influxus horum inferiorum. Procedit secundo de agentibus, quorum. Quodlibet sit capax, & inpotentia ad formam, & effectum alterius cum contrarietate in effectibus vtriusque, propter quod licèt calidum agat in minus calidum, vt illud intendat, non repatitur, quia non caret eo calore qui est in passo, nec lucidum repatitur à diaphano, quod illuminat, ob defectum contrarietatis. Procedit denique de agentibus, quorum quodlibet contineatur intra sphæram activitatis alterius.

43 Conclusio: nostra: *Agens cum conditionibus, sub quibus porcedit difficultas in agendó repatitur.* Conclusio est Philosophi, & debet esse omnium Philosophorum, qui sensum integritate gaudentium ipsa experientia conuincentur, qua videmus quod glacies infrigidat manum, & ab ea liquefit, ferrum candens calefacit aquam, & ab ea frigefit; Gutta aquæ cadens supra ardentem prunam illā extinguit ex parte, & à pruna consumitur, & evaporatur. Glaudius secando hebetatur, & frangitur, & mille exemplis idē convincitur.

44 Secundo ab inconvenienti: ex opposito enim sequeretur, mixtionem esse impossibilem, siquidem hæc resultat ex multis agentibus ad invicem alteratis, & reddactis ad certam concordiam, & temperamentum, vt videbimus quæst. sequenti; quod quidem sine mutua actione, & reactione intelligi nequit.

45 Tertio ratione à priori, quia vnumquodque agit in quantum est in actu, & patitur in quantum est in potentia; sed idem potest esse in actu vnius qualitatis, & in potentia respectu alterius contrariæ: ergo poterit agere per qualitatem, qua est in actu, & pati recipendo qualitatem cuius est capax, & ad quam est in potentia

46 Oppones 1. Argumentum difficile. Si cum ignis medio aere agit in aquam calefaciendo eam, hæc iterum ageret in ignem medio etiam aere in frigidando illum; sequeretur, idem subiectum nempè aerem moveri simul motibus contrarijs; motibus scilicèt calefactionis, & infrigiditationis; consequens est contra rectam Phylosophiam tradditam in libris Physicorum: ergo.

47 Relictis varijs solutionibus, respond. quod aer inter medius inter ignem agentem in aquam, & aquam reagentem in ignem non movetur secundum easdem partes motibus contrarijs, sed solum secundum diversas; ignis enim in tali casu calefacit partes aeris sibi viciniores vsque ad certum terminum, & aqua infrigidat alias sibi pariter propinquas vsque ad eundem terminum, in quo sibi concurrunt; semel autem immutatæ huiusmodi partes idest calefactæ, aut frigefactæ respectivè induunt rationem vnius, & eiusdem agentis cum ipso igne, aut aqua, sicque in se in invicem agunt.

48 Oppones 2. Si omne agens in agendo repatitur, sequitur, quod calidum vt sex dum agit, amittat aliquem gradum caloris, & fiat calidum vt quinque: ergo calidum vt sex nequit producere aliud calidum eiusdem intensionis cum ipso; consequens videtur absurdum: ergo:

49 Respondet. Quod vel sermo est de calido, cui calor comparatur, vt proprietas; vel quod est tale per calorem ab extrinseco communicatum, si primum; licèt calidum vt sex in principio actionis, vel quasi prçlij imittat aliquid caloris; tamen devicta resistentia passi recuperat per naturalem resultantiam, quidquid caloris amiss-serat, & sic valet communicare passo intensionis gradum, quem

in

in se habet. Si dicatur secundum; nullum est inconveniens, quod calidum vt sex non possit communicare omnem calorem quem habet, langues cit enim ob actionem contrarij, & non recuperat calorem amissum, cum non dimanet ab ipso; nisi forte agens principale, à quo participat calorem, sit illi coniunctum, & foveat ipsum.

50 Oppones 3. Nequit dari actio, & repassio inter duo agentia æqualia in activitate virtutis, quia mutuo se impedient; nec inter duo agentia inæqualia, quia aproportione minoris inæqualitatis non est actio, & sic agens debilius non reaget in fortius: ergo.

51 Neg. quoad secundam partem, quia vt diximus artc. præcedent. agens debilius agit in agens fortius; non quatenus agens est, sed quatenus est in potentia ad qualitatem contrariam, qua agit agens debilius, & respectu talis potentiæ agens debilius fortius est in activitate.

52 Si autem dicas; nequit frigidum vt sex agere in calidum vt octo, nisi tollendo aliquem gradum caloris, sed hoc est impossibile: ergo agens debilius nullo modo agit in agens fortius. Maior constat, quia actio frigidi in calidum non stat nisi caloris diminutióne. Probatur min. Nequit tollere octavum gradum caloris, quia hic est perfectior cæteris gradibus caloris, & perfectius vnius contrarij nequit vinci ab imperfecto alterius; nec etiam potest tollere aliquem gradum infra octavum. Tùm quia si tollitur aliquis gradus caloris, manet calidum vt septem: ergo deficit octavus gradus. Tùm quia alij gradus inferiores caloris compatiuntur quilibet illorum cum frigido, vt sex: ergo non tollitur.

53 Neg. mi ad huius probat. dicimus: quod licèt gradus caloris vt octo sit perfectior cæteris, propter hoc ipsum expellitur à reactione frigidi, quia quanto aliquid est perfectius compatitur minus de opposito. Et sic minor gradus non opponitur, nec tollit minorem oppositum, quin potius cum eo compatitur, cum simul esse possint in gradibus remissis, sed opponitur perfectiori, vt perfectior est.

QVÆST. VII.

De Mixtione.

1 VAlde affinis est mixtio actioni, & reactioni, quia per

 mu-

mutuam actionem, & reactionem sit mixtio, quare ad quęstionem præcedentem, quæstio de mixtione merito sequi debet, & ad librum sequentem merito debet præmitti, in quo de elementis, quæ sunt propriè miscibilia, & de mixtis fiet præcipuus sermo.

ARTIC. I.

An sit, & quid sit mixtio?

2 MIxtio est duplex, vna impropria, alia propria. Impropria est aggregatio aut constipatio plurium invariata permanente eorum substantia, sicut cum diversa grana tritici, & hordei, & aliorum seminum simul confusè aggregantur. Propria est vnio plurium per variationem substantiæ illarum media alteratione illorum, & corruptione, ita vt ex illis resultet vnum simpliciter, & per se. De prima mixtione vtpotè impropria non est specialis consideratio in philosophia. De secunda verò est in præsenti specialiter agendum.

3 Pro cuius naturæ intelligentia, conditiones quas requirit exprimere oportet. Prima est quod præsupponat diversas substantias, quæ antecedenter separatę confluant ad hoc vt ex illis fiat vnum per se. Constat ex Aristotel. textu 83. quod oportet miscibile existere separabile, si enim separata non essent, non oporteret mixtionem facere ex pluribus.

4 Secunda est, quod miscibilia communicent in materia, & ad invicem sint activa, & passiva: quod ex Arist. ibidem docet Div. Thomas, lect. 27. & lib. 2. contra g. cap. 56. art. *Quæ miscentur oportet ad invicem alterata esse, quod non contingit nisi in his, quorum est eadem materia, & quæ possunt esse activa, & passiva ad invicem.*

5 Tertia est, quod virtus activa vnius miscibilis non ita prædominetur, vt alterius virtutem absorbeat, & in se convertat, quia, vt ait D. Thomas hic, cap. 35. ex his quorum vnum multum excedit aliud, mixtio fieri non potest, vnde non fit mixtio vini; sed corruptio, si quis mittat guttam vini in mille amphoras aquæ, & ideo requiritur talis qualitatum activitas, & possibilitas, vt ex illis fiat vnum tertium temperamentum.

6 Quarta est quod miscibilia mutuo dividantur ad hoc, vt vnum intret per partes alterius, quia si manent extra misceri non possunt: vnde videmus in mixtione liquorum qualiter dividuntur, vt partes

tes vnius pervadant partes alterius, & èconverso, & Divus Thomas hic cap. 10. ait: quod corpora humidà sunt magis miscibilia, quia sunt bene divisibilia in parva.

7 Quinta, & præcipua est quod miscibilia substantialiter corrumpantur in se ipsis, maneant tamen aliquomodo in tertio, quod ex eis resultat. Quod docet D. Thom. hic lec. 25. vbi ait; quod adhoc quod sit mixtio, necessarium est, quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem, vt prius sũt enim corrupta quantum ad formas, & remanent quantum ad virtutem, & ratio D. Thomæ est, quia si non essent corrupta quã tum ad formas, non esset vera mixtio, sed solum coacerbatio, aut aggregatio plurium; si non remanent quantum ad aliquid, esset pura corruptio miscibilium, non verò addunatio plurium in vno, sine quo mixtio concipià nullo potest: his suppositis.

8 Prima conclusio est. *Datur vera, & propia mixtio.* Suadetur primo experientia: videmus enim in sublunaribus; tum dari corpora in quibus sunt qualitates elementales, cum quo non compatitur esse corpora simplicia, sed mixta. Tùm arte medicinæ confici mèdicamina, in quibus ingredientia non manent, nec penitus extinguuntur, cum ab effectu percipiatur eorum virtus: ergo datur vera, & propria mixtio.

9 Secundo: quia in corporibus datur mutua actio, & reactio, vt vidimus quæst. præced. ergo datur vera mixtio Prob. conseq. quia ex mutua actione, & reactione qualitates saltim debent misceri, & temperari; sed tanta potest esse alteratio, quod illa corpora non maneant in suo statu, nec cum debitis dispositionibus, quibus conservabantur: ergo corrumpentur quoad formas substantiales; sed non corrumpuntur sine generatione alterius in quo virtus qualitatum manet temperata: ergo fit tertium, quod est mixtum resultans ex pluribus alteratis, corruptis, & in vnum redactis.

10 Nec obstat 1. quod ea quæ non sunt nequeunt misceri, sed miscibilia in instanti, in quo dicuntur misceri, non sũt, cum corrumpantur: ergo non datur mixtio. Secundo; nam miscibilia, vel sunt ęqualis virtutis; & tunc neutrum aget in aliud; quia à proportione ęqualitatis non datur actio: vel sunt inæqualis virtutis, & tunc miscibile fortius aget in alia, & convertet in se: ergo non fiet mixtio, vt docuimus in tertia conditione ad veram mixtionem.

Non

11 Non inquam obstant hæc. Non 1. quia licèt miscibilia corrumpantur formaliter manent tamen virtualiter in mixto ratione qualitatum; mixtio enim fit ex miscibilibus, quæ actu existunt in principio quando inchoatur mixtio, nō existunt autem in termino, quando generatur mixtum ex illis coruptis.

12 Nec etiam 2. quia vt vidimus quæst. præced. agens fortius potest pati à minus activo, & ex alijs circunstantijs, & condicionibus ad agendum requisitis (vltra virtutem requisitam ad agendum) contemperantur agentia, vt fortius non absorbeat minus activum, vel propter multitudinem partium minus activi, vel ob aliam circunstantiam.

13 Secunda conclusio Mixtio *rectè diffinitur : est miscibilium alteratorum vnio* Est cōmunis philosophorum cum Arist. & D. Thoma hic cap. 10. lect. 15 & non melius probatur, quam diffinitionem explicando: in illa explicantur tria ad mixtionem essentialiter requisita; in illa particula *miscibilium* explicatur terminus *à quo* nempè quod non fiat ex vno tantum, quod totaliter corrumpatur, sed ex pluribus in se quidem distinctis, & quæ possint in vnum congregari.

In illa particula *alteratorum* explicatur duo. Primo quod mixtio primo, & per se debet fieri in qualitatibus, quæ media alteratione ita confundantur, vt conveniant in vnam virtutem aut qualitatem mediam, quæ maneat in mixto. Secundo explicatur talis alteratio, quæ perveniat vsque ad corruptionem miscibiliū, alias non fieret vnum ex ipsis miscibilibus. Quod totum expressit D. Thomas hic lect. 15. dicens; *Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus sivè qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur impropriè, mixtio est miscibilium alteratorum id est corruptorum secundum formas vnio.*

In illa particula *vnio* explicatur, & terminus *ad quem*, & actio mixtiva, terminus quidem *ad quem*, nempè quod fiat vnum tertium ex miscibilibus illis non manentibus in se, quia non datur vnio sine vno: explicatur etiam actio mixtiva, quæ quidem est actio congregativa, & factiva vnius ex multis substantialiter, vnde ly *vnio* non significat vnionem materiæ cum forma, quæ est communis omni generationi, sed contemperationem, & congregationem in vnum, ex pluribus, quæ corrumpuntur.

14 Cum autem in mixtione adsit vera corruptio miscibilium, quæ sine generatione

ne alterius non datur ; Reſtat videre, qualiter mixtio differat à generatione ? Reſpondet, Mixtionem eſſe generationem contentam ſub generatione vt ſic, vt ſpeciem ſub genere ; tamen ſpecie diverſam à generatione ſimplici, ſeu ſpecialiter dicta, quæ ob penuriam vocum abſolute dicitur generatio, ſicut alteratio ſimplex eſt ſpecies alterationis vt ſic, ab intenſione, & remiſsione diſtincta, quæ etiam ſunt alterationes.

15 Quod autem mixtio ſit generatio ſubſtantialis conſtat, quia non terminatur àd ſolam qualitatem, ſed ad ſubſtantiam, quia miſcibilia ſubſtantialiter corrumpuntur, & ſic ex illis aliquid debet ſubſtantialiter generari. Quod differat à generatione ſimplici ſeu ſpecialiter dicta conſtat: quia generatio ſimplex dicitur illa, quæ vel generat corpus ſimplex, ſcilicet elementum, vel generat modo ſimplici, hoc eſt, non per congregationem multorum in vnum, ſed ex vno corrupto generat aliud: mixtio verò generat vnum ex multis corruptis, manentibus qualitatibus illorum ad medium redactis. Vnde licèt forma ſubſtātialis introducta per generationem ſimplicē, & per mixtionem ſit materialiter eiuſdem ſpeciei, differt tamen ſpecificè in ratione termini formalis generationis, ſicut generatio, & reſurrectio, aut creatio eiuſdē formæ hominis.

ARTIC. II.

Ex quibus poſsit fieri vera mixtio?

16 DVo ſunt genera miſcibilium in quibus facilius cernitur mixtio, nempè liquores, & elementa; & quærimus an, & quomodo ex illis fiat vera mixtio?

§ I.

De Mixtione liquorum.

17 Liquores alij ſunt diverſæ ſpeciei, puta vinum, & aqua alij eiuſdem ſpeciei, vt vinum album, & rubrum. Rurſus inter liquores eiuſdem ſpeciei, alij habent qualitates contrarias invicem alterativas, alij ſunt earundem qualitatum: primi generis ſunt vinum album, & rubeum, & vinum debile, & vinum fortius, aut vinum de coctum, & vinum valde de fæcatum ; ſecundi generis ſunt aqua vna, & alia, & vina alba, & ſimilia.

18 Dicimus 1. inter liquores diverſæ ſpeciei habentes contrarias qualitates dabilis eſt vera mixtio. Conſtat, tùm quia adeſſe poſſunt omnes condi-

ditionis requisitæ ad veram mixtionem, quas supra numeravimus. Tùm, quia suppositâ qualitatum contrarietate, & activitate ad mutuam actionem, & reactionem facilioris mixtionis sunt corpora humida, quam corpora sicca; vt notat Div. Thomas hic lect. 25. ad textum 90. Aristoteles docens: *Humida sunt inter cætera corpora bene miscibilia, & hoc ideo quia humidum inter alia corpora est magis divisibile in parva.*

19 Dicimus 2. inter liquores eiusdem speciei habentes qualitates contrarias potest dari vera mixtio. Videtur mens D. Thomæ 3. p. q. 77. art. 8. dicentis *si esset eiusdem speciei liquor adiunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diversitas accidentium, puta si vnum vinum esset album, & aliud rubrum.* Ex quibus verbis habetur. Tùm quod vinum album, & rubrum sunt eiusdem speciei. Tùm quod habent contrarias qualitates, quod declarat diversitas accidentium. Tùm denique quod vere permiscentur, quia ad invicem corrumpuntur, cum ex illis permixtis non remaneat idem numero vinum.

Secundo: quia potest esse similitudo in specie, & dissimilitudo in qualitatibus, & vnum individuum intendens assimilare aliud in qualitatibus per accidens potest corrumpere illius substantiam, sicut ætiops de albari nequit quin corrumpatur: ergo possunt duo individua eiusdem speciei ratione diversarum qualitatum individualium, ita mutuo agere vt corrumpantur, & in vnum tertium redigantur; sic vinum forte ad mixtum vino debili, & parum vinum decoctum adiunctum alteri valde defæcato faciunt mixtum ab extremis valde diversum.

20 Dicimus 3. Inter liquores eiusdem speciei non habentes qualitates contrarias non datur vera mixtio; sed sola continuatio illius liquoris ad alium. Prima pars Prob. quia mixtio generativa mixti ex miscibilius essentialiter petit alterationem miscibilium talem, quæ corrumpat miscibilia: ergo vbi non est alteratio talis, quæ corrumpat miscibilia secũdum formas, non est vera mixtio; sed vbi non est contrarietas qualitatum, non est alteratio corruptiva; cum omnis corruptio in contrarietate fundetur: ergo inter liquores non habentes contrarias qualitates non est vera mixtio. Secunda pars facile constat; quia liquores eiusdem rationis, quoad speciem, & qualitates, potius se fovent, quam

quam destruat,& sicut eorum, quia homogenei,facilis est divisio:sic si coniungantur, facilis est continuatio;& sic non fit aliquid distinctum numero,sed idem numero fit maius per continuationem.

21 Nec dicas:quod non viventia saltim verius minimum petunt determinatam quantitatem,sine qua conservari non possunt, sed duo liquores eiusdem rationis in specie, & qualitatibus, per mixti se per vadunt dividendo vsque ad partes minores minimis: ergo corrumpuntur,& ex illis aliud tertium generatur de novo, quod ad veram mixtionem sufficit.

22 Resp.Vel quod illa ad mixtio non facit divisionem in partes minores minimis;imò potius cum sint homogeneę,& vna pars non resistens alteri, potius ex ambabus fit maior coniunctio, quam partium divisio; vel quod licèt faciat divisionem in partes minores minimis nullus liquorum corrumpitur, quia licèt pars minima nequeat separata conservari,bene tamen adiuncta, & continuata cum alijs eiusdē rationis, a omnibus,à quibus fovetur.

§. II.

De mixtione elementorum.

23 Elementa esse maxime miscibilia, cum sint corpora simplicia, & habeant qualitates maxime activas,& contrarias certissimum est. Difficultas est; an fiat mixtio ex concursu omnium elementorum? Negat Rubio.Affirmat cętus omnium philosophorum.

24 Cum quibus dicimus: omnia elementa concurrere ad veram mixtionem, & facile prob.nam vera mixtio fit ex aliquibus elementis; sed eadem est ratio de omnibus: ergo ex omnibus elementis fit vera mixtio. Prob. min. aliqua elementa ad mixtionem convenire dicuntur; quia in mixtis eorum qualitates experiuntur, sed in mixtis experiuntur qualitates omnium quatuor elementorum: ergo.

25 Oppones 1.in prima mūdi productione fuerunt mixta producta ex vno tantum elemento, vt pisces & aves ex aqua,alia animalia ex terra,iuxta illud genes.1. *Producat terra animam viventem &c.*ergo.

26 Resp.Quod hoc admisso solum infertur,quod mixtum posit fieri aliquando,non per mixtionem, sed per solam generationem, vt animalia per se creata:ex quo non infertur quod non posint quatuor elementa naturaliter ad mixtionem concurrere;sicut plura generabilia possunt fieri aliquando per creationem.

Se-

Secundo, & melius Resp. quod etiam in prima mundi conditione mixta fuerunt formata ex materia quatuor elementorum quorum qualitates retinent: fit autem specialis mentio huius, vel illius elementi, quod magis prædominatur in eorum constitutione, quod expresse habet D. Thomas in 2. distinct. quæst 2. artic. 1. præcipuè ad 3.

27 Oppones 2. concursus ignis ad mixtionem non est sine sui descensu ad locum mixtionis, & mixtorum; sed talis descensus non est naturalis, sed violentus: ergo ex igne saltim naturaliter non fit mixtio.

28 Confirm. quia elementa non se movent ad mixtionem, quia non moventur à se, nec est assignabilis causa illa movens, ad mixtionem: ergo elementa ad mixtionem non concurrunt

29 Resp. Cum constitutio mixtorum pertineat ad perfectionem vniversi, ad quam inclinant omnia; posthabita cuiusvis propria inclinatione fit, vt ignis non violenter, sed naturaliter descendat ad compositionem mixti.

Quod amplius constabit assignando ex Div. Thoma causas motivas elementorum, vt concurrant ad mixtionem, quas assignat hic lecc. 24. dicens; quod primum movens elementa ad mixtionem est in miscibile, hoc est, ipsum cælum siuè altera sphera solis in qua est effectus caloris est nata movere ignem, & sphera lunæ est nata movere aquam, aliæ autem spheræ scilicet Planetarum natæ sunt movere aerem, & ideo aer tot diversis motibus movetur; sphæra autem stellarum fixarum, quæ est octava, in qua sunt multæ imagines, & figuræ movet terram, in qua figurantur imagines, multæ in generatis; & concludit D. Thomas, *Licèt ergo elementa levia non descendat ex se, nec gravia ascendant ex se, tamen ex motoribus vniversalibus ordinantibus motum, aliquando descendunt levia, & ascendunt gravia.* Per quod patet ad confirm.

ARTIC. III.

Qualiter elementa maneant in mixto?

30 Certum debet esse, quod elementa aliquo modo manent in mixto, quod fit ex illis, quod constat, tùm ex dictis artic. 1 tùm quia alioquin mixto esset pura miscibilium corruptio, non autem eorum vnio, contra naturam mixtionis in diffinitione explicatam. Tria solum sunt in elementis; ratione quorum possunt manere in mixto, nempè ma-

materia, forma, & qualitates, quæ sunt istorum virtutes.

31 Duobus modis potest dici manere elementa in mixto, nempe formaliter, & virtualiter: formaliter manere dicuntur, si eorum formæ substantiales maneant incorruptæ informantes vnam, eandemque mixti materiam. Dicuntur autem manere virtualiter multis modis. Primo per hoc quod forma substantialis mixti contineat eminenter formas elementorum per modum gradus: admodum, quo gradus vegetativus, & sensitivus continentur in anima rationali. Secundo per hoc, quod in mixto sint qualitates, quæ sunt virtutes derivatæ ab elementis. Adhuc permanentia virtualis elementorum ratione suarum qualitatum, potest multipliciter intelligi, vel per hoc, quod maneat eædem numero, quæ erant in elementis, vel per hoc, quod eædem solum secundum speciem formaliter in se ipsis, vel denique quod maneant non formaliter, & in se; sed virtualiter contentæ in aliqua qualitate media, quæ sit vna, & simplex entitatiue, multiplex vero in virtute.

32 In primis, vt certum pronunc habemus, elementa non manere formaliter in mixto, quia licèt oppositum fuerit mens plurium Philosophorum antiquorum, & recentiorum præcipue Medicorum, horum sententiæ impugnatio, & nostrum fundamentum nititur principijs alibi á nobis firmatis, & firmandis. Tùm generaliter ex eo, quod plures formæ substantiales diversæ speciei non possunt constituere idem compositum. Tùm specialiter quia formæ elementorum vel informarent, & actuarent simul eandem partem materiæ, vel diversam. Si primum in eadem parte materiæ essent qualitates cõtrariæ in summo, in quo gradu secum eas afferunt formæ elementorum, quod est falsum, vt infra amplius constabit. Si secundum non fiet mixtum, sed aggregatum ex pluribus partibus habentibus diversas formas specie.

33 Deinde debet esse certum in mixto manere materiam elementorum, quod constat ex dictis, & dicendis, quia mixtum fit ex elementis corruptis secundum formas: ergo manet materia elementorum: sed non sub alia forma nisi mixti: ergo in mixto manet materia elementorum.

34 Denique debet apud nos esse certum elementa non manere virtualiter in mixto per hoc, quod in illo maneant eædem qualitates numero,

ro, quæ erant in elementis, quia vt videbimus lib. sequenti, saltim naturaliter accidentia nequeunt transmigrare de subiecto in subiectum; nec accidentia, quæ erant incorrupto, manent in genito.

35 Quare difficultas, quæ remanet, sistit in eo, an scilicet elementa maneant virtualiter in mixto, vel per hoc quod illius forma substantialis contineat eminenter formas elementorum per modum gradus, vel per hoc, quod in illo sit simplex quædam qualitas continens virtualiter qualitates proprias elementorum: vel per hoc quod in mixto sint formales qualitates elementorum ad mediocritatem redactæ?

§ I.

Difficultas resolutio.

Prima conclusio.

36 E*Lementa non manent in mixto per eminentialem continentiam suarum formarum in forma mixti.* Est contra Scotum, cui favere videtur Durandus. Prob. quęst. 1. elementum non est aliquid commune respectu mixtorum, sicut est vegetativum, & sensitivum respectu animalium, sed omnia elementa sunt corporea condivisa contra mixtum: ergo elementa non continentur in mixto tanquam gradus.

37 Secundo si mixtum contineret elementa illa eminentiali continentia, forma mixti esset principium propriarum operationum elementalium; sicut ob similem continentiam graduum in anima rationali, hæc vere operatur ea, quæ sunt propria naturæ vegetantis, & sentientis, & sic lapis. V. g. vere igniret, infrigidare, humectaret, &c. sed hoc est falsum: tùm quia contra experientiam: tùm quia tales operationes ob sui contrarietatem se impedirent: ergo prædicta continentia elementorum in forma mixti est chymęrica.

38 Secunda conclusio. *Elementa non manet in mixto per virtualem continentiam propriarum qualitatum in aliqua simplici qualitate media.* Contrarium tenet Herb. Soncin. Iaul. sed nostra conclusio est D. Thomæ, & communis Thomistarum, & plurium extra Scholam D. Thomæ, colligiturque manifeste ex dicendis in favorem conclusionis sequētis. Deinde quia posita prædicta simplici qualitate non verificaretur elementa manere in mixto: ergo elementa non manent in mixto per virtualem continentiam suarum qualitatum in aliqua simplici qualitate media Prob. ant. Prædicta qualitas simplex spe-

x specie differt à quatuor mis qualitatibus elementorum: ergo manente solum illa, & illis non manentibus in mixto, nihil elementi maneret in mixto neque secundum numerum, nec secundum speciem, nec substantiale, nec accidentale.

32 Tertia Conclusio. *In mixto manent qualitates formales elementorum ad mediocritatem redactæ*, Est Div. Thomæ q. 5. de Malo art. 5. ad 6. & 1. p. q. 76. artic. 4. ad 4. vbi cum Philosopho in 1. de Generatione ait: *Quod formæ elementorũ manent in mixto non actu, sed virtute, manent enim qualitates propriæ elementorum licèt remissæ in quibus est virtus formarum elementalium.*

40 Suadetur primo ratione: ideo qualitates formales agnovimus in elementis, quia ignis calorem experimur, terræ siccitatem, aquæ frigiditatem, & aeris humiditatem, sed similes qualitates simul experimur in mixtis, & quoad sensum habent eandem immutationem, quam in elementis: ergo manent in mixto formaliter.

41 Secundo: quia vt docet D. Thomas 1. 2. q. 85. artic. 6. & cũ eo communiter Philosophi, corpus sublunare, ideo est naturaliter corruptibile, quia ex contrarijs componitur, ex quorum pugna, & mutua actione inter se dissolvitur proportio ad conservationem mixti necessaria, & inducitur corruptio; sed hæc contrarietas, & pugna esse non potest in vna simplici qualitate, alias ageret in se ipsam, & se ipsã destruet, quod est chymæra: ergo in mixto manent formales qualitates contrariæ elementorum.

42 Quarta Conclusio. *Elementa manent in mixto solum virtualiter, quia in eo manent formales qualitates, quæ sunt elementorum virtutes.* Est expressa in D. Thoma in testimonio aducto pro conclusione præcedenti, colligiturque 1. ex dictis in discursu huius artic. quia elementa debent aliquo modo manere in mixto; sed non formaliter, ita vt illorum formæ actuent materiam mixti, nec virtualiter per hoc, quod huius forma illlorum formas contineat eminenter; nec per virtualem continentiam qualitatum in aliqua simplici qualitate mixti: ergo elementa manent in mixto solum virtualiter, quia in eo manent formales qualitates, quæ sunt eorum virtutes.

43 Secundo: cum virtus propria vnius manet in alio, dicitur propriè manere in illo virtualiter, sed formales qualitates elementorum, sunt eorum propriè virtutes: ergo quia istæ manent formaliter in mixto, propriè dicitur in illorum

nere virtualiter elementa.

44 Confirm. quatuor primæ qualitates, licent inhæreant mixtis sunt virtutes propriæ, per quas ipsa elementa operantur: ergo propriè salvatur virtualis permanentia elementorum in mixto, ex eo quod. in isto maneant formales qualitates, quæ sunt elementorum virtutes. Prob. antec. quod est tale per participationem operatur in virtute eius, quod est tale per essentiam; sed ignis (& idem est de alijs elementis.) est calidus per naturam, & alia sunt calida per participationem ab igne: ergo calor licèt inhæreat mixtis est virtus propria perquam operatur ignis, ac subinde vere dicitur ignem virtualiter in mixto manere, manente calore formali in illo.

§. II.

Argumenta solvuntur.

45 Obijcies 1. Contra primam conclusionem. Mixtũ vt præintelligitur ad quatuor primas qualitates componitur ex elementis, siquidem pro illo priori non est corpus simplex, aut elementale, sed mixtum; sed prædicta mixtio, seu compositio nequit in alio consistere, quam in eo, quod forma mixti substantialiter eminenter cõtineat formas substantiales elementorum: ergo in hoc pra consistit, quod elementa neant virtualiter in mixto.

46 Neg. min. vt autem mixtum pro illo priori intelligitur esse non corpus simplex, & elementale, sed vere mixtum, & compositum; sufficit, quod intelligatur radicans, & exigens quatuor primas qualitetes redactas ad quandam mediocritatem, & temperamentum; forma enim mixti ex elementis, aut miscibilibus corruptis resultat, & quod resultat ex corruptione aliorum non continet ea per modum gradus.

47 Sed instas: Corpus mixtum quantum ad formam nobilius est corpore elementali, vt docet D. Thomas q. 6. de Pot. artic. 6. in corpore, sed forma nobilior continet inferiorem non solum virtualiter, sed etiam formaliter eminenter: ergo.

48 Respond. Quod quãvis mixta simpliciter sint nobiliora elementis, tamen quoad alia, elementa nobiliora sunt mixtis nempè quoad simplicitatem, quæ facit ad incorruptionem, & ex hac parte aliqua accidentia, & operationes nobiliori modo sunt in elementis quam in mixtis, quod sufficit vt mixtum elementa non contineat. Præterquamquod non quælibet maior perfectio formæ sufficit ad continentiam eminentialẽ; anima enim nobilior

lior est omni forma inanimata, & tamen sunt perfectiones in cœlis, & in alijs similibus, quæ, non continentur in anima, nec ab ea præstari possunt.

49 Obijcies 2. Contra secundam conclusionem: sicut se habent formæ substantiales elementorum, & mixtorum, ita se habent eorum qualitates; sed ex formis elementorum non succedunt in mixto plures formæ substantiales; sed vna simplex: ergo ex qualitatibus elementorum non manet in mixto, nisi vna simplex qualitas.

Comfirm. ex Aristot. hic textu 48. dicente: quod ex calido, & frigido fit vnum medium, quod non est alterum illorum simpliciter: ergo tertium simplex ex illis resultans.

50 Neg. mai. quoad simplicitatem formarum. Tùm quia mixtum est vnum per se, cui non obest multiplex forma accidentalis; bene tamen multiplex forma substantialis. Tùm quia mixtum debet esse ab intrinseco corruptibile, ad quod sufficit vna forma substantialis, non verò sufficit simplex forma accidentalis, quæ sibi contraria esse non potest nec in se mutuo agere. Ad confirmat. dicimus, Aristot. non dicere, quod resulter aliqua tertia qualitas eminẽter cõtinẽs, frigus, & calorem; sed quod mixtum, continet vtrumquè in vno medio, vel quod in illo vtrumquè est redactum ad mediocritatem, & temperamentum.

51 Obicies 3. Contra 3. conclusionem. Qualitates primæ elementorum sunt eorum proprietates: ergo in se, & formaliter non possunt communicari alteri ab elementis essentialiter distincto.

52 Neg. consequentiã: quia propriæ passiones bene possunt esse in proprio subiecto essentialiter, & in alij participativè; sicut lux est in sole essentialiter, vt in proprio subiecto, & in aere participativè.

53 Sed instas, Ideò formales qualitates elementorum ponimus in mixto, vt sibi contrarientur, sed vt contrarientur, vel vt exercent contrarietatem, non possunt esse simul: ergo primæ qualitates formales non sunt mixto.

54 Resp. quod illæ qualitates sunt contrariæ, & sunt in mixto, sed remissæ, in hoc enim statu simul esse possunt, & licèt prout sic exerceant aliquam contrarietatem, sed non perfectam, sed imperfectam non subijciendo sibi perfectè, nec replendo totam latitudinem subiecti, & sic non omnino se expellunt ab illo, imò sua contrarietate contemperatur activitas cuiusvis, & reducitur ad mediocritatem, qua conservatur mixtum.

55 Obijcies 4. Contra quartam conclusionem. Primę qualitates vt refractæ in mixto potius sunt virtutes proprię ipsius mixti, quam elementorum, cum mixtum, & non elementum operetur per illas vt causa principalis: ergo ex eo, quod prædictæ qualitates hoc modo maneant in mixto non infertur in illo manere virtualiter elementa.

56 Neg. antecedens: quia adhuc vt refractæ sunt in mixto per participationem elementorum, & ab istis derivatæ, & eiusdem essentialis rationis cum ipsa virtute elementi: illa autem modificatio, quam habent in mixto iuxta huius naturam, licèt tollat, quod sint virtutes elementi in esse naturali, & quasi per essentiam, non tollit quod sint virtutes illius participatæ, & ab illo derivatæ, quod sufficit vt verificetur elementa manere virtualiter ratione talium qualitatum.

Ad hæc: Primæ qualitates sunt connaturales elementis, vt eis, quibus primo, & per se, aut per naturam conveniunt: mixtis verò, quibus per se secundo, & per participationem ab elementis competunt: hoc secundum, cum modificatione refractionis earum sufficit, vt mixta eis vtantur ad proprias illorum operationes: Primum verò exigitur, vt operationes prædictarum qualitatum absolute tribuantur elementis.

57 Denique obijcies. Qualitates, quæ erant in elementis non manent in mixto, sed succedunt aliæ licèt eiusdem speciei; sed pura succesio vnius individui post aliud non sufficit vt dicatur vnum virtualiter manere in alio: sicut licèt cadaver succedat viventi, non ideo vivens manet virtualiter in cadavere: ergo.

58 Respondet. Quod in illis qualitatibus non datur præcisè succesio, sed insuper, & convenientia specifica, & quod qualitates manentes sunt virtutes elementorum corruptorum eis sobordinatæ, vt principali agenti, quorum neutrum salvatur in cadavere, & viventi.

§§§

LIBER II.

De generatione, & Corruptione.

EGIMVS cum philosopho lib. præcedent. de Generatione, & Corruptione in communi, & de alijs motibus illi deservientibus. Nunc cum eodem in hoc lib. descendimus ad explicandam generationem, & corruptionem elementorum, quia sunt prima principia generationis, corruptionis, & alterationis aliorum corruptorum. Hunc librum secundum in vndecim capita dividit. Tribus prioribus explicat principia generationis, elementorum, & numerum eorum. Tribus sequentibus ipsam elementorum generationem exponit. Septimo, & octavo de generatione mixtorum. Et capite nono vsque ad finem declarat vniversales causas generationis, & eiusdem perpetuitatem. Nos autem in præsenti cum communi interpretum sententia de tribus præcipuè disputabimus. Nempè de natura, & numero elementorum, de mixtis, & temperamento eorum. De reproductione rarum. Et Periodo durationis eorum.

(5)

QVÆST. VIII.

De Elementis, & primis qualitatibus.

1 DE natura elementorum, & eorum primis qualitatibus simul in hac quæstione disputamus, quia per primas qualitates natura elementorum plenius notificatur: sicut essentia per proprietates, quæ sunt magis nobis notę.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex sit elementum, & quæ sint primæ qualitates?

2 LOquimur in præsenti de elemento, non in illa generali acceptione, qua quodvis rei principium solet elementi nomine significari, qua ratione literæ respectu dictionis, & materia, & forma respectu compositi, solent non improprie elementa appellari, sed strictè pro corpore simplici; ex quo alia corpora componuntur, & in quod resolvuntur.

§. I.

De Natura, & numero elementorum.

3 Diffinitionem elementi sumunt communiter Philosophi ex Aristot. his verbis: *Elementum est corpus in quod cætera corpora dividuntur, in quibus inest actu, vel potentia, ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem.* Ly *corpus*, explicat id, in quo convenit cum cælis, & mixtis, & per quod differt ab elementis latè acceptis, quæ sũt prima principia rerum: *in quod cætera corpora dividuntur, seu resolvuntur*; ponitur ad excludenda corpora cęlestia, quæ quidem, sicut non intrant compositionem mixtorum; ita nec sunt id, in quod resolvuntur mixta, ex elementis verò, & componitur mixtum, & in illa resolvitur.

In quibus inest actu, vel potentia ponitur, quia de ratione elementi est, quod existat aliquomodo in mixto, per quod excluditur privatio, & alia principia pure extrinseca, quæ non insunt in his quorum sunt principia, nec per hoc quod dicatur *actu, vel potentia*, existimandum est Philosophum diffinientem sensisse elementa actu manere in mixto; sed potius sub hac reliquisse modum permanentiæ elementorum in mixto; quia diffinitio est in qua

qua omnes debent convenire, & abstrahere ab his, quæ cadunt sub opinione. *Ipsum autem est indivisibile in diversa secundum speciem*; ponitur ad differentiam mixtorum. hæc enim dividi, aut resolvi possunt in elementa, quæ differunt specie, sumpta divisione, non quantitativa & in partes integrantes; sed alterativa, & corruptiva, quomodo elementa indivisibilia sunt in alia diversa secundum speciem Adde pro maiori claritate verba Div. Thomæ. Metaph. lect. 4. *Cum in diffinitione elementi ponitur, quod non dividitur in diversa secundum speciem, non est intelligendum de partibus, in quas aliquid dividitur divisione quantitatis; sic enim lignum esset elementum, quelibet pars ligni est lignum; sed de divisione, quæ fit secundum alterationem, sicut corpora mixta resolvuntur in simplicia.*

4 Quatuor esse elementa videlicet, ignem, aerem, aquam, & terram, omnes Philosophi, & Theologi, & SS. Patris communiter admitunt, ad quod ostendendum variæ rationes, aut congruentiæ adducuntur ex Aristotel. Tùm ex situatione eorum in vniverso, quia tantum sunt quatuor loca infra Cœlum, nempè summum, quod tangit cœlum, infimum quod est centrum; prope summum, & prope infimum. In summo est ignis, in infimo terra, in prope summo aer, & in prope infimo aqua. Tùm ex numero primarum qualitatum, quæ primò, & per se conveniũt primis corporibus, illæ enim sunt quatuor scilicèt, calor frigus, siccitas, & humiditas. Tùm ex combinationibus, quæ fieri possunt ex primis qualitatibus, quæ sunt tantum quatuor, nempè calidum, & siccum; calidum, & humidum; frigidum, & siccum.

5 Sed quidquid de efficatia harum rationum de quibus AA. latè solent differere, & pendent ex notitia quidditatis, & numeri primarum qualitatum quam infra traddemus; ideo pro nunc numerus elementorum prob. ex eo, quod experientia compertum est, dari ignem, aerem, aquam, & terram; sed hæc quatuor esse corpora simplicia est rationi conforme, & menti omnium Philosophorum: ergo dantur quatuor elementa recensita.

6 Sed oppones: non datur ignis, qui sit elementum: ergo elementa nõ sunt quatuor: probatur antec. Tùm quia Genes. 1. fit mentio creationis, aeris, aquæ, & terræ, & nullo modo ignis. Tùm quia omnes influentiæ Lunæ, & siderum essent igneæ, & nullæ frigidæ, & humidæ, quia illæ, si quæ sunt absumentur ab igne

X4 per

per cuius regionem transeunt

Tùm quia ignis deficiente pabulo, illico extinguitur, vt testatur experientia: assignare pabulum quo ignis elementaris in sua regione conservetur, est difficilimum. Tùm quia si tantus ignis in sua regione est constitutus, quomodo sua voracitate, nec aerem infra se inflammat, nec supra se corpus cōtinguum comburit.

7 Hæc facillima sunt ad 1. probat. anteced. quod negatur dicimus, cum Div. Thoma 1. p. quæst. 66. art. 1. ad vltimum: quod scriptura non nominat ignem, quia non est ita manifestum rudibus, quibus Moyses loquebatur, esse tale corpus, sicut est manifestum esse terram, & aquam.

8 Ad 2. dicimus: quod vnumquodque recipitur ad modum recipientis: potest enim vnum subiectum distans esse capax ad recipiendum effectum alicuius causa, quin subiectum medians talem effectum recipiat; sicut piscis stupefacit manum, & non rete medians, propter huius in capacitatem, & videmus etiam, quod orbes medij planetarum recipiunt à sole lumen, & non calorem; ita influentiæ Astrorum, quæ transeunt per sphęram ignis possūt in inferioribus causare frigiditatem, & humiditatem, & alias qualitates, quas non causant in igne propter huius incapacitatem.

9 Ad 3. dicimus: quod ignis in propria sphæra non indiget pabulo, quia est in loco sibi connaturali, in quo vt conservetur sua forma, & materia contentus est; at verò extra propriam sphæram, cum tot contrarijs concutiatur statim corrumpitur, & deficit, nisi pabulo, & nutrimento instauretur. Vel dicatur, quod apud nos nō invenitur ignis purè elementaris, sed admixtus extraneæ materiæ, & propter illius activitatem, & materiæ extraneitatem non recipitur in ea, vt in perpetuum conservetur, ideoque conservatur, vt potest, novum ignem generando; at vero in propria sphæra extranea materia non indiget, nec alterius generatione, vt conservetur.

10 Ad vltimam dicimus: quod elementa non invicem corrumpuntur, sed conservantur per virtutem corporum cęlestium, à quibus actiones eorum in propria sphęra regulantur, vt docet D. Thomas quæst. 5. de malo, artic. 5. ad 6. Præterquam quod non videtur inconveniens, quod ignis aliquam partem, aeris sibi proximam inflammet; vsque ad certam distantiam, corpus autem quod est supra ignem, cum sit cęleste, & incorruptibile, nequit ab igne alterari, aut corrūpi.

S.

§. II.

De qidditate, & numero primarum qualitatum.

11 SEnsibus percipimus, dari quatuor qualitates, videlicèt, calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, quæ quidem sunt formæ accidentales, & realiter inter se distinctæ. Circa quas inquires 1. quare dicuntur primæ qualitates?

12 Respond. Quia in linea qualitatum corporalium physicorum generabilium, & corruptibilium, istæ non reducuntur ad alias, sed potius aliæ omnes reducuntur, vt ex Philosoph. docet hic D. Thom. lect. vnde omnes aliæ qualitates corruptivæ, & alterativæ in istis inferioribus, resultant ex istis quatuor, vt ex principijs earum, sicut, odor, sapor, color, gravitas, levitas, durum, molle, & alia similia, quæ propriè conveniunt corporibus mixtis, sunt qualitates mixtæ resultantes ex qualitatibus simplicibus.

Tùm quia, sicut in genere generabilium elementa sunt, & dicuntur prima corpora, quia simplicia, ita in eodem genere illæ quatuor qualitates sunt, & dicuntur primæ, quia simplices. Tùm quia prædictæ quatuor qualitates primo deserviunt ad omnem generationem substantialem, & ad primam sensibilitatem, nempè tactus, sunt enim per se primo tangibiles, & tactus est primus sensus, & fundamentum cæterorum.

13 Inquires 2. An primæ qualitates sint activæ, vel passivæ? Respond. omnes illas esse activas, & passivas. Tùm quia sunt qualitates contrariæ, quæ agendo, & patiendo ab eodem subiecto mutuo se expellunt, vt infra dicemus. Tùm quia per mutuam actionem, reactionem, & passionem earum mixtum generatur, conservatur, & corrumpitur.

14 Nec dicas: Philosophum hic textu 9. & Divum Thomam ibidem lect. 2. docere: *Quod calidum, & frigidum sunt activa, humidum, & siccum sunt passiva.* Respondet Cum eodem Div. Thom. in 4. Metaphisic. lect. 1. in fine dicente: quod cum dicit Phisophus, quod duæ qualitates sunt activæ, & duæ passivæ; *intelligi debet quantum ad victoriam vnius supra aliam in corpore mixto, quia secundum se, quælibet sunt activa, & quælibet passiva cum sint contraria ad invicem.* Vnde in ordine ad constituendum mixtum, humidum, & siccum magis passivè, & materialiter se habent, quam calidum, & frigidum, & sic ea, in quibus humidum præ-

do-

dominatur, sunt vere passiva, quia facilius terminantur terminis alienis, vel retinent proprios terminos, vt sunt sicca.

15 Inquires 3. Quænam sunt primæ quatuor qualitates? Respond. diffinitionibus earum tradditis a Philosopho textu 8. & à Div. Thoma ibidem lect. 2. calidum est *Quod congregat homogenea sibi.* Frigidum, *quod congregat dissimilia, hoc est omnia, sivè eiusdem, sivè diversæ naturæ.* Humidum, *quod facile terminatur termino alieno, difficile proprio.* Siccum èconverso, *quod difficile terminatur termino alieno, facile autem proprio.*

16 Prædictæ diffinitiones, seu potius descriptiones intelligendæ sunt more physico, hoc est, quod quælibet qualitas per se loquendo, & quantum est ex se petit præstare illum effectum, quem explicat sua diffinitio, licèt per accidens, & ob indispositionem subiecti talem effectum non experiamur. Caliditas enim est potentia activa, quæ nata est congregare omnia consimilia, & per accidens segregat ætherogenea, vt patet in purificatione auri. Frigus congregat dissimilia, cum videamus, quod per coagulationem factam ab illo, aqua, terra, palea, & huiusmodi congregentur. In corpore humido, in aqua videlicèt videmus facile contineri alio corpore solido, difficile tamen se ipsa contineri posse. In corpore autem sicco videmus oppositum.

ARTIC. II.

Quæ qualitates, & quomodo cuilibet conveniat elemento?

17 Habemus in primis ex mente Philosophi, & D. Thomæ ab omnibus Philosophis communiter recepta, & experientia comprobata, quod cuilibet elemento conveniunt qualitates: ignis enim est calidus, & siccus: Aer calidus, & humidus; aqua frigida, & humida; terra frigida, & sicca. Hęc qualitatum distributio sumitur ex Philos. hic textu 16. & ex D. Thoma ibidem lect. 3. imò experientia ipsa sensuum comprobatur. Ex his ergo aliqua suboriuntur dubia, quæ breviter resolvemus.

§. I.

Aliqua dubia resolvitur.

18 DVbitabis 1. an vtraque qualitas conveniens cuilibet elemento illi conveniat ab intrinseco, & ex sua natura, an verò aliqua saltim conveniat impressa ab extrinseco agente?

Resp. quod si per ly *ab in-*

intrinseco, & ex natura sua, intelligatur idem, ac primo, & per se, aut ratione sui, & per ly *ab extrinseco agente*, intelligatur idem, ac secundario, & per participationem, & propinquitatem vnius elementi ad aliud. Dicimus conformiter ad dicenda dubitatione sequenti, quod cuilibet elemento vna sola qualitas convenit ab intrinseco, & ex sui natura; alia verò ab extrinseco. Si verò intellegatur, quod sola vna qualitas sit connaturalis cuilibet elemento, alia verò sit illi extranea, & ab extrinseco impressa, & non exacta ex propria illius natura, quod fuit intentum Galeni, & Senecæ; falsum est, quinimo in hoc sensu vtraque qualitas ab intrinseco cuilibet convenit elemento.

19 Dubitabis 2. An vtraque qualitas conveniens cuilibet elemento, conveniat illi in summo: an verò vna in summo, & alia citra summum.

20 Circa quod vere arbitrantur Philosophi etiam moderni, aliqui asserunt vtramque qualitatem convenire elementis in summo. Quod tribuitur Averroi, Galeno, & alijs antiquis, quibus ex parte adhærent. Bañez, PP. Comp. asserentes aeri nullam qualitatem convenire in summo, quamvis citra summum sit calidus, & humidus, & igni convenire in summo calorem, & siccitatem.

Communior verò sententia asserit singula elementa habere tantum vnam qualitatem in summo, & aliam citra summum, hac distributione, ignis est calidus in summo, & siccus citra summum. Aer est humidus in summo, & citra summum calidus; aqua est frigida in summo, & citra summum humida. Terra est summe sicca, & citra summum frigida. Hanc tenent communiter Philosophi intra, & extra Scholam D. Thomæ.

21 Vtraque tamen sententia reputatur probabilis à Mag. S. Thoma, quia pro vtraque est fundamentum in D. Thoma, & probabiles coniecturæ, & pro nulla assignabilis est ratio demonstrativa. Sed quia pro secunda sententia expressior est D. Thomas, & efficatiores sunt coniecturæ, ideo illam pro conclusione statuimus.

22 Probaturque 1. ex D. Thoma, in præsenti lect. 3. his verbis, *ostendit Philosophus quæ qualitas in quolibet elemento dominetur, dicens: quod elementa cum sint quatuor, & quodlibet habeat duas qualitates, non tamen habet eas æqualiter, sed in vnoquoque dominatur vna. In terra magis dominatur siccitas, quam frigiditas: in aqua magis frigiditas, quam humiditas: in aere magis humiditas,* quam

quam caliditas : in igne vero magis dominatur caliditas, quam siccitas. Quod adhuc expressius docet D. Thomas, lib. de sensu, & sensato, lect. 10. cuius verba clarissima sunt, & ob vitandam prolixitatem non transcribimus.

23 Prob. 2. ratione valde probabili; cuilibet elemēto debet convenire aliqua qualitas in summo, & nulli elemento possunt duæ qualitates in summo convenire : ergo vera est 2. sententia; ant. quoad primam partem Prob. tùm quia primæ qualitates debent habere aliquod subiectum connaturale, in quo sint cum omni perfectione illis debita, sed hoc subiectum aliud esse non potest, nisi elementum : ergo primæ qualitates petunt aliquód elementum, in quo sint in summo gradu suę perfectionis. Mai. patet, quia summa perfectio qualitatis sumitur per ordinem ad subiectum connaturale. min. etiam constat, quia tale subiectum nequit esse mixtum; in quo qualitates primæ sunt attemperatæ, & remissæ.

Tùm sic, sed subiectum connaturale primarum qualitatum non est præcisè vnum, vel duo elementa: ergo subiectum connaturale quatuor primarum qualitatum sunt omnia quatuor elementa; ac subinde quodlibet illorum habet aliquam qualitatem primam in summo.

Tùm quia omnia elementa sunt virtualiter in mixto, eo quod in isto derivantur quatuor primæ qualitates, quæ sunt elementorum virtutes, vt diximus quæst. antecedenti, sed si quælibet qualitas non esset in summo gradu in aliquo elemento, ab ipso non derivaretur qualitas ad compositionem mixti: ergo nullum est elementum, cui aliqua prima qualitas non cōveniat in summo. Prob. min. nam qualitas derivata ab elemento ad compositionem mixti, est in mixto modo imperfecto, & participato, reducibilis, & participata ab eo in quo est cum debita perfectione: ergo si prædicta qualitas, nec in elemento est cum debita perfectione, ab isto non derivaretur, nec participaretur ad compositionem mixti.

24 Secunda pars primi antecedent. prob. prima qualitas simplex in summo gradu est vltima dispositio naturalis ad formam substantialem corporis simplicis elementaris, vt patet in calore in summo, qui est vltima dispositio ad formā ignis, sed in eodem subiecto connaturaliter non possunt esse vltimæ dispositiones pro duabus formis substantialibus specie distinctis, & non subordinatis: ergo nec possunt esse in eodem

dem elemento, duæ qualitates primæ in summo.

25 Tertio proba. nostra resoluto, in particulari, tribuendo cuilibet elemento qualitatem sibi in summo correspondentem naturali quadam congruentia. Igni enim nobilissimo elementorum, sicut correspondet nobilissimus locus, ita debet correspondere nobilissima inter primas qualitates, quæ est calor propter suam activitatem, & ex consequenti siccitas iam consumpta humiditate propter excessum caloris.

Aeri autem, qui in nobilitate, loco propinquior est igni competit humidum, quod est nobilius inter qualitates passivas, & ex consequenti caliditas ex affinitate ad ignem: ergo igni, & aeri calor, & humiditas conveniunt in summo, & siccitas igni, & caliditas aeri. Solum ex consequenti.

Aqua autem, quæ maxime contrariatur igni, habet frigiditatem in summo, vt cum summo calore ignis possit pugnare, & ex consequenti est humida ex propinquitate ad aerem. Denique terra propter eius soliditatem, & duritiem, facile terminatur termino proprio, difficile autem alieno, in quo natura sicci consistit; ex consequenti tamen, & ex propinquitate ad aquam est frigida: ergo terra est summe sicca, & citra summum frigida.

Hanc distributionem qualitatum latè explicat D. Thomas, lib de sensu, & sensato supracitato, quam nos ad summam reduximus, ex illaque constabit quam expressus sit D. Thomas pro nostra, & communiori sententia.

26 Contra quam oppones 1. terræ convenit summa frigiditas: ergo ex hac parte distributio qualitatum à nobis facta non tenet. Prob. anteced. tùm quia terra maximè distat à cœlo, cuius lux, & motus est causa caloris: sed quod maximè distat à calore, est maximè frigidum: ergo. Tùm quia terra inter elementa maximè distat ab igne, qui est summe calidus: ergo terra est sume frigida.

27 Comfirm. summa frigiditas non convenit aquæ: sed non est aliud elementum, cui conveniat nisi terræ: ergo terra est summe frigida, & non aqua. Min. cum consequentia tenet, & mai. Prob. si aqua naturaliter esset summe frigida, naturaliter esset congelata; cum congelatio proveniat ex excessu frigiditatis; sed aqua naturaliter non est congelata, cum naturaliter sit fluida: ergo aqua naturaliter non est summe frigida, sed terra.

28 Resp. quod sicut est duplex calor, alter elementaris, qui

qui provenit ab igne, alter cælestis, qui in his inferioribus à cælo causatur; ita est duplex frigiditas, alia elementaris dimanans ab elemento ratione suæ formæ, & ab intrinseco. Alia cælestis, & extrinseca ex influxu cælestium corporum: & hac secunda frigiditate terra est magis frigida, quam aqua licèt frigiditate intrinseca, & elementari, aqua sit terra frigidior.

29 Per quod patet ad argumentum. Negando antec. ad primam probationem, dicimus; quod terra ex illo capite, est frigida frigiditate desumpta ex influxu, vel carentia influxus corporum cælestium, non tamen frigiditate intrinseca, & elementari. Per quod patet ad secundam probationem.

30 Ad confirm. dicimus, quod congelatio non fit sola frigiditate, sed fit cum frigiditate admixta cum siccitate conveniente aquæ ex eo, quod est non in sua puritate, sed cum admixtione vaporum ipsius terræ; vnde sicut talis admixtio non est connaturalis aquæ, ita nec illius congelatio.

31 Oppones 2. aqua humidior est quam aer: ergo ex hac parte nostra resolutio defficit. Pro. ant. tùm quia, ad sensum videmus res magis humectari ab aqua, quam ab aere; tùm quia aer est magis exliccativus, quam aqua, cum videamus res ab aqua humectatas exiccari ab aere, & non èconttra.

32 Resp. neg. antec. ad probationes sumptas ex experientia dicimus; quod aer apud nos solet esse mixtus, vel substantialiter, vel qualitativè, & idem dicendum est de aqua, quia convenit conservationi mixtorum, quod elementa, quæ apud nos sunt, non sint in sua puritate, sed vel substantialiter mixta, vel admixta qualitatibus extrinsecis aliorum elementorum, aut derivatis ex influxu astrorum. Ex quo provenit, quod nec in aqua, nec in aere experiamur qualitates in ipsis prædominantes.

34 Quæ continentur in his duobus argumentis desumunt Authores contrarij ex D. Thoma in præsenti lib. lect. 3. citata in favorem nostræ sententiæ. Cum autem D. Thomas, in eadem lect. non possit esse sibi contrarius, & sit clarius pro nostra sententia, vt vidimus; cum adducitur pro contraria, exponendus est modo quo à nobis exponitur in solutione, quam duplici argumento dedimus, quam congruere menti D. Thomæ, constabit legenti textum illius lectionis.

(§)

§. II

Aliud dubium resolvitur.

34 DVbitabis 3. verùm qualitas conveniens elemento citra summū, habeat permixtionem contrariæ? Affirmant plures vt Capræolus, Marsilius, Astudillo, Coninb. & vt probabilem tenent Bañez, & Mag. à S. Thoma.

35 Negant plures; & communiter ex antiquis, & modernis, quibus adhæremus. Probaturque 1. quia iuxta Philosophum, & D. Thomam, locis supracitatis, duplex tantum qualitas cuilibet convenit elemento; sed hoc non esset verum, si remissa haberet actu, ab intrinseco, & permanenter per mixtionem contrariæ: ergo.

36 Secundo; permixtio qualitatum contrariarum est propria corporis mixti, vt distincti ab elementari, & simplici: ergo qualitates contrariæ per mixtæ nulli possunt convenire elemento. Ant. patet nam vt vidimus quæst. præc corpus esse mixtum est esse vnum compositum ex elementis, non substantialiter permanentibus, sed accidentaliter ratione qualitatum contrariarum permixtarum.

37 Nec obstat 1. in mixtis vna qualitas remittitur quànto contraria intenditur: ergo in elementis, qualitas remissa est talis, quia actu habet qualitatem contrariam.

38 Non inquam obstat, sed negatur consequentia, quia in mixtis qualitates resultant ex mutua actione, & passione miscibilium, & sic qualitates passivæ, & activæ permiscentur; elementa verò, non per actionem, & passionem habent suas qualitates, sed per simplicem naturalem emanationem; vnde status summus, vel remissus suarum qualitatum naturalium dimanat à forma illorum, non verò sumitur à qualitate contraria existente; vel non existente.

39 Nec obstat 2. quod corpus, quod est capax vnius contrarij, debet esse capax alterius: ergo si elementum in statu naturali est capax qualitatis remissæ, manens in eodem statu, erit capax qualitatis contrariæ.

40 Non inquam obstat, quia licèt elementum sit capax contrariarum qualitatum via corruptionis; non tamen est capax in statu connaturali, quia illius forma, prout distincta à forma mixti, petit ad sui naturalem conservationem simplicitatem qualitatum, hoc est, quod qualitates quibus conservatur actu in ipso non exerceant

ceant contrarietatem, quam exercent qualitates contrariè permixtæ.

ARTIC. III.

An, & quomodo detur transitus de vno elemento ad aliud?

41 LOquimur de transitu transmutativo, & generativo vnius elementi ex alio. Loquimur etiam de transitu non totali, & adæquato vnius elementi in aliud, quia hic petit, quod elemētum, quod transit totaliter, & adęquatè corrumpatur, quæ corruptio adæquata elementi est contra ordinem exactum ab universo postulantem conservationem elementorum omnium, quæ sunt partes principales illius. Loquimur ergo de transitu elementi secundum aliquam sui partem.

42 Supponimus elementa, alia esse symbola, alia dissymbola. Appellātur symbola, quæ conveniunt in vna qualitate, vt ignis, & aer, qui conveniunt in calore: & aqua, & terra, quæ conveniunt in frigiditate. Dicuntur verò dissymbola, quæ in nulla qualitate conveniunt, sed potius in vtraque opponuntur, vt ignis, & aqua, ille enim est calidus, & siccus, hæc verò frigida, & humida. Similiter aer, & terra, quia ille est calidus, & humidus, hæc autem frigida, & sicca.

43 Hoc supposito difficultas præsens sistit in duobus; primum est; an quodlibet elementum possit generari ex quolibet immediatè? (nam quod vnum elementum queat in aliud saltim mediate transire, adeo certum est, vt discussione non egeat: nulla enim repugnantia apparet in eo, quod aqua convertatur in vaporem, & vapor in aerem, & sic de alijs elementis.) Secundum in quo est difficultas sistit in eo; an scilicèt supposito, quod vnum elementum possit immediatè transire in aliud, facilior sit transitus inter elementa symbola, quam inter dissymbola?

§. I.

Prima conclusio.

44 *QVodlibet elementum potest immediatè generari ex quolibet alio elemento;* Conclusio est Philosophi, & D. Thomæ in hoc lib. textu 25. lect. 4. qui absolute proferunt quodlibet elementum generari ex quolibet, ad quod non sufficit trāsitus mediatus vnius in aliud: sicutquia homo solum mediate fit ex homine, nempè medio semine, & alijs, non dicitur absolute hominem posse transire in hominem, vel ex homine fieri.

Phi-

45 Philosopho, & D. Thomæ adhærent communi Philosophi contra Valles, Rubio, Arriaga, & alios asserentes, vel quodlibet elementum non posse immediatè transire in quodlibet, vel adminus elementa dissymbola.

46 Probat. ergo conclusio nostra ratione 1. elementa ideo sunt transmutabilia, quia sunt contraria; sed sunt immediatè contraria, vel in omnibus, vel saltim in aliqua qualitate: ergo possunt ad invicem immediatè transmutari.

47 Secundo; quodlibet elementum potest generari ex quolibet aliquo modo; sed elementum ex alio genitum per se non petit vt introducatur alia forma prius in materia, quam in tali materia propria forma introducatur: ergo potest quodlibet elementum immediatè ex quolibet generari. Probatur min. Tùm quia forma elementi geniti eiusdem rationis est, sivè mediet forma huius, vel illius elementi: ergo forma elementi geniti per se non petit, quod in sui materia prius introducatur forma alterius elementi.

Tùm quia forma elementi propter suam imperfectionem est immediatior potentialitati materiæ: ergo vt in illa introducatur non petit, quod mediet alia forma. Probat. con seq. ideo inter materiam primam, & formam animalis perfecti, mediant tot generationes, totque formæ imperfectæ, quia forma animalis propter suam perfectionem multum distat ab imperfectione materiæ, & hæc distantia superatur per generationes medias formarum imperfectarum: ergo si forma elementi est imperfectissima, & parum distans ab imperfectione materiæ per se non petit, vt in illa introducatur, quod mediet alia forma, ac subinde poterit forma elementi immediatè informare materiam elementi corrupti.

48 Sed oppones 1. Ignis immediatè non potest transire in aquam: ergo quod libet elementum non potest immediatè generari ex quolibet: probatur anteced. Tùm quia si flamma extinguatur ab aqua non ideò convertitur in aquam: tùm quia, si Titio accensus mergatur in mare non ideò transivit immediatè in aquam.

49 Confirm. experientia aliorum elementorum, quia aqua numquam in ignem convertitur, sed in vapores dissolvitur, nec ignis in se immediatè convertit aerem; alias ignis in fornace non periret defectu pabuli.

59 Confirm. 2. in

terra non est activitas vt immediatè in se convertat aerem: quod patet, tùm quia nunquam aer visus est augeri terra. Tùm quia aer, quì est in foraminibus terræ, numquam in terram convertitur. Nec denique terra iniecta in aquam cõvertitur in illam: ergo sistendo in experientia, quæ magistra est philosophiæ quodlibet elementum non potest immediatè generari ex quolibet.

51 Respondet. hoc argumento sumpto ab experientia solum probari, quod nos non negamus, nempè, quod ex aliquibus elementis præsertim dissymbolis non fit regulariter generatio immediata vnius ex alio, vel propter parvam quantitatem, vel minimam activitatem elementi agentis, vel propter indispositionem elementi recipientis, vel propter alias conditiones ad agendum requisitas, licèt non semper necessarias, vt sunt condensatio, rarefactio, & hujusmodi. Non tamen probat. quod numquam posit fieri immediatus transitus de vno elemento in aliud, vt cum aqua parva v.g. conijcitur rogum, ibi nec est exhalatio vaporum, nec generatio aeris, sed immediata productio ignis in materia aquæ.

52 Oppones 2, elementa dissymbola habent qualitates contrarias in summo: ergò cum agant successivè, prius introducent qualitates pro forma, vel alterius elementi, vel alicuius mixti, quam pro forma elementi sibi extremè contrarij.

53 Confirm. quia de extremo ad extremum non fit transitus nisi per medium; sed elementa dissimbola sunt extrema: ergo illis non fit transitus immediatus.

54 Respondetur ad argumentum, quod propter maximam activitatem elementi dissymboli v.g. ignis, potest iste materiam aquæ propinquam citissime in se convertere. Nec quælibet qualitas citra summam, est dispositio proportionata pro forma mixti, sed solum cum est in debito temperamento, & proportione cum alijs qualitatibus: vnde facilius introducitur forma elementi in materia alterius elementi dissymboli, quam forma mixti.

56 Ad confirmat. dicimus, quod illa maior tenet, vel in motu locali, vel in generatione corporum mixtorum perfectorum, puta animalium; secus verò in generatione simplicium corporum propter immediatam capacitatem materiæ ad formam elemen-

menti imperfectissimam. Vel solum probat, quod de vno elemento extremo ad aliud sit difficilior transitus vt dicemus conclusione sequenti, non verò quod sit impossibilis.

§. II.

Secunda Conclusio.

56 F*Acilior est transitus inter elementa symbola, quam inter dissymbola.* Conclusio est Philosophi in præsenti textu 25. & Div. Thomæ ibidem lect. 4. & breviter probat. 1. quæ magis conveniunt informis substantialibus, magis etiam conveniunt in dispositionibus ad illas requisitis; sed elementa symbola magis conveniunt in formis substantialibus, quam elementa dissymbola: ergo magis conveniunt in dispositionibus, ac subinde erit facilior transitus. Maior patet: quia dispositio ad formam sequitur naturam illius. Et minor etiam constat ex qualitatibus ab illis dimanantibus, in quibus est maior convenientia, & ex quibus colligitur convenientia formarum.

57 Secundo: inter elementa symbola non est necesse transmutari, nisi tantum alteram qualitatem: at verò inter dissymbola, cum in nulla qualitate conveniant vtramque qualitatem necesse est transmutari, cum ex illis fit generatio, sed facilius est vnum transmutari, quam plura; ergo facilior est transitus inter elementa symbola, quam inter dissymbola.

58 Sed oppones 1. transmutatio elementorum fundatur in contrarietate qualitatum, vt supra diximus: ergo vbi maior est contrarietas, erit facilior transmutatio; sed inter elementa dissymbola est maior contrarietas qualitatum, quam inter elementa symbola: ergo inter illa erit facilior transitus.

59 Confirmat. experientia: nam guttæ aquæ iniectæ in ignem faciunt, vt magis ardeat; & facilius convertuntur in ignem, quam particulæ terræ, & tamen ignis, & terra sunt elementa symbola; ignis verò, & aqua dissymbola: ergo.

60 Neg. prima conseq. Quia licet contrarietas qualitatum sit conditio ad agendum exacta ad actionem, & reactionem, & vt vnus terminus deseratur, & alter adquiratur; non tamē est conditio facilitans transitum, sed potius retardans: facilitas enim fundatur

in victoria agentis supra passum, quæ victoria facilior est, dum est maior activitas agentis, & minor resistentia passi; est autem minor resistentia, vbi est maior convenientia.

61 Ad Confirma. dicimus, quod gutta aquæ facit ignem magis ardere per accidens propter Antiparistasim supra à nobis explicatam. Quod autem particula terræ difficilius transeat in aquam, quam guttæ aquæ, tenet solum verum, si cætera non sint paria, falsum verò est, si cætera sint paria, hoc est, si particula terræ esset eiusdem magnitudinis, & raritatis, ac est gutta aquæ, quia licèt particula terræ videatur eiusdem magnitudinis cum gutta aquę, nihilominus propter illius maiorem densitatem, implicat plures portiones materiæ, & quantitatis, quam gutta aquæ; atque ideò plus resistit igni, quam aqua.

62 Oppones 2. in generatione cuiuslibet elementi symboli, aut dissymboli fit resolutio vsque ad materiam primam: ergo in corruptione cuiuslibet elementi symboli, aut dissymboli, vtraque qualitas corrumpitur, & consequenter ex hac ratione male probatur, quòd sit difficilior transitus inter elementa dissymbola quam inter symbola.

63 Neg. vltima consec. Quia licèt ad corruptionem cuiuslibet elementi necesse sit vtramque illius qualitatem corrumpi, tamen quia qualitas symbola minus resistit, imò nullo modo resistit; contraria verò, & dissymbola maximè resistit; ideo facilior est transitus inter symbola quā inter dissymbola: solutio est expressa in Divo Thoma lect.4. supra citata.

ARTIC. IV.

An, & quomodo qualitates contrariæ se expellant, aut compatiantur in eodem subiecto?

64 DE hac difficultate prout comprehendit omne genus qualitatum contrariarum, latè disputant Metaphisici, & Theolog. Nos verò de hoc puncto breviter disputamus, nempè quantum præcisè suff[icit] ad intelligendam elementorum contrarietatem.

§. II.

Certa præmittuntur.

65 Contraria diffinivit Philosophus. 10. Metaphisicę

cap.

cap. 6. quod sunt ea, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* Recta, & abundans intelligentia huius diffinitionis, & naturæ contrariorum, prout distinguntur ab oppositis alijs generibus oppositionum pertinet ad Metaphisicos.

66 Pronunc sufficiat nobis scire 1. quod contrarietas licèt originetur ob oppositione contradictoria, & privativa, aliquid tamen speciale addit supra illas, scilicèt, quod versetur inter extrema positiva, & quod inter ea inveniatur medium, quia inter illa debet esse maxima distantia, & latitudo; ita quod ab vno ad aliud non veniatur ordinatim nisi per media, ex quo infertur, quod inter contraria physica propria (de quibus nunc solum loquimur) debet esse distantia determinata vincenda per motum, & per modum cuiusdam continuitatis, & divisibilitatis. Per quod excluduntur à propria ratione contrariorum formæ substantiales (licèt contineantur sub eodem genere, & inter se maximè distent.) Excluduntur etiam opposita privativè, & contradictorie. Tùm propter carentiam distantiæ vincendæ per motum divisibilem. Tùm propter carentiam medij. Tùm denique propter carentiam rationis positivæ in vtroque extremo.

67 Secundo sufficiat nobis scire, quod contraria propria debent recipi in eodem subiecto, hoc est, quod subiectum capax vnius contrarij debet etiam esse capax alterius, quia contraria nata sunt versari circa idem, & difficultas procedit quomodo à tali subiecto expellantur, aut in illo compatiantur?

Manifestũ enim est, contrarias qualitates mutuo se expellere ab eodẽ subiecto, teste experiẽtia quotidiana, & diffinitione cõtrariorũ conveniente prædictis qualitatibus; restat ergo difficultas; an prædicta repugnãtia, & expulsio fiat ab ipsis qualitatibus ratione suarũ entitatũ? An solũ ratione gradus, & status, quẽ habẽt in subiecto, nẽpè ratione intẽsionis, aut remissionis?

68 Manifestum etiam est, quod qualitates contrariæ in gradibus intensis ex natura rei repugnant esse simul in eodem subiecto. Tùm experientia, qua videmus, quod crescente calore expellitur frigus. Tùm ex diffinitione, nempe quod ab eodem subiecto mutuo se expellunt, quod ad minus debet verum esse, cum vnum contrarium perfectè sibi subijcit subiectum media sua intensione. Tùm quia motus est inter contraria, per quem vnum debet adquiri, & aliud relinqui, ac subinde tot gradus adquiruntur in termino *ad*

quē, quod relinquitur in termino *à quo*, & sic in termino *ad quē* omnes gradus vnius qualitatis cõtrariæ sunt adquisiti: in termino *à quo* omnes gradus alterius qualitatis sunt relicti, & ipsa totaliter expolia à subiecto.

69 Denique iam apud Recẽtiores Philosophos, vt manifestũ supponitur, quod cõtrariæ qualitates in gradibus remissis defacto sæpe simul reperiuntur in eodẽm subiecto (quãvis aliqui ex ãtiquis hoc negaverint) quia sic expresse habetur in Philosopho 4. Metaphisicæ textu 27. dicente: *Quod impossibile est contraria simul eidem in esse; sed aut ambo secundum aliquid.* Ideſt in gradibus remissis. Et in Div. Thoma quæst. 8. de Verit. artic. 14. dicente: *Quod quando sunt formæ in fieri, possunt esse simul, vt dũ aliquis de albatur, adhuc est in nigredine.*

70 Constatque ex dictis in fine lib. præced. tùm quia aliter non verificatur virtualis permanentia quatuor elementorum in mixto nisi qualitates contrariæ illorum temperatæ, & in gradibus remissis in illo compatiantur. Tùm quia aliter non poterit agens repati in agendo, quia actio, & repassio consistit in eo, quod agens habeat formam, seu qualitatem, qua agat, & recipiat oppositam qua patiatur; sed non in gradibus intensis, quia ipsa actione, & repassione debilitantur: ergo in gradibus remissis.

71 Constat etiam ratione à priori, quia istæ qualitates habent latitudinem in actuando, & perficiendo subiectum, & videmus, quod non statim, ac vna actuat subiectum imperfectè, & remisse, contrariam expellit; sed iuxta gradus quos ipsa adquirit aliam destruit. Ita vt tot gradus secum admittat de forma contraria, quod ipsa distat à summo gradu suæ perfectionis; Et consequenter compatiuntur in gradibus remissis.

72 Quin obstet diffinitio contrariorum conveniens prædictis qualitatibus, adhuc in gradibus remissis, nimirum, quod ab eodem subiecto mutuo se expellant. Non inquam obstat: quia verba diffinitionum non dicunt actum; sed aptitudinem, & ita sensus diffinitionis est, quod actu se expellant dum sunt in debito statu, & quod in quocumque statu sint apta ad se expellendum. Præterquamquod adhuc in gradibus remissis mutuo se expellunt, saltim imperfecto, & quasi in fieri, quia si vnus gradus frigoris introducitur, alter caloris excluditur.

Hæc cum certa sint, vel ad minus in illis sit parum difficultatis. Tota difficultas reducitur ad hoc vt videamus, An qualitates contrariæ ingradibus intensis de potentia Dei absoluta possint esse simul in eodem

dem subiecto? Advertendo prius; Tùm quod procedit non de qualibet intensione, sed de summo gradu intēsionis vtriusque qualitatis contrariæ.

Tùm quod procedit de eodem subiecto non materialiter, & entitatiuè, sed formaliter,& in eadem sui parte, hoc est, quod eadem potentialitas formalis subiecti sit indifferens ad vtramquè qualitatem contrariam, & inquirimus, An sicut dicta potentialitas subiecti potest successivè actuari qualitatibus contrarijs summe intensis, possit etiã simul illis actuari de potentia Dei absoluta?

§. I.

Vnica Conclusio.

73 *Qualitates contrariæ in summo gradu suæ intensionis nec de potentia Dei absoluta possunt esse simul in eodem subiecto.* Contrarium huius tenent Magister à Sancto Thoma, Prado, & alij; sed nostra resolutio est etiam plurium Thomist. tàm Philosophorum, quam Theologorum,& cum maximo fundamento in Philosopho, & D. Thoma; tùm 4. Metaphisicæ text. 27.lect.15. Tùm secundo contrag. c. 25. & alijs in locis.

Ratione prob.1. conclusio deducta ex Philosopho,& Div. Thoma locis citatis. Nec Divinitus fieri potest quod duo contradictoria, vel priuatiuè opposita sint simul; sed esse vnius formæ contrariæ in summo gradu includit non esse alterius sibi contrariæ, vel illius privationem: ergo nec divinitus fieri potest,quod duo contraria in gradibus intensis sint simul. Probatur min. ex ipsa natura contrarietatis,aqua non potest separari esse,& non esse saltim implicite in contrarijs, actu,& infacto esse exercentibus contrarietatem, qualia sunt contraria in gradibus intensis.

Dices: contraria includere oppositionem contradictoriam,aut privativam, tantum mediatè, consequutive, & secundario, aut ex natura rei; non tamen primo,& per se, & essentialiter.

Contra est 1. esse vnius formæ contrariæ in summo; primo per se, & essentialiter includit non esse, vel privationem alterius in subiecto: ergo solutio est nulla.Probatur antecedens: esse vnius formæ contrariæ in summo, primo per se,& essentialiter includit subiectum esse actuatum ab ipsa, quantum actuabile est à tali forma; sed hoc ipso primo, & per se, & essentialiter includit non esse, seu privationem alterius formæ contrariæ: ergo: Mai.est certa: nam hoc est actuari subiectum à forma in summo gradu;minor verò probat. Nam subiectum actuatum ab

vna forma contraria quantum actuabile est, non remanet actuabile in sensu composito ab alia forma contraria: ergo si subiectum summe calidum v, g. primo, & per se, & essentialiter includit esse actuatum à calore, quantum actuabile est, etiam primo, & per se, & essentialiter includit non esse, vel privationem frigoris. Probatur antecedens: Nam vt adverti mus supra eadem est formaliter potentia subiecti respectu vtriusque formæ contrariæ: ergo si ab vna actuatur quantum actuabilis est, non manet actuabilis in sensu composito ab alia forma contraria.

74 Contra 2. potentia subiecti actuata à frigore eademmet est actuabilis à calore, vt supra diximus, alias formæ contrariæ non versarentur circa idem formaliter: ergo potentia subiecti actuta à frigore, non est actuata (à calore, quantum actuabilis est ab ipso cum remaneat actuabilis à frigore) ergo potentia subiecti actuata à frigore nequit habere calorem in summo. Patet hæc vltima consequent. ex dictis, quia calor iu summo actuat subiectum, quantum actuabile est, ac subinde cum subiectum cum calore est actuatum frigore, sicut non manet actuatum à calore, quantum actuabile est, ita nec manet actuatum à summo calore.

75 Tertio: subiectum sub ea ratione qua est capax caloris, est etiam capax frigoris vt dictum est: ergo subiectum summe calidum primo per se, & essentialiter includit non esse frigoris. Probat. consequent. subiectum summe calidum primo per se, & essentialiter includit, quod capacitas quam habet ad vtramque formam contrariam sit complete, & adæquatè actuata à calore: hoc enim essentialiter dicit summus calor: sed capacitas subiecti indifferens ad aliquas formas cōplete actuata ab vna primo per se, & essentialiter includit non esse alterius: ergo subiectum summe calidum primo per se, essentialiter includit non esse frigoris. Probatur min. quia capacitas materiæ prima eadem est, & indifferens ad omnes formas sublunares, semel quod materia sit complete actuata ab vna forma primo per se, & essentialiter includit non esse vel privationem alterius: ergo pariter.

Dices: quod materia actuata ab vna forma dicit essentialiter negationem alterius, quia de ratione formæ substantialis est dare primum esse, & repugnat quod duæ formæ dēt primum esse.

76 Contra est: sicut repugnat quod materia primo actuata ab vna forma, eadem-

met primo actuetur ab alia; ita repugnat quod capacitas subiecti complete, & adæquatè actuata ab vna forma, eademmet completè & adequatè actuetur ab alia, quia non minus id quod dat primum esse essentialiter excludit aliud primum esse; quam id quod actuat adæquatè essentialiter excludit ab eadem potentia alterum actum adæquatum, ergo disparitas inter capacitatem materiæ ad plures formas specie distinctas, & capacitatem subiecti ad formas contrarias adæquatè actuantes eandemmet sui potentialitatem nulla est.

77 Secundo probatur conclusio: subiectum actu summe calidum, & actu frigidum primo per se, & essentialiter includit esse summe calidum, & non esse summe calidum; sed hæc sunt contradictoria: ergo duæ qualitates contrariæ in summo primo per se, & essentialiter includunt duo contradictoria. Probatur mai. subiectum actu frigidum non est summe calidum: ergo tale subiectum esset summe calidum, & non esset summe calidum. Probatur antecedens: subiectum sub ea ratione, qua est capax caloris, & non est calidum, non est summe calidum; sed potentia subiecti sub ea ratione, qua est actu frigida, est capax caloris, & non est calida; ergo subiectum actu frigidum, non esset summe calidum. Maior patet: minor verò quoad primam partem constat ex dictis, alias non esset eadem potentia, & capacitas ad vtramque qualitatem contrariam. Quoad secundam partem videtur etiam certa, quia potentia subiecti ea ratione qua est actu frigida, non est actu calida.

§. III.

Diluuntur argumenta.

78 Obijcies 1. Contraria sūt formæ positivæ: ergo ex vtriusque simultanea positione, non sequitur contradictio immediatè, & per se primo, sed solum mediate consequutivè, & secundario; sed effectus secundarius formæ positivæ potest à Deo impediri: ergo de potentia Dei absoluta duæ qualitates contrariæ in summo possunt esse in eodem subiecto.

Confirm. expulsio vnius formæ contrariæ ab alia consequitur ad informationem ipsius formæ expellentis in subiecto; ergo talis expulsio est effectus secundarius licèt sequutus ad ipsam formam per modū propriæ passionis; sed Deus potest ponere formam sine passione ad illam consequuta: ergo

go potest ponere formam contrariam in summo sine expulsione alterius à subiecto.

79 Negatur Prima conseq. nam etiam duæ formæ substantiales sunt formæ positivæ & tamen ex earum simultanea positione in materia, sequitur contradictio immediatè, & per se primo: similiter habitus fidei, & scientiæ sunt formæ positivæ, & illis per se primo, & immediatè convenit incompatibilitas. Formæ autem contrariæ reduplicato statu suæ perfectionis, quamvis sint formæ positivæ, includunt incompatibilitatem primo per se, & essentialiter, vt probatum est; licèt illis secundum se præscindendo ab statu, expulsio, & incompatibilitas conveniant solum ex consequenti.

8 Perquod patet ad confirm. distinguendo antec. sequitur ad informationem formæ expellentis consideratæ secundum se, & quoad entitatem præcisè, conced. ant. consideratæ in summo gradu suæ perfectionis neg. ant. vel illud subdistingo, sequitur sequæla essentiali conced. ant. (ad modum quo ad informationem vnius formæ substantialis consequitur expulsio alterius in materia) sequitur sequæla solum connaturali, & ad modum propriæ passionis neg. ant.

81 Obijcies 2. stat vnam qualitatem complete actuare capacitatem subiecti, & quod Deus actuet eandem capacitatem alia qualitate contraria: ergo ex hac ratione non infertur qualitates contrarias in summo non posse esse in eodem subiecto. Prob. ant. stat vnum corpus adæquatè replere aliquem locum, & quod Deus collocet alium corpus in eodem loco: ergo pariter.

Neg. ant. ad probationem neg. conseq. disparitas consistit in eo, quod impenetrabilitas est effectus secundarius corporis quanti non habens essentialem connexionem cum primario conceptu quantitatis, imò nec cum secundario, nempe extensione in ordine ad locum: expulsio verò vnius formæ contrariæ ab alia in eodem subiecto, licèt sit effectus secundarius formæ expellentis, & non connexus essentialiter cum illa considerata secundum se, est tamen essentialiter connexus cum illa considerata sub statu summo suæ perfectionis, in quo statu est essentialis repugnantia inter predictas formas, vt probatum est.

83 Obijcies 3. licèt qualitas summe intensa adæquet capacitatem naturalem subiecti, non tamen obedientialem: ergo non est vnde sint incompossibiles qualitates contrariæ in gradibus intensis saltim

tim de potentia Dei absoluta.

Resp. quod illa capacitas obedientialis posito summo calore in subiecto, vel esset capacitas ad recipiendum plus caloris, vel ad recipiendum solum frigus. Si hoc secundum est extra rem, quia iam calor, & frigus non essent in eadem capacitate subiecti. Si primum; calor summus poterit crescere in illo subiecto, & adæquare capacitatem obedientialem illius, & de subiecto sic summe calido procedit eadem difficultas; an scilicèt posit esse summe frigidum; cui respondemus eodem modo cum sint eędem rationes, & sine recursu ad capacitatem obedientialem. Præterquamquod non est capacitas obedientialis ad ea, quæ essentialiter includunt contradictionem, quam probavimus includere contraria in gradibus intensis.

QVÆST. IX.

De temperamento mixtorum.

POstquam cum Philosopho egimus de generatione elementorum, restat, vt de generatione compositorum ex elementis tractemus, quæ composita dicuntur mixta, quorum ocasione de temperamento illorum disputant Philosophi, præsertim Medici; cum hac tamen differentia, quod naturalis Philosophi solum est disputare de temperamento mixtorum in communi; Medicorum verò erit in speciali de temperamento corporis humani dissercre.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex sit temperamentum?

1 NOmine temperamenti intelligimus moderationem plurium inter se discordantium, vel id quo aliqua inter se distantia ad mediocritatem reducuntur; vnde inter Authores nobiscum negantes elementa manere formaliter in mixto, & afirmantes manere solum virtualiter ratione suarum qualitatum formalium, quæ sunt elementorum virtutes, temperamentum propriè significat proportionem quatuor primarum qualitatum, quia cum hac proportione forma mixti conservat in se virtutes elementorum, quibus, & ipsa forma conservatur.

2 Supposita notitia vocis, & naturæ temperamenti prout attinet ad Philoso-

phum

pium naturalem, procedimus ad illius divisionem, soletque partiri *in vniforme, & difforme*. Temperamentum vniforme, dicitur illud, in quo omnes quatuor qualitates habent eundem gradum intensionis: quod etiam solet appelari temperamentum æquale ad pondus, quia in eo omnes qualitates æquasi ponderæ librantur, vt si aliquod corpus haberet quatuor gradus caloris, quatuor frigiditatis, quatuor humiditatis, & quatuor siccitatis. Hoc autem temperamentum nequit in alia membra sub dividi, quia omnimoda æqualitas consistit in indivisibili.

3 Temperamentum autem difforme, est illud, in quo primæ qualitates à perfecta æqualitate recedunt, eo quod vna, vel plures dominatur alijs. Hoc autem temperamentum difforme sub dividitur in simplex, & compositum. Simplex est, in quo vna tantum qualitas excedit alias; si calor sit vt quinque, & ex reliquis qualitatibus, quælibet sit vt tres; rursus hoc simplex temperamentum dividitur in alia quatuor, iuxta numerum ipsarum qualitatum.

4 Temperamentum verò compositum dicitur, in quo duæ qualitates, alijs duabus dominantur, partiturque in quatuor membra iuxta quatuor conbinationes factas ex primis qualitatibus. Si enim excedant calor, & siccitas dicitur temperamentum igneum, & in animalibus cholericum. Si excedant calor, & humiditas, dicitur aereum, & in animalibus sanguineum. Si excedant humiditas, & frigiditas dicitur aqueum, & in animalibus Phlegmaticum. Si denique excedant frigiditas, & siccitas, dicitur terreum, & in animalibus melancholicum. Ad hæc enim temperamenta reducuntur alia, quæ possunt accidere iuxta varios excessus prædictarum qualitatum.

5 Nec obstat; quod de ratione temperamenti est aliqua æqualitas, quæ in temperamento difformi non reperitur. Non inquam obstat? quia temperamentum simplex, & compositum in quæ dividitur temperamentum difforme important æqualitatem aliquam, diversimode tamen, ac temperamentum vniforme: hoc enim habet qualitates æquales, æqualitate rei ad rem, & gradus ad gradum; quæ solet vocari æqualitas arithmetica. Temperamentum verò difforme habet qualitates æquales æqualitate proportionis, seu Geometrica; habet enim qualitates in eo gradu, & tempere, quæ debetur mixto iuxta exigentiam illius, licet non omnes gaudeant co-

eodem gradu. Propter quod solet dici temperamentum iustitiæ: sicut iudex dicitur servare æqualitatem, distribuens præmia inæqualia, quia illa confert iuxta proportionem, & exigentiam meritorum inæqualium. Hæc de natura, & divisione temperamenti.

ARTIC. II.

Vtrùm sit dabile temperamentum æquale ad Pondus?

SVpponimus in præsenti non solum esse possibile, sed etiam defacto dari temperamentum difforme in mixtis; & inquirimus, an sit posibile naturaliter temperamentum (quia super naturaliter non repugnare non dubitamus) æquale ad pondus?

§. I.

Vnica conclusio.

6 N*On est dabile naturaliter temperamentum æquale ad pondus*, est communior Philosophorum, præcipuè Thomistarum contra aliquos ex antiquis, præcipuè Medicis. Colligiturque nostra conclusio ex Philosopho 4. Metheororum cap. 4. & ex D. Thoma in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 4. ad 2. & in 3. dist. 16. q. 1. artic. 1. ad 4. in quibus locis habetur expresse, & nostra conclusio, & ratio probativa illius, quæ ad sequentem formam reducitur.

Naturaliter est imposibile esse aliquod mixtum, in quo non prædominetur aliqua ex qualitatibus contrarijs: ergo naturaliter est imposibile mixtum, cum temperamento æquali ad pondus. Prob. ant. naturaliter est imposibile mixtum absque alteratione miscibilium, vt constat ex diffinitione mixtionis; sed alteratio miscibilium naturaliter esse non potest sine prædominio alicuius ex qualitatibus contrarijs: ergo naturaliter non est dabile mixtum in quo non prædominetur aliqua ex qualitatibus cõtrarijs: Prob. min. alteratio miscibilium naturaliter esse nõ potest nisi vnum agat in alterum; sed actio non est, nisi vnum prædominetur, quia proportione perfectæ qualitatis non datur actio, & quia opportet, quod virtus alterantis virtutem alterati excedat: ergo alteratio miscibilium naturaliter esse non potest sine prædominio alicuius ex qualitatibus contrarijs.

7 Si dicas 1. quod miscibilia possunt habere æqualitatem in gradu intensionis suarum qualitatum, & inæqualitatem in densitate, aut raritate; quæ inæqualitas sufficet ad mutuam

tuam actionem. Si dicas 2. rationem nostram probare de mixtis, quæ fiunt per veram mixtionem; non verò de illis quæ fiunt per simplicem generationem.

7 Contra primam solutionem insurgo; quia positis omnibus capitibus conducentibus ad agendum, vel vnum elementum ex concurrentibus ad mixtionem est prædominans, vel non? Si hoc secundum: non dabitur actio, & consequenter nec mixtio. Si primum: ergo producet in mixto effectum, & qualitatem perfectiorem alijs, quia excessus causæ debet relucere in effectu. Ac subinde mixtum non constabit ex qualitatibus æqualibus ad pondus.

8 Contra 2. sic insurgo; nam licèt aliqua mixta propter sui perfectionem fiant per simplicem generationem; nihilominus tamen nullum est est mixtum cui naturaliter repugnet fieri per veram mixtionem; sed hoc ipso ei naturaliter repugnat temperamentum æquale ad pondus, vt probatum manet: ergo.

9 Confirm. nam vt dicitur in 2. de anima: calor in rebus animatis est prædominans, quia in illis calor est instrumentum animæ; rursus temperamentum çquale ad pondus in animalibus constantibus diversitate membrorum, impediret eorum naturales operationes; cum experiamur aliam complexionem in manibus, aliam in capite, aliam in pedibus: vnde cor debet esse calidissimum, cerebrum frigidissimum, ossa sicca, pupilla humida, & sic de reliquis, & hoc totum, vt animal possit medijs his membris suas exercere operationes.

§ II.

Solvuntur obiectiones.

10 OBijcies 1. nam formæ mixtorum quo imperfectiores sunt, eo magis recedunt à perfecta çqualitate temperamenti; & quo sunt perfectiores magis ad talem æqualitatem accedunt: ergo nobilissima forma mixtorum postulabit temperamentum omnino çquale. Quod verosimilius videtur de facto fuisse concessũ Humanitati Christi Domini propter summam eius perfectionem in naturalibus; maximè cum hoc nullatenus deroget muneri redēptoris.

11 Resp. quod perfectissima forma mixti ex vi suæ perfectionis petit temparamentum maximè çquale, non mathematicè; sed comparativè ad alia temperamenta difformia, magis accedēs ad æqualitatem per

nec maior ęqualitas Christo Domino tribuenda est, ne illum extrahat ab statu connaturali, quia illud temperamentum est perfectius comparativè ad aliquam formam, quod est magis conforme suæ exigentiæ; exigit enim forma animalis perfecti ad exercendas suas operationes, quod calor sit prædominans, quia est magis activus inter omnes qualitates.

Obijcies 2. temperamentum ęquale contrariatur temperamento inæquali: ergo si hoc secundum naturaliter datur, debet etiam dari naturaliter primum Prob. conseq. ex Arist. 1. de Cœlo textu 44. asserent: quod si vnum contrarium est naturaliter possibile, poterit dari naturaliter aliud contrarium.

Neg. ant. si intelligatur de stricta contrarietate, de qua intelligendus est Philosop. cum asserit, quod possibilitas naturalis vnius, infert possibilitatem naturalem alterius: ęquale enim, & inæquale potius opponuntur privativè, quam contrarie.

12 Denique obijcies ex D. Thoma 1. p. q. 91. art. 1. in corp. & ad 3. docente; quod in homine est maxima ęqualitas complexionis, & elongatio à contrarijs: sed maxima ęqualitas complexionis non est nisi medio temperamento ęquali ad pondus: ergo.

13 Resp. D. Thomam debere intelligi de maxima ęqualitate, non mathematica, qualis est ęqualitas ad pondus, sed solum de ęqualitate quasi physica admittente latitudinem, & dicitur maxima in homine, quia magis accedit ad ęqualitatē arithmeticam, quod constat ex eodem D. Thoma in præsenti, lect. 8 asserente; quod mixtorum complexiones variātur *Sicut est homo, cuius complexio maximè vicina est temperamento.*

QVÆST. X.

De reproductione rei corrupta.

1 Occasionem disputandi in hoc loco de possibilitate reproductionis rerum sumpserunt Philosophi ex his, quæ docet Philosophus in calce huius libri, nempè generationes rerum esse circulares; ita vt ad eandem rem secundum speciē, non tamen secundum numerum, fiat regressus. Ideoque nos morem Philosophorum gerentes, hic de reproductione disputamus.

(?§?)

AR-

ARTIC. VNICVS.

Vtrùm res corruptæ possint iterum reproduci?

2 DEspicimus errorem illorum, qui asserebant reproductionem omniũ rerum non solum esse possiblem, sed & esse futurã, & de facto dari. Nos autem possibilitatem reproductionis investigamus, sivè naturalem, sivè attenta potentia Dei absoluta, & cum res quæ naturaliter extinguntur, aliæ sint permanentes, & aliæ successivè; de omnibus illis, sequentibus conclusionibus disseremus.

§. I.

Prima conclusio.

3 *QVacumque res permanens semel corrupta, non potest naturaliter eadem numero reproduci*. Est communis inter Authores Philosop. & Theolog. exceptis nempè Ricardo, Scoto, Toleto, Arriaga, asserentibus esse probabilius, vel saltim probabile, aliquam rem corruptam posse per actionem naturæ eadem numero redire.

4 Prob. conclusio ratione desumpta ex D. Thom. varijs in locis, nimirum hic lect. 12. & 4. contra g. cap. 81. ad 1. & quod lib 4. art. 5. Quæ ad hanc formam reducitur, non potest hic numero effectus redire, nisi redeat hæc numero actio, qua agens illum primo produxit; sed naturaliter nequit redire eadem numero actio: ergo virtute naturæ eadem res per manens semel corrupta nequit redire; mai. patet, quia singularitas, & vnitas effectus in facto esse quando fit in rerum natura, dependet à singularitate, vnitate actionis, actio enim importat effectum in fieri, vnde si fieri est diversum, factum esse non potest esse idem.

5 Min. verò prob. actio, quæ preterijt non potest eadem numerò redire, nisi redeat idem numero tempus, idem numero motus, à quorum continuitate, & vnitate dependet vnitas actionis, quæ preterijt; sed idem motus, & idem tempus numero postquam præterijt non potest redire, vt conclusione 3. dicemus: ergo eadem numero actio naturaliter non potest redire.

Si dicas; ex hoc inferri, nec per potentiam Dei posse rem corruptam iterum reproduci, cuius oppositum dicemus conclusione sequenti, quia si reditus actionis dependet à reditu motus, & temporis præteriti, hic est impossibilis Deo, vt di-

dicemus vltima conclusione.

Contra est: Nam vt virtute Dei reddeat effectus semel corruptus, non est necessarium, quod reddeat formaliter in se actio, qua fuit productus à creatura, sed solum quod non præterierit, sed potius, quod perseveret actio divina, in qua eminenter continetur actio creata, quæ præterij etiam quoad suam vnitatem, & singularitatem; sed hæc actio Dei defacto perseverat: ergo quamvis Deus non possit facere, quod non possint reddire in se ipsi motus, & tempus à quibus sumitur singularitas actionis creatæ præteritæ, non infertur non posse facere, quod reddeat idem effectus semel corruptus.

7 Sed, contra præced. conclusion. objicies 1. stante eodem efficiente eadem numero meteria, eadem quantitate, alijsque accidentibus manent eadem individuationis principia intrinseca: ergo quamvis non maneant idem tempus, & idem motus, nec possint redire, nihilominus poterit idem individuum reproduci. Probatur conseq. Quia tempus, & motus non sunt intrinseca individuationis principia, sed solum extrinseca ergo manentibus intrinsecis principijs individuationis, quidquid sit de extrinsecis poterit idem individuum redire.

Confirmat. Potest idem agens creatum, eumdem numero effectum diversis temperibus, & diversis actionibus conservare: ergo poterit eundē numero effectum diversis actionibus, & temporibus producere.

8 Resp. quod ex eodem agēte, materia, & quantitate, sub diversis temporibus, non potest idem effectus numero produci, quia licèt tempus sit extrinsecum individuationis principiū effectus infacto esse, est tamen principium intrinsecum individuationis illius in fieri: & cum in præsenti tractemus de reproductione eiusdem effectus, quæ reproductio pertinet ad fieri illius, & ad actionem qua fit, ideo optimè ex diversitate temporis, sicut colligitur diversitas actionis creatę, ita, & diversitas effectus producti per illam. Præterquamquod ex identitate agentis, & passi solum sequitur identitas effectus secundum speciē; secus verò secundum numerū; alias idem agens, & passū multoties applicata semper eūdem numero effectum produceret, quod est absurdum.

9 Ad confirm. resp. quod idem effectus numero potest à diversis numero actionibus cōservari, conservatione extrinseca non verò intrinseca. Conservatio extrinseca, dicitur remo-

tio contrariorum, & applicatio convenientium ipsi effectui: intrinseca verò fit per verum influxum causæ conservantis, sicut lux conservatur à luminoso. Igitur diversis actionibus potest eadem numero res extrinsecè conservari removendo nociva, & applicando convenientia; at verò eadem res numero nequit intrinsecè conservari diversis, & discontinuatis actionibus, quia circa hoc eadem ratio est de actione intrinsecè conservante, atque de primo producente. Quod verò eadem numero actio continuata conservet eundem numero effectum, ideò est quia illa actio habet diversas partes correspondentes diversis partibus durationis continuatæ effectus conservati.

10 Obijcies 2. ex ratione nostra, si aliquid probat, etiam probatur, nec Deum posse rem semel productam, iterum reproducere; consequens est falsum, vt dicemus conclusione sequenti: ergo. Sequela probatur: quia actio Dei vt passivè immutans effectus creatos, etiam transit, non minus, quàm actio creaturę: ergo ratio nostra æque probat, si quid probat, de actione Dei, ac de actione creaturę.

11 Resp. quod licèt actio Dei, & illius concursus ad extra, qui subjectatur in creatura pereat pereunte effectu creato; tamen remanet actio Dei quæ se tenet ex parte ipsius, in qua eminenter continetur, & effectus creatus, qui perit, & concursus positivus Dei, quo factus est, & omnis alia actio causæ creatæ adhuc quoad individuationem, atque adeò potest Deus tali actione eundem numero effectum causæ creatæ, non solum se solo producere, sed etiam reproducere, quæ reproductio à causa creatá repugnat.

§. II.

Secunda conclusio.

13 *Attenta potentia Dei absoluta res permanentes semel corruptæ possunt iterum reproduci; non verò res successivæ.* Prima pars conclusionis est communis Philosophor. contra Durand. & Marsilium. Probaturque breviter rationibus ex D. Thoma de ductis quodlibet. 4. art. 5. & etiam 4. contrag. cap. 81. ad 1. Primo quia sicut potest Deus eundem hominem mortuum vivificare, non est ratio cur non possit eũdem, equum mortuũ, ad vitam reducere. Nec obstat, quod forma hominis non fuit corrupta, bene tamen forma equi. Non inquam obstat; quia si potest facere, quod reddeat idem totum quod perierat, cur non poterit facere, quod

quod reddeat pars quæ perijt, nempè forma equi corrupta.

13 Secundo, quia corruptio, vel à nihilatio præcedens, non variant nec mutant Divinam virtutem, & actionem Divinam prout se tenet ex parte Dei: ergo Divina virtus, & actio possunt facere idem quoad antea. Tertio, quia Dei operatio ad extra potest facere sine motu, quidquid à creaturis cum motu fit: ergo in Deo cessat ratio impossibilitatis ad dicta conclusione præcedenti. Denique, quia non facile affertur ratio implicationis insolubilis, vel quæ difficile solvatur à Theologis: ergo ex nullo capite repugnat rem permanentem semel corruptam à Deo reproduci.

14 Secunda pars conclusionis non minus est communis, quam præcedens. Probaturque ratione desumpta ex Divo Thoma quodlibet 4. art. 5. Si res succesiva semel destructa reproduceretur, esset, & non esset eadem numero; sed hoc manifestam contradictionem involuit: ergo. Probatur min. In primis esset eadem numero, alias non reproduceretur. Deinde non esset eadem numero. Tùm quia res succesſiva est vna numero per continuationem, vt patet in motu, de quo diximus in libris Physicor. quod illius vnitas numerica involuit sui continuationem: ergo hoc ipso quod continuatio motus, vel alterius rei successivæ per illius destructionem interrumpatur, non poterit esse eadem numero.

Tùm quia vnitas numerica motus, vel alterius rei succesſivæ regulatur, & dependet ab vnitate temporis, vt diximus in libris Physicor. Sed si res succesſiva semel destructa iterum produceretur, non diceret habitudinem ad idem numero tempus ad quod antea dicebat: ergo non esset eadem numero, quæ antea erat.

15 Confirmat. implicat contradictionem, quod reproducatur idem motus, & quod non sit simul præsens diversis temporibus imaginarijs; sed esse simul præsens hoc modo repugnat: ergo repugnat reprodnctio motus. Maior patet: quia motus se ipso est præsens tempori imaginario, & ideò reproductus simul erit præsens tempori imaginario, in quo primo fuit, & tempori in quo nunc imaginatur esse. Minor verò probat. Implicat contradictionem quod idem corpus ratione eiusdem præsentiæ simul sit præsens duobus spatijs imaginarijs, vt tenent communiter Philosophi: ergo etiam implicabit contradictionem quod idem motus ratione

ne eiusdem durationis: sit simul præsens diversis temporibus imaginarijs. Consequentia patet apparitate rationis.

16 Sed contra hanc secundam partem conclusionis obijcies. Res, quæ semel producta, & corrupta adhuc continetur in causa potest ab eadem causa iterum produci, alias si fieret impossibilis, iam amplius non contineretur in causa; sed res successiva à Deo producta, & semel corrupta adhuc continetur in omni potentia Divina; hæc enim continentia, vtpotè primæ causæ est Deo essentialis impotens Deo deficere: ergo res successiva semel corrupta potest à Deo iterum reproduci.

Respondetur, quod divina omnipotentia potest comparari dupliciter, vel absolutè, vel facta suppositione accidentali suæ primæ productionis existentiæ, & corruptionis. Primo modo invariabiliter omnipotentia diuina continet rem successivam, & potest illam producere. Posteriori autem modo ad illius iteratam productionem, numquam rem successivam præcontinuit omnipotentia divina, quia res successiva prout sic semper contradictionem involuit. Quare res successiva per primam productionem & sui destructionem non fuit facta possibilis absolutè, sed tantum impossibilis cum addito, nempè vt reproducenda, in quo sensu nec vnquam fuit possibilis, nec contenta in omnipotentia.

QVÆST. XI.

De Subiecto accidentium, & principio individuationis.

HAnc quæstionem reservavimus pro coronide nostri tractatus de ortu, & interitu; & quia illius resolutio pendet maximè ex notitia omnium, quæ in hoc opere præcesserunt, & vt omnia, vel præcipua, quæ hucusque tradidimus, lucem accipiant, Cum autem sit non parva connexio in doctrina de subiecto accidentium, & principio individuationis, ideò de vtroque in eadem quæst. tractamus.

ARTIC. I.

Quodnam sit subiectum accidentium materialium?

§. I.

Aliqua prænotatur.

1 Nota primo, quod sub-

subiectum accidentium aliud est subiectum *quod*, aliud *quo*: subiectum *quod* est quod accidentia recipit, & sustentat; subiectum *quo* est illud prædicatum, ex quo convenit subiecto *quod* accidentia recipere, & sustentare: sicut enim est subiectum *quod* operativum, homo v. g. & subiectū *quo* idest virtus, media qua operatur; ita est subiectū *quod* recipit, & subiectum *quo*, idest ratio formalis recipiēdi.

2 Vlterius: dividendum est subiectum *quo* in proximum, & remotum: proximum est prædicatum proximè coaptans subiectum *quod*, vt accidentia recipiat; remotum est prædicatum, ex quo tanquam ex prima radice convenit subiecto *quod* accidentia recipere: sicut enim in linea operativa forma substantialis est principiū *quo* radicale, & virtus media est pricipiū *quo* proximū; ita in linea receptiva vtrūque debet dari principium *quo*, & proximum, & remotum; hinc relatio similitudinis recipitur in subiecto *quod* media albedine, albedo media quantitate: vnde albedo respectu talis relationis est subiectum *quo* proximum, quantitas verò est subiectum *quo* remotum.

3 2. nota ex dictis supra quæst. 1. artic. 7. dari subiectum denominationis, & inhæsionis; subiectum inhæsionis est, cui forma accidentalis inhæret, & in quo recipitur; subiectum denominationis est, quod à forma denominatur. Nec semper coincidunt (quod amplius constabit ex solutione argumentorum) subiectum inhæsionis, & denominationis; paries enim denominatur visus à visione in se non existente, & materia dicitur disposita à dispositione in ipsa subiectivè non existente, vt statim probavimus.

4 3. nota Requiri ad rationem subiecti *quod* accidentium, & quod illa recipiat, & quod illa sustentet; ratio est, quia accidens, & est forma, & ens in alio, seu secundum quid: quia forma exigit subiectum, quod actuet; ac proinde à quo recipiatur: quia ens in alio, seu secundum quid, exigit sustentari ab alio; non enim potest ens in alio, nisi in alio connaturaliter esse; vnde in omnium sententia accidentia sine subiecto existere, miraculosum est. Hinc D. Thom. aliquando appellat subiectum *quod* accidentium illorum *fulcimentum*, vt significet illo accidentia fulciri, & sustentari; aliquando docet, quod *habet aliquid simile materiæ primæ in quantum est receptivum accidentium*, vt denotet accidentia in illo recipi: vtrumque ergo munus subire debet subiectum *quod* aci-

cidentium, vnde Deus sustentans accidentia Eucharistica non dicitur subiectum illorum quia ea non recipit. De quo vide illust. Godoy, quæst. 4. de Incarn. disp. 18. §. 10.

5 Nec huic suppositioni obstat, dixisse Div. Tom. 1. p. quæst. 77. artic 7 *Quod respectu acidentis extranei subiectum est susceptivum, tantum* Non obstat inquam: nam D. Thom. concedit subiecto respectu passionum esse productivum, & susceptivum, & ex his solum concedit esse susceptivum respectu accidentis communis, nõ productivum, quod est verum; nullibi tamen negat subiectum *quod* accidentium, quæcumque illa sint, ea sustentare

Præcipuum ergo dubium circa subiectum *quod* accidentium versatur; nam ex dicendis circa hanc difficultatem constabit, quodnam sit subiectum *quo*, tàm proximum, quàm radicale. Nec rursus dubium est circa subiectum *quod* denominationis, sed inhæsionis, licet ex vno ad aliud fiat argumentum inter reliqua postea diluendum. Procedit tandem dubiũ de accidentibus materialibus, quæ quia insunt rebus corporei, in quibus est materia: difficultas est, an illa sit subiectum *quod* talium accidentiũ, vel potius cõpositũ, seu subsistens.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

6 *Sola materia prima non est subiectum quod, vel cui immediatè inhæreant accidentia.* Contrarium sustinent Suarez, Marsilius, Gregor. Aureol. Conimbric. Quiros, & alij RR. stant verò pro ea Caietan. Capreol. Flandria, PP. Carmel. S. Thoma, Prado, Lerma, Pini, & reliqui D. Thom. discipuli ipsum Angelic. Præcept. sequentes. Qui ita expresse propositæ sententiæ favet, vt eam ex progressu propugnaberit pluribus, in locis, apud nostros videndis.

7 Ratio pro conclusione desumitur ex D. Thoma 1. p. quæst. 76. artic. 6. Puræ potentiæ in linea, substantiali nequeunt immediatè inhærere accidentia; sed materia prima est pura potentia in linea substantiali: ergo materiæ primæ nequeunt accidentia immediatè inhærere. Minor constat ex dictis lib. 1. Physicor. Mai. verò probatur Puram potentiam in linea substantiali debet immediatè actuare actus substãtialis: tũ quia illam debet immediatè actuare eius immediatus actus: sed immediatus actus in linea substãtiali est actus substãtialis: ergo. Tùm quia ipsam immedia-

diatè debet actuare ille actus, per quem habeat esse simpliciter: & solus actus substantialis est, per quàm materia habet esse simpliciter.

Tùm quia aliter intelligeretur materia prius habens esse secundumquid, quàm esse simpliciter, quod impossibile reputat D. Thom. loco citato dicens: *Impossibile est intelligere materiam primam prius esse calidam, vel quantam, quàm esse in actu: esse autem in actu, habet per formam substantialem, quæ facit esse simpliciter.* Tùm quia pura potentia respicit actus non ex æquo, sed cum ordine, vnum scilicèt mediante alio, cum processus naturæ ordinem exigat; sed prius est habere actum, per quem sit simpliciter, seu absolutè, quàm actum, per quem sit tantum secundum quid: ergo actum substantialem, recipit immediatè pura potentia substantialis.

8 Dices 1. materiam primam respicere prius ordine intentionis formam substantialē quam accidentalem, secus verò ordine executionis. Tùm quia primum in intentione est posterius in executione: Tùm quia ordo naturæ exigit progredi ab imperfecto ab perfectum, vt patet in intellectu nostro, qui ab imperfectiori incipit cognitione.

9 Dices 2. ordinem istum, quo materia, respicit actus potius favere oppositæ sententiæ, quàm nocere: nam quia materia non recipit proximè formam sustantialem, nisi vt disposita ad illam, necessum est, quod prius recipiat dispositiones, quibus formæ coaptatur, quàm ipsam formam, ad quàm per ipsas appropriatur.

10 Tandem dices: rationem nostram ad summum convincere, quod prius debeat intelligi in materia forma substantialis, quàm accidentalis; ex quo minime sequitur, materiam non esse subiectum *quod* immediatum accidentium. Nā forma substantialis præhabita, seu præintellecta solum est conditio, sine qua materia non reciperet, hac tamen conditione posita materia se ipsa est, quæ immediatè recipit formas accidentales.

11 Sed contra 1. solut. sit insurgo: Pura potentia in linea sustantiali prius debet in executione respicere, seu prius debet recipere formam substantialem, quàm accidentalem: ergo solutio est nulla. Probatur antecedens. Tùm ex dictis, quia esse substantiale est esse simpliciter puræ potentiæ in linea substantiali sed vt probatum manet, actus primo recipiendus est actus per quem talis pura potentia habet esse simpliciter ergo, Tùm quia esse

substantiale est fundamentum cuiuscumque esse accidentalis: & fundamentum prius est in executione, quàm res ab ipso dependens. Tùm quia quod est prius ordine generationis est prius ordine executionis, siquidem generatio nil aliud est, quàm ipsa executio geniti: Sed generatio prius terminatur ad esse simpliciter, imò ad hoc solum ex se terminatur: ergo immediatè ponitur in pura potentia esse substantiale, seu esse simpliciter, non esse secundum quid, seu accidentale.

12 2. Insurgo: Vbi est ordo essentialis prioris, & posterioris non tenet illud effatum, *quod est primum in intentione est vltimum in executione*: Sed forma substantialis est essentialiter prior forma accidentali: ergo sicut est prior in intentione etiam est prior in executione. Mai. & ratione, & xemplo cõstat exẽplo quidẽ, nã licèt agẽs primario intẽdat essentiam, & secundario passiones, non ideò ponit in re primo passiones, & postea essentiam, sed primo essentiam, & pro posteriori passiones; sed hoc non potest ob aliud esse verum, quàm propter essentialem prioritatem essentiæ ad passiones: ergo. Constat etiam ratione: nam vnumquodque debet poni in re vt essentialiter est, aliter non ipsum, sed chymæra poneretur; sed si quod est essentialiter prius non poneretur prius, in re, non poneretur, quod essentialiter ipsum est: ergo.

Min. autem constat ex dictis. Tùm quia forma est essentialiter prior existentia, per quàm existit materia, vt diximus lib. 1. Physicor. & existentia materiæ essentialiter est prior existentia accidentis. Tùm quia forma substantialis est primus actus non alterius, quàm materiæ: ergo essentialiter petit, quod alius in ipsa non præsupponatur, seu intelligatur actus. Tùm denique: quia si quàm invenerunt Div. Tohm. & Philosoph. difficultatem in eo quod sit prius esse secundum quid, quàm esse simpliciter, eam non posuerunt in illo duplici esse vt intento, sed vt in re posito, idest iudicarunt prorsus impossibile, quod materia in re haberet prius esse secundum quid, quàm esse simpliciter sed hoc denotat prioritatem formæ substantialis via executionis: ergo illorum sententia deseritur, vel solutio non subsistit.

13 3. Insurgo; Licèt in rebus naturalibus intra eandem lineam sit processus ab imperfecto ad perfectum, vt patet in exemplo inducto in solutione nostri intellectus: immo patet in nostro casu, nam materia recipiens formam substantia-

tialem prius intelligitur illam recipere secundum gradum commune, & imperfectum, quàm secundum gradum specialem, & perfectum: & inter accidentia communia (inter accidentia propria datur essentialis connexio) prius intelligitur communicari subiecto accidens imperfectius, quàm perfectius; tamen verum non est, quod substantia, quæ est diversæ lineæ à linea accidentis, ita procedat de imperfecto ad perfectum, vt prius recipiat actum accidentalem, quàm substantialem; cum potius connaturale sit omnibus rebus prius esse perfectas in propria linea, quàm quod perficiatur in aliena. Nam quæ sunt vnius lineæ sunt magis proportionata, & ad magis proportionatum est connaturalior accessus. Hinc intellectus noster non incipit à cognitione entis rationis, quia licèt magis imperfectum, non est tamen proportionatum.

14 Ex his impugnata manet 2. solutio; nam non solum ratio nostra convincit debere materiam respicere ordine quodam actum substantialem, & accidentalem. Sed quod hic ordo talis est, vt prius debeat recipere actum sustantialem, quàm accidentalem. Tùm quia actus primus. Tùm, quia dat esse simpliciter. Tùm quia cum illo componit ens per se, quod essentialiter est prius composito per accidens.

15 Explicatur: quod illæ dispositiones præintelligantur receptæ immediatè in materia, vt ipsam approprient formæ, vel tollit, quod sint immediatæ actualitates illius, vel hoc non tollit! Si dicas 1. ergo immediatè non recipiuntur in materia, sed mediante actu substantiali, nam forma immediate recepta in materia est immediata actualitas illius, & sic habetur intentum, quod in hac prima conclusione propugnamus. Si dicas 2. ergo prima, & immediata actualitas materiæ est actualitas secundumquid talis: ergo cum advenit forma substantialis invenit in materia alium priorem actum: ergo ipsa non est primus actus, nec dat esse simpliciter, ac proinde prius intelligetur compositum secundumquid, quàm compositum per se, & simpliciter tale, quæ sunt eædem impugnationes cum his, quibus primam solutionem impugnavimus.

16 Contra 3. denique solutionem obstat 1. vt actuatio formæ esset solum conditio ad hoc, vt materia se ipsa reciperet accidentia, necessum erat vt materia in se haberet sufficientem vim ad illam recipiendam; conditio quippe non dat, sed præsupponit virtutem in cau-

causa; sed materia non habet vim sufficientem ad recipiendum accidentia: ergo, forma nequit esse sola conditio, Prob. min. ex dictis in 3. notabili, nam subiectum immediatè recipiens accidentia debet habere vim ad illa sustentanda: sed materia prima non habet se ipsa sufficientem vim ad sustentanda accidentia, imò se ipsa nullam habet vim, quia sustentatio accidentis propria est actualitatis, qua omnimode caret materia inspecta secundum ea, quæ ex se habet: ergo,

Tùm etiam, nam quod ex se nō habet sufficiens esse, vt possit in rerum natura naturaliter existere, nequit habere ex se sufficientem vim ad aliud sustentandum, quod enim sibi sufficiens non est, quomodo ad alterius existentiam sufficientiam habebit? Sed materia prima se ipsa, vel nullum esse habet (quod nos propugnamus,) vel illius esse, seu actualitas, ita debilis est, vt etiam iuxta Adversarios, nequeat naturaliter in re existere, si ex his, quæ, se ipsa habet, inspiciatur: ergo, nequit se ipsa accidentia sustentare posita forma vt conditione.

17 Obstat 2. quod non est pura conditio, vt materia habeat esse simpliciter nequit esse pura conditio, vt materia sustentet accidentia: sed forma substantialis nequit esse pura conditio, vt materia habeat esse simpliciter: ergo neque vt sustentet accidentia. Prob. mai. quod non est pura conditio ad rationem formalem, & apriori, quare accidentia sustentantur in alio, nequit esse pura conditio ad hoc vt accidentia sustententur; sed ratio formalis, & à priori, quare accidentia sustentantur, seu quare solum, quod est tale in se, & absolutè subiectum habet vim ad illa sustentanda est, quia habet esse absolutè, quod est tale in se, & absolute potest esse fulcimentum alterius, quod tantum secundumquid est tale: ergo.

18 Ex his impugnanda quoque venit aliorum solutio asserentium, quod licèt quātitas, seu quævis alia forma accidentalis materiam disponens præintelligatur in illa, præintelligitur solum sub munere dispositionis secus verò sub munere accidentis in illa recepti. Impugnatur inquā, nā hæc solutio, vel intēdit quod vt materia sit, & denominetur disposita requiritur, quod ei inhæreant immediatè dispositiones, vel iudicat sufficientem immediatam inhærentiam in composito, vt materia sit, & dicatur disposita? Si hoc 2. nihil diversum propugnat à nostra sententia; nam etiam nos dicimus (vt amplius postea constabit) quod

vt

vt dispositiones materiam coaptent, & disponant, non requiritur, quod in illa immediatè inhæreant, sed sufficit quod inhæreant composito, cuius ipsa est pars intrinseca.

19 Si dicatur 1. ergo dum præintelliguntur disponentes materiam, præintelliguntur vt immediatè illam actuantes: ergo ipsæ erunt primæ materiæ actualitates, & non forma substantialis: ergo prius intelligitur ens per accidens, quàm intelligatur ens per se, cum prius intelligatur compositionem faciens cum actu accidentali, & qui est talis tantum secundumquid, quàm cum actu substantiali, qui est actus simpliciter, & absolutè. Vnde vel hæc solutio in nostram transit sententiam, vel eisdem patet impugnationibus, quibus præcedentes solutiones.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

20 S*Vbiectum quod immediatum accidentium est compositum singulare subsistens.* Ante probationem supponimus solum compositum substantiale subsistens habere in se esse integrum, & completum. Tùm quia non intelligitur esse integrũ, & completum, dũ non intelligitur in se, & ad se existẽs independenter ab alio; sed sic non intelligitur, dum non intelligitur vltimo terminatum per subsistentiam, ac proinde dum nō intelligitur etiam cum singularitate, cũ existere, & subsistere sit proprium rei singularis: ergo. Tùm quia non intelligitur compositum integrum, & completum, dum generatio substantialis vltimo completa non intelligitur; sed generatio substantialis non intelligitur vltimo completa, dum in re non ponit compositum subsistens, & singulare: ergo. Denique quia ly *suppositum*, & *persona* hoc denotant, integrum scilicèt quoddam, & completum; vnde partes totius nequeunt dici persona, & suppositum, quia incompletæ sunt.

21 Hoc expressit D. Thomas opusculo 2. cap. 211. dicens: *Persona, & suppositum integrum quoddam designant; non enim potest dici, quod manus, aut caro, aut quæcumque aliarum partium sit persona, vel hypostasis, vel suppositum: partes cum accidentibus aliquid habent commune, scilicèt, quod per se non existunt, sed alijs in sunt, licèt secundum modum diversum.* Ex quibus etiam habes quod sicut partes totum componentes, quia incompletæ, non existunt, nec subsistunt, aut terminantur in se immediatè, sed per subsistentiam totius terminantur, & subsistunt; ita acciden-

tia, quia incompleta, nec in se sistunt, nec in se terminantur.

22 Hoc tamen est inter vtrumque discrimen; quod partes hominis, quia substantiales, complentur, & terminantur per subsistentiam totius, quæ est eiusdem lineæ substantialis, ac sunt partes; nam licèt substantiæ partiali non repugnet, immo positivè conveniat, quod vltimo complemento totius, quod componit terminetur, repugnat tamen cuicumque substantiæ, quod complemento, & terminatione indigeat, quæ sit alterius lineæ, cum substantia intra proprium genus habeat quidquid requiritur, vt ad se, & in se existat. Accidentia verò, quia entia secundum quid, & in alio nequeunt compleri, & terminari complemento propriæ lineæ, quia in linea accidentis repugnat subsistentia, sicut impossibilitas inhærendi: vnde communiter accidentia diffiniuntur per additamentum, idest per subiectum de linea substantiæ, quod illa sustentat, complet, & terminat.

Quàm doctrinam iterum complectitur D. Thom. loco citato, vt explicet quomodo In Christo non sit, nisi vna persona, & hæc divina. Sic enim ait: *Potest autem huiusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri: subiectum enim, & accidens non sic vniuntur, vt ex eis, aliquod tertium constituatur, vnde subiectum in tali vnione non se habet, vt pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, & suppositum: accidens autem trahitur ad personalitatẽ subiecti, vt sit eadem persona hominis, & albi: sic igitur secundum similitudinem quandam, persona filij Dei est persona humanæ naturæ in Christo.*

23 Supponimus etiam, quod dum defenditur compositum singulare subsistens esse subiectum quod immediatum accidentium, sensus non est, quod subsistentia sit id, cui immediatè inhærent accidentia, vel sit id ratione cuius accidentia inhærent; sed sensus est, quod natura debet esse per subsistentiam completa, ad hoc vt recipiat, & sustentet accidentia, ita vt tale complementum non pure materialiter se habeat sed formaliter exigatur, adhoc vt in natura accidentia recipiantur: sicut enim actiones dicuntur suppositorum non quia subsistentia sit ratio illas eliciendi, sed complementum ex actum, vt à natura madijs potentijs eliciantur, ita pariter in ordine ad accidentia recipienda, & sustentanda: nec enim principium, aut subiectum *quod* vt differt à principio quo tàm radicali, quàm proximo, petit, vt id ratione cuius constituitur

tur

tur in esse principij, aut subiecti *quod* sit id ratione cuius, aut operationes elicit, aut accidentia recipit. Hinc subsistens rationale dicitur, & est *quod* intelligens, quin subsistentia sit id ratione cuius intelligit: in hoc sensu intellecta, vt debet, prælata conclusio.

24 Prob. tùm authoritate Div. Thomæ proximè allata, vbi expresse asserit, quod subiectum accidentium est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, & suppositum. Tùm prob. ratione, quæ in ipsa D. Thom. authoritate insinuatur: subiectum *quod* immediatum accidentium est, quod in proprio esse substantiali est vltimo perfectum, & completum: sed solum compositum singulare subsistens est huiusmodi: ergo solum istud est subiectum *quod* immediatum accidentium. Min. ex prænotatis constat, & mai. prob. subiectum *quod* immediatum accidentium; est, quod accidentia indigentia compleri, & sustentari sustentat, & complet: sed solum quod in propriè esse substantiali est vltimo completum, & perfectum complet, & sustentat accidentia, quæ tali complemento indigent: ergo.

Prob. min. solum, quod ad se, & in se sistit independenter ab alio potest esse fulcimentum, & complementum eorum, quæ ab alio compleri, & sustentari indigent; sed solum quod est vltimo perfectum, & completum in esse substantiali ad se, & in se sistit independenter ab alio: ergo solum illud potest complere, & sustentare accidentia terminatione, aut complemento, quo indigent. Patet min. ex eo quod tàm partes, quàm totum compositum substantiale, dum non intelliguntur vltimo completa, per subsistentiam non intelliguntur ad se, & in se sistentia saltim connaturaliter. Mai. autem ex ipsis terminis videtur nota, nam quod illud potest esse fulcimentum eorum quæ ratione sui existere non possunt, nisi quod esse habet ita perfectum, vt in se, & ad se sistat independenter ab alio?

25 Confirmatur: recipere, & sustentare accidentia proprium est habentis esse taliter completum, vt congrue intelligamus ea posse recipere, & sustentare: sed solum intelligitur congrue accidentia posse sustentare, & recipere quod in proprio esse substantiali iam est vltimo completum, & perfectum: ergo cum tale sit compositum singulare subsistens, illius erit proprium recipere, & sustentare accidentia. Explicatur: prius intelligitur subiectũ esse in propria linea vltimo perfectum, quam ad alia alterius

mus lineæ recipienda, & susten tanda ordinari: sed subiectum accidentium vltimo intelligitur perfectum in sua linea per subsistentiam: ergo prius intelligitur subsistens, quam intelligatur ordinari ad recipienda, & sustentanda accidentia: sed hoc prius non est prius tanquam quid præsuppositum, sed tanquam quid formaliter exactum; nam vltimo esse perfectum, & completum in linea, a qua provenit formaliter alia posse fulcire, nequit se habere materialiter ad alia fulcienda: ergo subiectum esse vltimo completum, & perfectum per subsistentiam formaliter exigitur, vt accidentia in illo sustententur.

26 Ex his inferes 1. formam totalem, humanitatem v.g. esse principium *quo* proximum adæquatum recipiendi accidentia, quod hac ratione prob. illud est principium *quo* proximum, & adæquantũ, quo proximè, & adæquatè redditur coaptatum subiectum ad accidentia recipienda: huiusmodi est forma totalis: ergo. prob. min. per id redditur subiectum proximè. & adequatè coaptatum accidentibus recipiendis, per quod nullo alio mediante, & habet actualitatem ad accidentia sustentanda, & potentialitatem ad illa recipienda, cum hoc duplex munus constet ex prenotatis requiri, vt accidentia recipiantur sed forma totalis nullo alio mediante hæc duo habet, actualitatem scilicet, qua sustentet, ratione formæ, & potetialitaten, qua recipiat, ratione materiæ: ergo.

27 Nec ex hoc vlterius inferas humanitatem se sola esse subiectum *quod* connaturale(nam quid sit dicendum de potentia absoluta postea constabit) accidentium: Nam licet potentialitate, & actualitate constet sufficientibus, vt sit id, cui proximè, & immediatè accidentia inhæreãt, seu vt sit principium *quo* illa recipiendi, secus tamen, vt sit subiectum *quod* illorum, nam hoc addit supra principium *quo* esse integrum, & completum in linea substantiæ. Patet exemplo operationis, nam sicut anima media virtute proximè est principium *quo* adequatum operandi, & tamen non anima, sed homo est *quod* operans, ita, & si humanitas sit principium *quo* adæquatum recipiendi, non humanitas, sed homo est subiectum *quod* accidentia recipiens.

28 Inferes 2. Principium *quo* radicale recipiendi accidentia prout hoc verbo *recipere* exprimitur esse materiam primam; cuius ratio est nam accidentia recipere provenit tanquam

quàm à radice à prima potẽtialitate, ex qua omnis potentialitas compositi derivatur, recipere quippè, vt tale potentialitatis est; sed materia prima, vt potè ex se pura potentia, est prima potentialitas, ex qua omnis potentialitas compositi derivatur: ergo.

29 Pariter inferes: quod si prima radix sustentandi, vt tali voce exprimitur, accidentia, quæratur, ea designanda est forma substantialis, cuius eadem est ab opposito desumpta ratio: nam prima radix sustentandi accidentia est prima compositi actualitas, a qua reliquæ actualitates, quibus completur, in propria linea exiguntur: sed talis est forma substantialis, cuius proprium est exigere subsistentiam: ergo. Ex quo male inferes aut materiam solam recipere, aut solam formam sustentare, nam cum materia vt actuata per formam non sit pura potentia, nec forma, vt recepta in materia sit purus actus, nulla illarum se sola, aut recipit, aut actuat, sed compositum ex illis resultans sustentat, & recipit, dum à materia exhaurit potentialitatem; ratione cujus recipit, & actualitatem à forma, ratione cuius sustentat.

(§)

§. IV.

Diluuntur Argumenta.

30 Obijcies 1. contra 1. conclus. ex D. Thom. 1. p. q. 3. art. 2. in arg. *Sed cõtra* dicente: *quantitas dimẽsiva est quæ primo inhæret materiæ primæ*: ergo aliquod accidens immediatè inhæret materiæ primæ. *Confirmatur*. Quantitas in homine nequit recipi in anima; vipotè spirituali, & indivisibili: alias non potest recipi in toto composito, quia sic reciperetur in partibus, quæ à toto non distinguntur, ac proinde reciperetur in anima rationali: ergo solum recipitur in materia prima.

31 Explico antec. est quæ primo inhæret materiæ tanquam subiecto *quo*, & mediato conc. ant. tanquam subiecto *quod*, & immediato neg. ant. & conseq. Intentum D. Thom. in illo art. est ostendere Deum non esse compositum ex materia, & forma, quia aliter esset corpus, quod artic. præcedenti impugnaverat; ad hoc autem suadendum ostendit, quod proprium est materiæ exigere, & radicare quantitatem, cuius varijs sigillationibus portiones materiæ dividuntur. Vnde est primum accidens materiæ, quia primo exac-

exactum ab ipsa, & sic inter reliqua accidentia ei primo inhæret tamquam subiecto primo, & immediatè illam exigenti, non tamen tanquam subiecto illam immediatè substentanti, aut recipienti. Vno verbo: materia est prima ratio, quare quantitas inhæret immediatè composito, non tamen est ipsa, cui immediatè inhæret.

32 Ad confirm. neg. min. ad cuius insertam probat. dist. reciperetur in anima mediatè, & vt in ratione sustentandi conc. min. immediatè neg. min. & conseq. Nec ex tali receptione solum mediata sequitur animam reddi extensam, aut divisibilem, nam hunc effectum solum præstat subiecto immediato, & capaci illius, quale est compositum instoque argumētum nam quantitas immediatè recepta in materia in sententia adversariorum reddit immediatè extēsam materiam, & ratione ipsius formam in compositis pure materialibus; & tamen non reddit extensam animam rationalem, quia incapacem huius effectus, & si reddat extensum compositum humanum; cur ergo non poterit similiter quantitas immediatè recepta in composito illud facere extensum, quin extensam faciat animam rationalem?

33 Obijcies 2. Pro priori ad formam intelligitur materia disposita; non per dispositiones pro illo priori illi non inhærentes: ergo per dispositiones, quæ ipsi immediatè inhærent pro priori ad formam, & consequenter cum dispositiones accidentia sint, aliqua accidentia immediatè inhærent materiæ pro priori ad formam. Probatur minor. Tùm quia subiectum, cui non inhærent dispositiones, nequeunt reddere dispositum, cum dispositio, sicut, & quodlibet accidens præstet suum effectum inhærendo, & actuando: sed dispositiones reddunt materiam dispositam propriori ad formam: ergo. Tùm quia dispositiones, quæ erant pro priori ad instans generationis, manent in instanti generationis, aliter materia non intelligeretur in illo instanti disposita ad formam: sed tunc nequeunt inhærere, nisi materiæ, quæ sola manet in illo instanti pro priori ad formam: ergo.

34 Vrgetur: Relatio nequit entitativè inhærere subiecto, cui non præstat primariam denominationem relati; ideoquè diximus in prædicamento relationis, quod ipsa deficiente quoad denominationem, etiam deficit quoad entitatem: sed relatio partis vnitæ, qua materia refertur ad alteram partem secum vnitam, formam scilicèt, non denominat com-

compositum relatum, sed materiam: ergo non inhæret composito, sed materiæ.

35 Respondet. iuxta dicta supra lib. 1. quæst. 1. artic. 8. & 9. Quod vel argumentum loquitur de dispositionibus præcedentibus, vel de concomitantibus: si de præcedentibus, omisso rigore illius vocis *pro priori*, concedenda est mai. & neganda min. imò suppositum min. Nam dispositiones præviæ non solum materiæ non inhærent pro priori instantis generationis, verum nulli inhærent nec inhærere possunt cum iam non existant, vtporè quæ periere cum forma corrupta, tempore immediatè præcedente generationem: ex quo non infertur, materiam adhuc in illo priori instantis generationis non esse in vi ipsarum dispositam; cum eiusmodi dispositio solum consistit in eo, quod materia sit determinata ad suscipiendam hanc, & non aliam formam; quàm determinationem tàm respectu materiæ, quàm agentis media alteratione præcedenti reliquerunt, nam ad tales dispositiones, quibus subiectum præcedens fuit ad corruptionem dispositum solum potest sequi vltima dispositio concomittans hanc formam, & non alteram, quod latè explicatum invenies loco citat. num. 273.

36 Si autem sermo sit de vltimis dispositionibus formam concommittantibus, cum iuxta dicta loco citato genitum præcedant in genere causæ materialis, & ipsum subsequantur in genere causæ efficientis; concessa mai. dist. min. illi non inhærentes mediatè, concedo min. immediatè, nego min. & conseq. Iam enim ibi diximus agentes de mutua prioritate, quod dispositio pro illo priori existit existentia se habente, vt conditione cocommittante ad causandum, & communicata ab ipso effectu, scilicèt forma geniti, quàm causat; vnde pro illo priori intelligitur munus disponendi tamquam ratio formalis causandi, & inhærentia in genito, tamquàm conditio necessario concommittans ad causandum: quàm doctrinam inveniens ibi propugnatàm, & vlterius eandem reperies in simili de mutua prioritate materiæ, & formæ ad se mutuo causandum lib. 1. Physicor. tract. de materia prima.

37 Contra quàm solutionem non obstant insertæ probationes sivè de prævijs dispositionibus, sivè de concommitantibus sit sermo; nam ad 1. dist. mai. qui non inhærent nec mediatè, nec imme-

Aa

mediatè, concedo mai. cui non inhærent immediatè præcisè, nego mai. & concessa min. neg. conseq. Nam dispositiones si præviæ sint, reddunt immediatè subiectum dispositum ad corruptionem, & quia tales sunt, reddunt materiam dispositam, & determinatam ad talem formam; sicut in sententia adversariorum, quantitas immediatè inhærens materiæ reddit immediatè ipsam extensam, & mediante ipsa reddit extensam formam materialem. Quod si dispositiones sint concommittantes, sufficit, vt in illo priori concommittanter inhæreant genito, vt pro illo priori intelligatur munus disponendi materiam, tanquam ratio formalis causandi ipsum genitum in genere causæ materialis.

38 Nec similiter 2. probatio vrget; nam vt constat ex dictis, tùm immediatè, tùm quæst. supra citata, neganda est mai. & pariter neganda est sequela, quæ ad illam probandam adducitur. Nam materiam esse dispositam per dispositiones prævias, nil aliud est, quàm esse determinatam ad hanc formam præ alia, ipsumque agens esse determinatum ad introducendum in illa hanc & non aliam; quod totum verificatur in illo instanti extrinseco dispositionum præcedentium, & intrinseco dispositionum concommitantium.

39 Ad id quo vrgebatur argumentum dist. mai. quin tribuat primariam denominationem ipsi subiecto *quod*, vel alicui ipsi intrinseco, concedo mai. ipsi subiecto *quod* præcisè, nego mai. & concessa min. neg. conseq. Relationem quoad entitatem existere, & nec subiectum, nec fundamentum, aut aliquid intrinsecum ipsius denominare relatum impossibile iudicavimus citata quæst. logicæ, quia impossibile iudicamus perseverare formam, quin aliquo modo tribuat suam primariam denominationem; in præsenti autem, & si non tribuat talem denominationem subiecto *quod*, seu subiecto *quo* adæquato, quia talis denominationis (vtpotè propriæ partis) non est capax, tamen tribuit illam parti intrinsecæ constituenti ipsum subiectum, & sic non perseverat sine primaria denominatione.

40 Nec valet si dicas in toto, & non in parte subiectatur immediatè relatio: ergo totum debet denominare relatum, vel forma potest immediatè communicari alicui, cui non præstet suum effectum primarium

rium. Non inquam valet; nam dist. conseq. Cui non tribuat suum effectum primarium sub omni conceptu, concedo conseq. sub aliquo, nego conseq. In relatione potest considerari conceptus *in*, & conceptus *ad*, & vterque tanquam duplex conceptus inadæquatus primario constituit relationem; subiecto ergo, cui immediatè inhæret, composito scilicèt, non tribuit relatio vniti denominationem secundum conceptum *ad*, quia talis denominationis est incapax; tribuit tamen illam partibus intrinsecis ipsius compositi, quæ per huiusmodi relationem (vel duplicem vt alij volunt) referuntur ad invicem in ratione vnitatum: composito autem tribuit effectum primarium secundum conceptum *in*, seu inhærentis, nam prout sic illud actuat, & perficit perfectione distincta specificè à reliquis formis accidentalibus; vndè numquam verificatur, nec quod relatio existat sine suo effectu primario adæquato, nec quod subiecto immediato non tribuat illum effectum primarium, cuius est capax.

41 Obijcies tertio Materia ex se est sufficiens ad sustentanda accidentia: ergo motivum, cui nitimur, est nullum. Probatur antecedens. Materia ex se est sufficiens ad sustentandam formam substantialem: sed plus requiritur ad sustentandum actum substantialem, quàm accidentalem: ergo.

42 Neg. antecedens, ad probationem neg. maior. Nam sustentare non est vtcumque recipere, sed alterius esse media propria actualitate complere, & fulcire, ne corruat: & materia prima nullam habet ex se actualitatem, sed omnem illam haurit à forma; vnde potius accipiendo esse sustentatur, quam sustentet. Vnde Divus Thomas opuscul. 31. ait. quod materia habet esse, ex eo quod sibi advenit, quia de se est quid in completum, subiectum autem dat esse accidenti, quia non habet esse, nisi per subiectum.

43 Contra secundam conclusionem obijcies. Principium *quod* eliciens actionem est subiectum *quod* illam recipiens, sed anima vnita corpori est principium *quod* eliciens intellectionem, nam non solum anima intelligimus, sed ipsa est quæ intelligit: ergo anima, & non suppositum est subiectum *quod* intellectionis. *Confirmatur* 1. Si suppositum

esset subiectum *quod* accidentium, etiam suppositum humanitatis Christi esset subiectum *quod* illorum: sed hoc est falsum, alias suppositum divinum mutaretur, quoties de novo accidentia reciperet: ergo. *Confirmatur* 2. Si humanitas assumpta à verbo dimitteretur, maneret in illa eadem accidentia physica, quæ antea erant: sed defficiente subiecto *quod* accidentium, nequeunt accidentia perseverare: ergo humanitas, & non suppositum, est subiectum *quod* illorum.

44 Conffirmatur 3. Probabile est humanitatem posse esse sine subsistentia; sed tunc reciperet accidentia, vt subiectum *quod*, cum suppositum non daretur: ergo cum tunc casus nil amplius haberet quàm ea, quæ ex se modo habet, modo etiam erit subiectum *quod* accidentium *Confirmatur* 4. Calor receptus in aqua non recipitur in toto, sed in parte: ergo. Probatur antecedens. in illo recipitur calor, quod medio ipso operatur ad introductionem ignis: sed compositum aquæ nequit medio illo operari ad introductionem ignis: Tùm quia ageret ad sui destructionem; imò ipse calor in sui destructionem influeret cum destructio aquæ quæ esset subiectum illius, sit sui ipsius destructio. Tū quia aqua in oppositos simul effectus influeret, in non esse caloris propter innatum apetitum suæ conservationis, & in esse caloris, medio quo calefacit.

45 Vrgetur: Magis distat ab actualitate sustentandi accidentia quantitas, quæ etiam est accidens, quàm quælibet substantia partialis: sed quantitas potest esse subiectum *quod* sustentans accidentia vt videre est in accidentibus Eucharisticis: ergo substantia partialis poterit esse subiectum *quod* accidentium.

49 Respondet. neg. min. Si cum proprietate loquēdum sit. Nam teste D. Thom. 1. p. quæst. 75. artic. 2. *Licet possit dici quod anima intelligit, magis propriè dicitur, quod homo intelligat per animam.* Vnde, & si quoad absolutam denominationē præ dicentur propriæ operationes animæ de illa hoc est propter specialem indepedentiā ipsius à toto in ordine ad tales operationes eliciendas, quia se ipsa affert subsistentiam, qua etiam separata à toto subsistit ad distinctionem formarum materialium, quę pereunte subsistētia totius immediatè corruunt.

47 Ad 1. confirm. concessa mai. neg. min. & pariter, neg. se-

sequelam, quæ ad illam suadendam inducitur: sicut enim suppositum divinum de novo terminare humanitatem nullatenus arguit ipsius mutationem, ita mediante terminatione humanitatis terminare mediate accidentia de novo in illa recepta non arguit mutationem accidentalem suppositi, sed humanitatis. Iam enim supra notavimus, quod accidentia recipi in subsistente non est, quod in subsistentia recipiantur; sed quod non recipiantur in natura, nisi vt substantialiter vltimo completa per subsistentiam.

48 Ad 2. confirmat. respondet. dupliciter posse dimitti à Verbo humanitatem, vel ita vt illa dimissa impediat miraculose, ne propria subsistẽtia resultet; sed perseveret se sola independenter ab vlla subsistentia, & in hoc sensu respondebimus, cum sequenti confirmat. faciamus satis. Vel ita potest dimitti humanitas à Verbo, vt propria subsistentia, quã naturaliter exigit, immediatè resultet, & in hoc sensu omissa mai. pro qua vide nostrum à Sancto Thoma lib. 1. Physicor. quæst. 7. artic. 3. dist. min. Deficiente subiecto *quod* per destructionem adæquatam, vel in adæquatam rationis formalis recipiendi, concedo min. per novitatem solius complementi sub dist. si deficiat complementum, vt ab accidentibus exigitur, concedo min. Si dificiat pure materialiter, nego min. & conseq.

49 Verum est, quod si periret subiectum *quo*, constituens subiectum *quod* in esse immediatè recipientis, & sustentantis non possent permanere accidentia eadem, nec specie, nec numero, quia pereunte ratione formali adæquata, vel in adęquata recipiendi, & sustentandi nequeunt, quæ ipsi inhærent immediate, permanere: Cæterum deficere solem complementum, tunc potest arguere accidentium defectum, quando deficit eo modo, quo ad sustentationem accidentium exigitur, quod in præsenti non contigit: nam cum subsistentia verbi vices gerat propriæ subsistentiæ in complendo, & terminando humanitatem, fit consequens, quod propria subsistentia resultante, quàm ipsa humanitas, & accidentia illius connaturaliter exigunt, nil deficiat ab accidentibus exactum, vt eadem modo, ac antea perseverent. Sicut nec humanitas tunc casus substantialiter variaretur in esse nature per hoc quod connaturali complemento terminetur, quo non terminabatur antea.

50 Dices: ergo si per subsistentiam Petri terminare-

tur destituta propria subsistentia natura Pauli eadem etiam accidentia possent perseverare. Probatur sequela: non deficiente complemento naturæ, vt ab accidentibus exigitur, non pereunt iuxta nos accidentia: sed accidentia solum exigunt, quod natura sit substantialiter completa per subsistentiam, & de materiali se habet, quod sit completa per hãc vel per illam: ergo eadem perseverarente, completa natura, per subsistentiam Petri, ac antea erant in illa completa per susistentiam Pauli.

51 Imprimis neg. suppositum: cum subsistentiam creatam alienam naturam terminare sit impossibile, ex quo sequitur quodlibet. *Deinde* hoc omisso, neg. sequelam, ad cuius probationem dist. mai. non deficiente, vt exigitur ab accidentibus specie, & numero eisdem concedo mai. specie præcisè eisdem, nego mai. & dist. min. accidentia solum exigunt exigentia specifica, concedo min. individuali, nego min. & consеq. Accidentia ex sua specie solum exigunt, quod natura in qua recipiuntur, sit completa substantialiter: cæterum hæc numero accidentia exigunt hanc numero subsistentiam, quàm exigit etiam hæc numero natura: vnde licèt terminata natura per subsistentiam divinam, quæ non solum continet perfectionem specificam propriæ subsistẽtiæ, verum, & perfectionem eius individualem, posint eadem numero perseverare accidentia; terminata tamen per subsistentiam alienam creatam, quæ nec est eadem individualiter cum propria, nec eius individualem continet perfectionem, posset quidem perseverare eadem accidentia specie, eadem tamen numero perseverare non possunt

52 Ad 3. omissa mai. & min. nego conseq. Nam subsistentia, ideo exigitur, in natura pro prosustentaculo accidentium, quia solum, quod sibi sufficiens est ad se, & in se sistendum, sufficiens quoque est ad alia sustentanda: vnde sicut tũc casus humanitas ad esse, & in se sisteret miraculose sine subsistentia, ita eodem miraculo fieret, vt accidentia sine subsistentia sustentaret; ex quo tantum infertur, subsistentiam actualem non exigi essentialiter ad sustentanda accidentia, quod in illa sententia libenter conceditur, licèt in nulla, quæ Thomistarum sit, permittatur non esse necessariam connaturaliter, & si de exigentia illius sit sermo, semper est essentialiter necessaria; sicut ergo non valet in sententia adversariorum, accidentia possunt separata à mate-

teria existere: ergo materia non est subiectum illorum; ita in nostra non valet, accidentia possunt esse in natura separata à subsistentia: ergo subsistentia non est subiectum accidentium.

53 Ad 4. neg. antec. ad cuius probationem neg. min. ad cuius primam probat. dist. antec. Ageret ad sui destructionem per se, & immediatè, neg. anteced. mediate, & per accidens, conc. ant. Nam à qua medio calore, vt duo recepta in vna parte agit ad introductionem illius in aliam, vt pars antecedenter calida, vt duo, sibi assimilet incaliditate partem proximiorem: & idem de ipso calore, qui est virtus agendi, nã non agit immediatè in parte in qua est, sed in parte proximiori, iuxta dicta supra q. 1. artic. 8 quod si ex hoc tandem sequitur destructio subiecti, & ipsius caloris præcedentis, hoc est per accidens, sicut per accidens est debilitationem virtutis sequi ex repassione necessario concommittante efficientiam in passum: vnde aliud est, quod à qua agat medio calore huius partis, aliud quod ipsa non sit, quæ agit, & operatur.

54 Ad 2. probat. non reputamus inconveniens illam duplicem influxum, cum alter conveniat ratione propriæ formæ, alter ratione accidentis violenter introducti.

55 Ad id quo vrgebatur argumentum dist. mai. Si sermo sit de substantia partiali, quæ sit forma concedo mai. de substantia partiali, quæ sit materia, nego mai. & concessa min. dist. conseq. Substantia partialis, quæ sit forma conc. conseq. quæ sit materia, nego conseq. Substantia partialis, quæ est forma, vel est anima rationalis, quàm verum est, non solum miraculose, sed, & naturaliter sustentare in statu superationis accidentia, cum pro eo statu sit semi suppositum, & subsistens, licèt non sit persona. Vel est forma materialis, quàm Deus potest miraculose conservare sine materia, sicut sine subiecto conservat accidentia; & tunc casus, sicut actualitatem quantitatis vices gerentis substantiæ panis corroborat, & speciali influxu conservat, vt possit sustentare accidentia; ita actualitatem illius formæ incompletæ substantialis posset speciali influxu corroborare, vt se sola sustentaret accidentia. Ex quo nil contra nos, qui non defendimus subsistentiam actualem totius esse essentialem conservationi accidentium, sed tantum esse connaturaliter requisitam; & solam exigentiam ipsius esse essentialem.

56 Loquendo verò de

materia prima, magis distat, imo est essentialiter improportionata huic muneri, quam improportionem non habet quantitas. *Tùm* quia materia prima iuxta doctrinam Thomisticam nequit sine forma, sicut quantitas sine subiecto, existere, Tùm quia hoc dato nequit sic existere, Vt prima [compositio sit ex ipsa, & accidenti, quod quantitati non repugnat, vtpotè enti incapaci habendi esse simpliciter, & cum alio componendi ens, quod sit tale per se. Alia, quæ poterant obiici, diluemus, dum de resolutione vsque ad materiam primam agamus.

ARTIC. II.

Quodnam sit principium indiuiduationis substantiæ materialis.

§. I.

Notabillia, & sententiæ.

57 PRo resolutione præsentis quæstionis satis quidem ex se difficilis: notabilis 1. quod dum de principio individuationis disputamus, principium distinctionis pure numericæ substantialis indagamus, ideoquè ad substantias materiales, vel quia ex se tales sũt vel quia materiæ miscentur ratio: e incompletionis, dubium restringimus: in his enim datur suzstantia ita distincta ab alia, vt conveniens cum ea specificè, purè individualiter ab na differat: vt differt Petrus à Paulo: & ipsa quoque anima vnius ab anima alterius; licèt ex dicendis inferatur, quid sentiendum sit de substantijs completis spiritualibus: nam si in eis desficir principium essentiale, quod pro radicè distinctionis purè numericæ assignandum est, nullo modo poterunt solo numero differre.

58 Notabis 2. quod individuatio tripliciter potest considerari, metaphysicè, phisicè, & logicè, metaphysicè considerata dicit vltimum gradum inserie cuiuscumque prędicamenti, sicut genus supremum dicit in hac consi deratione gradum primum logicè inspecia dicit relationem subijcibilitatis ad predicata superiora, & prædicabilitatis de vno tantum, quæ vtraque relatio est secunda intentio; Physicè sumpta est ipsa vnitas numerica, qua aliquid constituitur indivisum in se, & divisum à quolibet alio intra eadem speciem: vnde duæ conditiones in huiusmodi individuationis principio necessario requiruntur: prima quod sit predicatum. faciens substantialiter hoc compositum ita vnum, vt alteri sit tamquam infe-

feriori incommunicabile, vel quod idem est, in alia inferiora indivisibile, hoc enim sonat ly *indivisum*. Secunda conditio est. ipsum substantialiter dividere à quocumque alio tali divisione, vt substantialis sit, & specifica non sit; *substantialis* quidem, quia distinctio, seu divisio hæc numerica est intra lineam substantiæ, cum vnum individum substantialiter differat ab alio. *Non specifica*, quia hæc distinctio, vt diximus, relinquit convenientiam in specie, & solum in conceptu individuali ponit discrimen.

59 Ex quo obiter collige; quod non potest examinari principium individuationis substantialis pure numericæ, quin simul agatur de principio multiplicationis purè numericæ substantialis: cum enim hoc substantiale individuum substantiæ materialis, ita sit hoc, vt aliud dari suponat intra eandem specificam rationem substantiæ, à quo pure individualiter est divisum; hinc est, quod non potest determinari principium talis individuationis, quin simul determinetur, quare sit tale, vt pure individualiter distinguens, alijs exigat solum numero distinctis eandem specificè naturam communicari.

60 Notabis 3. quod dum de principio individuationis sermo instituitur non conceptum constituentem individuũ, sed radicem illius exagitamus; certum enim debet esse, quod vnumquodque est hoc numero tale per hanc numero hæcceitatem, seu singularitatem, qua ab alio differt, vnde de hoc disputandum non est, sed supponendum, nam sicut vnumquodque est tale in specie per differentiam specificam, ita est tale indiuidualiter per individualem differentiã, seu hæcceitatem. Litigium ergo consistit in determinando principio radicali, à quo proveniat quod in hac forma specifica talis sit gradus, seu hæcceitas, quod relinquat convenientiam specificam, & distinctionẽ constituat pure indevidualem.

61 Huius plura suppetunt exempla: Tùm ab opposito in sententia communiori, quod Angeli omnes defacto differunt specie, in qua sententia inquiritur supposito quod per differentiam specificam differunt specie, quæ nam sit ratio, aut radix, quare nulla differentia illorum sit pure indiuidualis, cum in rebus materialibus dentur intra eadem speciem plura diffentia pure inindividualiter. Tùm in sole, de quo, postquam constat, quod vnus tantum datur, quia vna tantum datur in specie solis hæcceitas, restat indagandum à quo proveniat, tanquam à radi-

dice, quod cum in alijs speciebus plura dentur individua; vnum tantum detur in specie solis individuum. Ac denique licèt supponamus hominem esse rationalem per suam differentiam specificam, restat inquirendum, an talis differētia proveniat à forma, vel posit provenire à materia, sicut ab illa dicitur probenire in ratione potentialis ratio generica.

62 His notatis; cum plura videantur ad individuationem requiri in plures abiere AA. sententias iuxta modum diversum, quo de huiusmodi requisitis iudicarunt. Quidam enim videntes individuationem, esse ipsam vnitatem numericam, & quod quælibet vnitas sequitur ad entitatem, vnumquodque se ipso individuari senserunt, nullum aliud principium iudicantes necessarium, quàm propriam cuiuslibet entitatem, & sic forma per se ipsam est hæc numero, & non alia, & similiter materia ipsumque compositum substantiale. Hæc est communis intra Scholam Societatis sententia, licèt aliqui simul causas extrinsecas exigant pro principio individuationis.

63 Alij videntes individuationem non esse prædicatum rei quidditativum, cum non faciat quidditativè differre, sed esse quendam modum, quo natura ex se indifferens determinatur potius ad hoc individuum, quàm ad aliud, hanc determinationem à sola causa prima provenire senserunt Citantur pro hac sententia, qui in ordine ad circunstantias extrinsecas individuationem sūpere: Nam cum tales circunstantiæ debeant esse determinatæ, vt hanc numero inferant individuationem, & non aliam, necessum iudicarunt ad determinationem causæ primæ recurrere, quæ determinet has numero circunstantias, & non alias, cuius sententiæ AA. videri possunt hic apud Mag. Prado.

64 Alij attendentes incommunicabilitati naturæ individuatæ asignarunt pro principio individuationis subsistentiam, qua natura substantialis terminatur, & redditur incommunicabilis. Quorum sententiam, vt omnino falsam, & improbabilem reijcit Suarez disp. 5 sect. 5 num. 2. & videri potest apud Mag. Albelda 1. p. disp. 23. num. 13. & 14.

65 Vnanimis Thomistarum sententia Angelic. sequens Precept. Iudicat materiam esse radicale individuationis purè numericæ principium, ita vt vbi materia non datur, imposibilis sit hæc purè individualis distinctio, nam materia sola est, quæ perfectionem for-

formæ limitando, & coartando facit, quod non omnem con tineat suæ speciei perfectionem; & consequenter, quod ita sit hæc, vt detur locus adhoc, vt intra eandem speciem sit alia.

65 Quia tamen hoc individuationis principium debet positivam divisionem inducere in re individualiter distincta ab alia, nam esse divisum est de conceptu individui ideo simul quantitatem exigunt, vtpotè, quæ (vt eius diffinitione constat) est ratio dividendi, & separandi. Ex hoc autem oritur inter ipsos non leve discrimen, nam quidam necessariam indicant adhoc quantitatem actualem; quidam vt puram conditionem, alij autem, & si pauci, vt rationem formalem. Alij autem solum desiderant quantitatem, vt radicaliter præhabitam in materia, ita vt per ordinem ad hanc quantitatem totalem hoc substantiale individuum sit divisum ab alio; & per ordinem ad diversas partes quantitates diversæ designentur partes in substantia materiali; licet non deficiat vnus, vel alter, qui à conceptu individuationis substãtialis excludat totaliter quomodocumque intellectam quantitatem. Quid autem verius iudicemus, sequentibus assertionibus explicabimus.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

67 P*Rincipium radicale distinctionis purè individualis substantialis nequit esse forma substantialis.* Sensus asserti est, quod distinctionis purè numericæ substantialis, non solum materiæ primæ, & compositi, verum, & ipsius formæ, qua ab alia eiusdem speciei numero differt, nequit esse principium radicale ipsa forma, quæ per illa differt. *Vel clarius*: forma substantialis inspecta secundum ea, quæ ex se habet, omni alio seclusio nequit esse radicale principium alicuius distinctionis purè numericæ.

68 Hæc conclusio ex præse propugnatur à D. Tho. tùm 3.1. p. q. 3. art. 2. ad 3. & quæst. 13. artic. 9. & quæst. 50. artic. 4. alibi sæpè. Sed 2. contragent. cap. 93 rationem à priori propositæ sententiæ assignat dicens: *Quæcumque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam: differentia autem, quæ à forma procedis, inducit diversitatem speciei; quæ autem est ex materia inducit diversitatem secundum numerum.* Quàm rationem desumpsit ex Philosoph. qui libro 12. Metaph. cap. 8. non aliunde probat vnitatem Dei numericam, seu vnum tantum esse Deum, quàm ex carentia materiæ; & illam subsequen-

quanti forma proponimus.

69 Omnis distinctio, & vnitas de sumpta tamquam à radice à sola forma est distinctio, & vnitas specifica: sed distinctio, vel vnitas purè numerica non est distinctio specifica: ergo distinctio, aut vnitas pure numerica nequit habere pro radice solam formam. Min. est evidens nam distinctio pure individualis versatur inter extrema indistincta specificè. Mai. autem prob. tum, quia omnis distinctio pure formalis est distinctio specifica; sed omnis distinctio desumpta à pura forma est distinctio pure formalis: ergo omnis illa est distinctio specifica. Tum, quia omnis distinctio desumpta à sola specie rei est distinctio specifica, sed omnis distinctio desumpta à sola forma est distinctio desumpta à sola specie rei, nam forma adæquate sumpta in esse solius formæ, nil aliud est, quam species rei: ergo idem, quod prius.

70 Tum quia distinctio probeniens à principio illimitato specifice est distinctio specifica, sed distinctio proveniens à sola forma est distinctio prouenicns à principio illimitato specifice: ergo est distinctio specifica. Prob. præmissas, & primo probat. mai. Omnis distinctio proveniens à principio non permittente aliud eusdem speciei est distinctio specifica, vt de se constat: sed distinctio proveniens à principio illimitato specifice provenit a principio non permitente aliud eiusden speciei quia si illimitatū est specificè omnē exhaurit suæ speciei perfectionē, & consequenter non permittit aliud individuum intra eandem speciem, cui similis perfectio specifica communicetur: ergo distinctio desumpta è principio illimitato specifice est distinctio specifica.

72 Minor autem probat. Omnis distinctio proveniens à principio vt dicente puram actualitatem specificam est distinctio proveniens à principio illimitato specifice, nam nulla actualitas, vt talis limitat perfectionem, sicut nec potentialitas, vt talis, illam augets sed omnis distinctio proveniens à sola forma provenit à pura actualitate specifica: ergo omnis illa est distinctio proveniens à principio illimitato specificè. *Explicatur*, distinctio pure individualis est distinctio, vi cuius ita limitatur forma, vt non sortiatur omnem suæ speciei perfectionem: sed forma se sola, cum sit actualitas, nequit ex se hanc limitationem habere, nisi alicui principio illimitanti adiungatur: ergo cum forma se sola inspecta hoc non dicat principium, nequit dis-

distinctio ab illa prout sic proveniens esse distinctio pure individualis.

77 Confirm. nulla distinctio proveniens à sola materia potest esse distinctio pure specifica: ergo nulla distinctio proveniens à sola forma potest esse distinctio pure individualis. *Vrgetur*, quia duo alba non differunt specificè in esse albi non differunt per albedinem, quæ est forma constituens album; sed per subiectum habentia albedinem: sed Petrus, & Paulus non differunt in esse hominis: ergo non differunt per formam, qua constituuntur in esse hominis, sed per id, in quo recipitur talis forma: sed hæc est eorum distinctio pure individualis: ergo illa non dessumitur tamquam à radicè à forma.

73 Dices formam se ipsa esse limitatam, & consequenter non est se ipsa sola species rei, ac proinde se ipsa est hæc numero, & non alia nam sicut forma Petri per se ipsam, & non per aliquid extrinsecum est ens, & vna, ita per se ipsam est distincta à forma Pauli, quin sit necessarius recursus ad aliquid ab ipsa distinctum. Quod patet (*inquiunt*) in limitatione generis per differentiam specificam; quia si differentia specifica rationale v.g. limitat animal, vt sit homo, & non equus, quo non obstante desumitur talis differentia à forma: sic similiter differentia individualis, Petreitas v.g. non limitabit hominem, vt sit hic, & non alter; & hoc non obstante poterit desumi talis differentia individualis à forma?

74 Alij. Resp. convincit ratione facta nō posse desumi distinctionem pure individualem à forma nudè, & secundum se sumpta, sed debere sumi à forma, vt dicit ordinem ad aliquid extrinsecum: cæterum hoc extrinsecum non esse materiam, sed esse aliquod accidens actionem v. g. productivam, vel aliquem modum substantialem subsistentiam scilicèt, aut existentiam.

75 Sed prima solutio reffutatur ex dictis: nam vel solutio intendit, quod hæc differentia pure individualis exerceetur in ipsa forma, & cum ipsa identificatur; vel intendit, quod ipsa forma se sola est ratio, & principium; quare talis hæcceitas in ipsa reperitur, & exercetur? Si 1. nihil ad rem, cum supponamus omnes gradus, genericum, specificum, & individualem esse realiter indistinctos, & in ipsa forma exerceri. Si 2. Obstat ratio facta; nam distinctio pure individualis est distinctio, quæ cum sit extra rationem specificam, illam limitat, & contrahit, vt

vt sit hæc, & non alia: sed forma nudè, secundum se inspecta nequit esse principium, aut ratio distinctionis, quæ sit extra rationem specificam, & quæ sit perfectionis specificæ limitatio: ergo vel solutio in aliud divertit, vel ex dictis in nostra ratione corruit.

76 Explicatur: videmus aliquas formas numero solo distingui, aliasque distingui numero, & specie, & suppo nentes, quod vtraque distinctio in ipsis formis exercetur, inquirimus vlterius, à quo proveniat, quod distinctio, quæ exercetur in primis, talis sit, vt eas solo numero faciat distinctas, cum in alijs distinctio non sit solum numerica, sed etiam specifica.

Huius ergo quæsiti rationem, & radicem dicimus, nō posse venari ex sola forma secundum se inspecta; nam licèt hæc sit radix differentiæ specificæ, nequit tamen esse radix, cur sine vlla distinctione specifica detur distinctio pure individualis; hocque probamus ratione facta, ex eo quod forma se sola inspecta nequit esse principium distinctionis, quæ non sit formalis, specifica, & quia est species rei, & quia ex se caret limitativo, quod exigit distinctio pure numerica: sed per solutionem datam tantum suadetur huiusmodi distinctionem in formis exerceri, secus tamen ab illis, tamquam à radice, provenire: ergo adhuc illa solutione data, integra subsistit ratio conclusionis.

77 Contra 2. distinctio pure individualis versatur inter ea, quæ sunt eiusdem naturæ, & quidditatis; ergo quidditas, & natura in ipsis est eadem, & participantia naturam sunt distincta; sed participans naturam solum addit supra naturam id, in quo recipit naturam, quàm participat: ergo solum id, in quo natura recipitur potest esse radix distinctionis pure individualis; sed in quo recipitur non est ipsa natura, quidditas, aut forma: ergo. *Confirm.* ea differunt pure individualiter, quæ tali, ac tanta determinate perfectione participant in se eandem naturam specificam; sed quod tali, ac tanta determinate perfectione participent eandem naturam specificam, non potest provenire ab ipsa forma specifica, quæ participatur, sed ex principio illam coarctante, & limitante ad hanc, & non ampliorem perfectionem, cum participabile ex se puram indifferentiam dicat ad hoc, vt sic, vel aliter participetur: ergo.

78 Ex quo retorque solutionis exemplum; nam ratio generica, quia ex se indifferens ad plures species, nequ est

esse ratio, quare ... hanc determinetur in speciem, potius quã ab aliam; sed principium specificum ex se est indifferens ad plura individua: ergo principium specificum nequit esse ratio, quare ad hoc individuũ, potius quàm ad aliud determinetur; sed principium specificum est forma: ergo forma nequit esse ratio, a qua proveniat, talis determinatio.

799 Vlterius retorquetur exemplum, vt clarius constet eius disparitas, licèt differentia, quæ taliter determinat, vt novam addat perfectionem, & actualitatem supra determinabile, posit, & debeat provenire à forma, differentia tamen, quę nullam supperaddit perfectionem, sed potius limitat, & coarctat perfectionem eius, quod determinat, nequit provenire àforma: sed differentia specifica taliter determinat potentialitatem generis, quod novam addat perfectionem, & actualitatem; differentia autem pure individualis taliter determinat rationem specificam vt illam coarctet, limitet, nec omnem sortiatur speciei perfectionem; ergo licèt prima àforma probeniat, ab illa nequit provenire secunda. Mai. pat. nam ratio generica, cum ex se sit incompleta, completionem accipit per differentiam specificam, & sic indiferentia illius est intrinseca, & potentialis; species vèro, cum sit ex se tota quidditas, & perfectio rei, non accipit ampliorem perfectionem per differentiam individualem, sed potius propria perfectio coarctatur, & limitatur per illam.

80 Et ex his 3. impugnatur solutio: distinctio pure individualis ita est substantialis, vt esẽtialis non sit, cum eadẽ sit in duplici individuo eiusdem speciei quidditas, & essentia; sed si hæc differentia proveniret ab intrinseco ipsius formæ, omni alio extrinseco secluso, non est, cur non sit differentia essentialis. & quidditativa, sicut ipsa differentia specifica: ergo. Prob. min. nam differentia, quæ convenit ex se, & ab intrinseco principio specifico non est cur non sit quidditativa, essentialis, sicut differentia specifica; nam quæ potest esse ratio, vt ex duplici differentia ex se, & ab intrinseco convenienti principio specifico, omni alio secluso, alia sit quidditativa, & essentialis, secus altera? Sed si differentia individualis convenit ex se, & ab intrinseco formæ, omni alio secluso, ex se, & ab intrinseco convenit principio specifico, omni alio secluso: ergo est differentia essentialis, & quidditativa, sicut ipsa differentia specifica.

Ex

81 Explic. Differentia pure individualis est differentia, quæ cum substantialis sit, est extra cōceptum quidditativum, & essentialem rei: ergo est differentia, quæ nequit dari, nisi quidditati, & essentiæ rei aliquid, quod sit extra eius quidditatem, adiungatur: sed posita præcisè forma specifica, nihil ponitur, quod sit extra quidditatem, & essentiam rei: ergo posita illa præcisè, nequit dari differentia individualis.

82 Tandem impugnatur: Diversitas operationum duorum individuorum eiusdem speciei nequit reduci in solam formam: ergo nec diversum esse talium individuorum. Patet conseq. Nam ad idem principium reducitur operari, ad quod reducitur esse. Antecedens verò probatur. Tùm quia in duobus individuis eiusdem speciei operationes sunt diversæ, præcisè quia materiæ dispositiones sunt diversæ; ignis quippè in stupa minoris est activitatis propter raritatem materiæ, & in ferro citius, efficaciusque comburit propter materiæ densitatem. Tùm quia illud est principium huiusmodi diversitatum operationum, quod redditur pro ratione talis diversitatis; sed interroganti, cur hic homo vivacitatis habet sensus, quàm alter, seu acutioris est ingenij, quàm alter, nulla altera possit reddi ratio, quàm perfectius temperamentum materiæ huius, quàm alterius ergo.

83 Vrgetur directè probando hanc vltimam min. Tali interrogationi inepte assignaretur pro ratione, quod anima vnius perfectior est, quàm anima alterius; nam de hoc vlterior desideratur ratio, & quæritur radix, cur scilicèt, cum omnes animæ secundum se inspectiæ sint eiusdem activitatis specificæ, perfectius, & activius operetur anima in hoc individuo quàm in alio: at huius ratio nulla alia est, nisi quod anima in hoc individuo sortitur materiam perfectius organizatam, & dispositam: ergo forma secundum se inspecta non est radicale principium, vnde proveniat diversitas, operationum duplicis individui eiusdem speciei.

84 Contra 2. solut. obstant præterdicta, quod respectus ad accidentia repertus in forma nude, & secundum se inspecta nequit esse respectus ad accidentia tantum numero distincta: sed vt esset talis respectus individuans individuatione solo numero distincta, debebat esse respectus ad accidentia solo numero distincta: ergo talis respectus nequit esse principium eiusmodi individuationis. Probat. min. Tùm ex dictis, nam

nam respectus ortus à forma vt illimitata in sua specie debet esse respectus ad accidentia specificè quoque diversa, cum ex diversitate purè specifica nequeat oriri exigentia alicuius accidentis, quod non sit specie distinctum. Tùm quia forma, quæ non intelligitur determinata, & coartata ad hanc numero perfectionem, nequit intelligi exigens hæc numero accidentia, sicut enim accidentia vt sic exiguntur propter perfectionem substantiæ, ita hęc, & non alia accidentia exiguntur propter hanc, & non aliam, substantiæ perfectionem: sed forma secundum se inspecta, omni limitativo extrinseco secluso, non intelligitur coarctata, & limitata ad hanc numero perfectionem: ergo.

85 Tùm quia respectus ad accidentia, vel est ad accidentia ab ipsa forma dimanantia, vt sunt propriæ passiones, vel est ad accidentia sibi, & alijs communia? Si 1. nil ad rem, cum exigentia talium accidentium sit de ratione specifica formæ, prout prævenit individuationem; si 2. cum accidentia communia exigantur individualiter diversa propter diversum materiæ temperamentum, ab hoc exiguntur primo, & per se eiusmodi accidentia: sed forma sortitur hanc individualem perfectionem ex diversa dispositione, ex diversoque temperamento materiæ: ergo non ipsa forma, sed materia est quæ primo exigit eiusmodi accidentia.

86 Tùm denique: Nam respectus iste ad accidentia, vel talis est, vt accidentia connotata sint conditio ad individuandum, & ipse respectus sit, qui pro recto individuationem constituat, vel talis est, vt ipsa accidentia connotata sint ipsa constitutiva individuationis: hoc 2. est falsum; nam distinctio substantialis, qualis est individualis distinctio, de qua agimus, nequit constitui intrinsecè, & in recto per aliquid accidentale: Si 1. est manifesta petitio principij: ergo. Probatur min. Nam ratio nostra nititur in eo, quod forma nude, & secundum se sumpta nequit esse principium alicuius prædicati solo numero distincti: ergo cum respectus iste ad accidentia sit (vtpotè ipsa indifferentia purè individualis) solo numero distinctus, dicere, quod principium illius est sola forma est dicere ipsum quod per rationem impugnatur. *Explicatur*; quidquid provenit à forma nude, & secundum se inspecta nequit esse ratio distinctionis, quæ sit purè numerica: sed respectus ille

 ad

ad accidencia supponitur in solutione provenire à forma nude, & secundum se inspecta: ergo nequit esse ratio distinctionis purè numericæ.

87 Hinc: impugnatur solutio, quatenus recurrit ad solum connotatum actionis. qua forma producitur. Actio agentis non facit se sola hoc numero differre ab alio, nisi quatenus influit formalitatem solo numero distinctam ab alia; effectus quippè non differt formaliter per actionem, sed per id quod ex actione deribatur in ipsum: ergo vna forma nequit formaliter solo numero differre ab alia per actionem solum effectivè sumptam, si in ipsam non influit formalitatem solo numero distinctam à formalitate alterius formæ: sed dum sola, & nuda forma est terminus actionis nulla intelligitur in illa formalitas, quæ sit solo numero distincta à formalitate alterius formæ: hoc enim est, quod impossibile suademus ratione facta, scilicèt, quod in pura forma omni alio secluso, inueniatur formaliter aliquid, quod sit ratio formalis purè numericè distinguendi formas: ergo solutio ista non euadit vim rationis factæ, sed potius tota illius vis stat contra ipsam.

88 Comfirmatur: Licèt forma in fieri sit ipsum esse actionis, forma tamen in facto esse debet habere in se aliquam formalitatem distinctam ab actione ipsa, qua sit hæc numero, & non alia; sicut licèt compositum substantiale in fieri nil aliud sit, quàm eius actio, tamem in facto esse necessario habet alia principia ab actione distincta, quibus infacto esse constituatur: ergo licèt forma in fieri sit ipsum esse huius actionis, tamen in facto esse: aliud debet habere principium, quo formaliter sit hæc, & non alia: sed in pura forma tale principium non est dabile, vt probatum est. ergo.

89 Tandem impugnatur solutio, quatenus recurrit ad connotatum existentię, & subsistentiæ. Ordo ad existentiam, & subsistentiam supponit naturam iam singularem: ergo non Individuatur per illum. Antecedens probatur. Tū quia existentia est hæc, & subsistentia similiter est hæc, quià sunt subsistentia, & existentia huius materiæ. Tum quia existentia, & subsistentia sunt actus: ergo non possunt multiplicari solè numero se ipsis, sed ex ordine ad subiectum, in quo recipiun-

piuntur, nempè ex ordine ad naturam: ergo cum subsistentia, & existentia sumant suam individuationem in ordine ad naturam, iam supponunt naturam ex alio capite individuam.

90 Confirmatur: eadem numero natura est capax vt terminetur per hanc, vel illam subsistentiam, vt patet in Mysterio Incarnationis, in quo eadem singularis natura humana potens terminari substantia propria fuit terminata subsistentia divina: ergo singularitas naturæ non desumitur per ordinem ad hanc, vel illam subsistentiam, cum hac variata non varietur singularitas naturæ.

§. III.

Secunda conclusio.

91 *Individuatio purè numerica substantialis desumitur à materia prima, qua non data impossibilis omnino redditur talis individuatio.* Hæc est conclusio, quæ directè respondet quæsito, & quæ ex conclusione præcedenti legitime infertur: præscindimus autem modo, ab eo quod materia exigat, tamquam connotatum, vel conditionem, quantitatem, vt huiusmodi individuationis effectum præstet, de quo postea; solumque asserimus, ipsam esse principium essentiale distinctionis purè numericæ.

92 Habet conclusio pro se Divum Thomam omnibus locis supra citatis qui ideo excludit formam à principio radicali individuationis, quia indicat hoc esse materiam, ita vt impossibilem reputet multiplicationem purè numericam vbi materia non adest. Probatur ergo ratione, quæ fere est eadem cum præcedenti. Principium radicale distinctionis purè numericæ est principium limitans intra lineam substantiæ perfectionem specificam formæ: sed materia prima est huiusmodi: ergo illa est principium radicale distinctionis substantialis purè numericæ. Prob. præmissas, & primo mai. Principium radicale distinctionis purè numericæ est illud, quod est ratio, quare forma tantam, & non ampliorem sortitur perfectionem, sed principium limitans perfectionem specificam formæ est ratio, quare forma tantam, & non ampliorem sortitur perfectionem, cum forma ex se inspecta omnem totius speciei perfectionem exprimeret, nisi ab aliquo limitaretur: ergo.

93 Minor autem probatur: Tùm quia tale limitativum debet esse intra lineam substantiæ; sed illud nequit es-

se forma, quæ limitatur nam forma, vt forma caret limitativo perfectionis specificæ, vt probatum manet: ergo cum non sit tale limitativum subsistentia, vel existentia, vt etiam probatum est, sequitur esse materiam primam. Tùm quia limitatio formæ provenit tamquam à principio à receptivo formæ, cum forma irreceptibilis sit specificè illimitata, vt potè actus specificus potentialitati non admixtus; sed receptivum formæ est materia: ergo.

Tùm; quia limitatio actus, qualis est forma, provenit à potentialitate, cui admiscetur, cum limitativum cuiuscumque actus sit potentialitas: sed huiusmodi est potentialitas materiæ, quàm respicit, vt subiectum ipsam, recipiens: ergo. Tùm quia determinatio purè individualis ita limitat formam, vt nullam illi perfectionem addat, imò ratione ipsius non explicat forma specifica omnem suam perfectionem; sed determinatio, quæ taliter limitat principium determinabile, vt nullam ipsi superaddat perfectionem, sed potius propriam illius perfectionem deprimat, & coarctet, nequit non provenire à materia, cum res sicut perfectiores sunt, quanto magis elevantur supra materiam, ita imperfectiores evadunt, quãto magis admiscentur materiæ: ergo.

Denique: Talis limitatio debet provenire à principio, quod cum substantiale sit, nullam ex se habeat actualitatem, nam cum talis limitatio non sit perfectionis additio, sed depressio, nequit provenire ab aliqua actualitate, quæ ex se perfectionem dicit, & illius, cui additur, perfectionem auget; sed sola materia est principium, quod cum substantiale sit, nullam ex se habet actualitatem: ergo. Solutiones huius rationis eędem sunt cum præcedentibus, vnde eisdem inpugnationibus excludentur.

§. IV.

Solvuntur argumenta, quæ contra hanc duplicem conclusionem militant.

29 OBijcies 1. Duas formas individualiter distingui est entitatem huius non esse entitatem alterius; sed ex se ipsis habent, quod entitas vnius non sit entitas alterius: ergo ex se ipsis habent, quod sint individualiter distinctæ. Probatur min. ex se ipsis habent quod entitas cuiuslibet sit vna, nam sicut

quæ

quælibet se ipsa est ens, ita se ipsa gaudet vnitate, quæ sequitur ad ens; sed entitatem cuiuslibet esse vnam, est quod entitas vnius non sit entitas alterius: ergo.

95 Respondet. dist. mai. est non esse purè numericè concedo mai. specificè solum, aut specificè, & numericè simul, nego mai. & dist. min. ex se ipsis habent, tamquam ex principio proximo, & in quo differentia exercetur, concedo min. tanquam ex principio radicali, ex quo primo desumitur, nego min. & conseq. Non dubitamus in ipsis entitatibus formarum esse gradum purè individualem, & à gradu generico, & specifico realiter indistinctum: sed radicem quærimus, quare talis gradus detur in forma, ita vt relinquens illam convenientem specificè cum alia, purè individualiter ab alia distinguat, & huiusmodi radicem dicimus non posse esse puram formam nude, & secundum se inspectam, quia prout sic nequit esse principium purè numericè distinguendi: sicut dum inquirimus, à quo tamquam à radice habeant intellectiones distinctionem inter se specificam, non dubitamus, in ipsis intrinsece exerceri, & consequenter se ipsis formaliter esse specie distinctas; sed hoc supposito, vlterius indagamus principium, ex quo radicaliter hausere talem distinctionem specificam, & pro principio assignamus diversitatem obiectorū, ad quæ tendunt.

96 Instabis 1. Gradus individualis informis non distinguitur per nos ab earum entitate: ergo per id ipsum, per quod tales formæ sunt entia, habent talem gradum indibidualem; sed se ipsis, omni alio secluso, sunt entia; ergo se ipsis, omni alio secluso, tali gaudent distinctione individuali. 2. *forma* specie, & numero distincta ab alia, vere est distincta numero ab alia, sed se ipsa, omni alio secluso, potest esse specie, & numero distincta ab alia, vt patet in naturis Angelicis: ergo, & solo numero distincta.

97 3. Vt forma sit ens physicè finitum, nullo alio extra se indiget cum se ipsa essentialiter sit finita: ergo neque vt sit multiplicabilis purè numericè: ergo neque vt sit solo numero distincta ab alia. Hæc vltima conseq. patet; nam quæ sunt solo numero multiplicia intra eadem speciem, solo quoque numero sunt distincta. Prima autem conseq. probat. Tùm quia de ratione entis finiti est habere aliud omnino simile, cū ideò probetur Deum non posse habere alium omnino similem, quia infinitus est: sed solum simile in specie cum distinctione

 ne

ne purè numerica est omnino simile: ergo.

Tùm quia quod non repugnat excedi ab alio dissimili, & perfectiori, non repugnat æquari ab alio simili, & æque perfecto; sed ens physice finitum non repugnat excedi ab alio dissimili, & perfectiori: ergo non repugnat æquari ab alio simili, & æque perfecto, & consequenter ab alio eiusdem speciei. *Tùm* quia nullus conceptus finitus repugnat multiplicationi individuali, nisi conceptus hæcceitatis: sed hic conceptus hæcceitatis est numericus, & non specificus: ergo formæ finitæ non repugnat ex conceptus specifico multiplicatio individualis.

98 Confirmatur: Sicut distinctio purè individualis provenit iuxta nos à materia, ita distinctio specifica à forma sed non repugnat provenire à materia distinctionem, quę specifica sit, vt patet in materia sublunari; & cœlesti specie distinctis, iuxta commune placitum Thomistarum: ergo nec repugnabit, quod proveniat à forma distinctio purè individualis.

99 Ad 1. dist. conseq. per id ipsum tanquam per rationem proximam, concedo conseq. tamquam per radicalem, sub dist. per quod sũt entia absolute, neg. conseq. per quod sunt hæc numero entia, concedo conseq. & dist. min. subsumptam, ex se ipsis sunt entia absolute, concedo min, hæc numero entia, sub dist. ex se ipsis, tam quam id, in quo exercetur; & cum quo identificatur, concedo min. tamquam radix, à qua provenit, vt identificetur, neg. min. & conseq. Solutio patet ex dictis, & exemplo supra apposito, de distinctione specifica intellectionum fit manifesta; aliter otiosę essent omnes illæ quæstiones, in quibus inquiritur radix, cur res hæc, & non alia habeat prædicata.

100 Ad 2. neg. conseq. Quia naturæ complete spirituales, quales sunt Angelicæ, sunt irreceptibiles, vtpotè secundum speciem infinitæ, ac proinde ex ipsa irreceptibilitate individuantur individuatione, quæ non compatitur secum convenientiam specificam: formæ verò solo numero distinctæ, cum sint formæ receptibiles ex ordine ad subiectum, in quo recipiuntur individuantur, nam per ipsum earum perfectio limitatur, & coarctatur.

101 Ad 3. dist. antec. vt sit ens physicè finitum simpliciter, concedo antec. vt sit ens finitum secundum speciem, nego antecedens, & conseq. Infinitas simpliciter repugnat formæ creatæ, vtpotè propria Dei,

in-

infinitas autem præcisè secundum speciem illi non repugnat, imò datur defacto iuxta Div. Thom. in formis irreceptibilibus, quales sunt Angelicæ qua ratione dixit Div. Thom. quod si albedo poneretur totaliter separata à subiecto, esset infinita in specie albedinis: vt ergo forma creata simpliciter finita sit, nullo extrinseco indiget; vt tamen sit finita secundum speciem, & consequenter multiplicabilis solo numero requirit limitativum, ordinem, scilicèt, ad materiam, in qua recipitur.

102 Contra quod non obstant insertæ probationes; non prima: nam ex infinitate simpliciter tali, non solum infertur, Deum non habere aliũ similem in specie, verum nec genericè similem: quod si negatio similis in specie tantum intenderetur probari, sufficiebat pro principio infinitas secundum speciem. *Nec etiam obstat secunda*: Nam neg. mai. Quia vt repugnet, quod aliquid excedatur ab alio dissimili, & perfectiori, requiritur, quod sit simpliciter infinitum, nam hoc ipso, quod tale non sit, poterit dari in alio maior perfectio per fectione, qua gaudet; vt autem ab alio eiusdem speciei æquari non possit, sufficit quod sit secundum suam speciem infinitum, nam hoc ipso haurit omnem suæ speciei perfectionem, & consequenter alterum intra eandem speciem non permittit.

103 Non denique obstat tertia probatio; nam dist. mai. nisi conceptus hæcceitatis, repugnantia formali, concedo mai. repugnantia radicali, sub dist. nullus conceptus physicè finitus secundum speciem, concedo mai. finitus simpliciter, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Hæcceitas est forma immediatè pugnans cum multiplicatione numerica, radicaliter verò est ipse conceptus specificus vnicam tantum exigens hæcceitatem; cum forma possit ex speciei sua vnicam singularitatem exigere, si sit infinita secundum speciem, & si sit simpliciter finita: hinc provenit posse dari formam ex specie sua radicaliter repugnantem multiplicationi numericæ.

104 Nec valet, si dicas: Perfectio infinita Dei est participabilis in infinitum tam intensivè, quàm extensivè; sed quia participabilis in infinitum intensivè, nulla est assignabilis creatura, supra quàm non possit dari alia dissimilis, & perfectior: ergo quia participabilis in infinitum extensivè, nulla erit assignabilis creatura, vltra quã non possit dari alia eisimilis, & æqualis, ac subinde eiusdem speciei.

10 Non inquam valet; nam neg. conseq. Nam perfectionem divinam non esse in omnibus participabilem in infinitum intensivè repugnat, aliter esset assignabilis creatura participans Deum modo ita perfecto, vt perfectiori non posset participari, quod est exhauriri in participando divinam perfectionem, ac proinde repugnans. At Deum non esse participabilem extensivè in infinitum in aliquibus speciebus, solum arguit exhauriri perfectionem illius speciei in vno individuo, & cum hæc infinitas in participando solum sit infinitas secundum quid, & in specie, quæ non repugnat creaturæ, fit consequens, quod Deum non esse participabilem in infinitum extensivè in aliquibus speciebus, non repugnet.

106 Ad comfirm. concessa mai. dist. min. non repugnat distinctio specifica proveniens à materia prout respicit diversas formas in satiando eius appetitum, concedo min. à materia præcisivè ab hoc ordine inspecta, neg. min. & dist. consequens: non repugnabit distinctio purè individualis proveniens à forma, vt recipiente materiam, per quam limitatur concedo conseq. à forma absolutè sumpta, neg. conseq. Materia cœlestis, & sublunaris specie differunt, quia respiciunt diversas formas in satiando, vel non satiando eius appetitum; quæ satietas, vel negatio illius est quid formale in termino materiæ; & similiter formá, prout respicit hanc numero materiam, fit hæc, & individua, qua prout sic respicit limitativum, per quod coarctatur eius perfectio specifica; vnde semper verificatur, & quod distinctio specifica materiæ cœlestis, & sublunaris provenit radicaliter à diversitate adæquata formæ, & quod diversitas purè numerica formæ provenit radicaliter à diversitate numerica materiæ.

107 Obijcies 2. contra secundam conclusionem. Ideò forma individuaretur per materiam, quia si hæc distinctio individualis conveniret formæ ratione sui, esset distinctio essentialis; sed materia non individuatur per aliud, sed per se ipsam, quin hæc distinctio evadat essentialis: ergo vel materia individuatur, per aliquid extrinsecum, vel forma se ipsa individuatur. Patet conseq. Nam si materia ratione sui est hæc, quin essentialiter sit hæc, cur forma non poterit esse se ipsa hæc, quin sit hæc essentialiter?

108 Confirmat. 1. essentia compositi substantialis materialis non solum consistit

in

in forma, sed in materia: homo enim essentialiter est compositus ex vtraque: hoc non obstante damus distinctionem provenientem à materia, quæ non sit homini essentialis: ergo, & dabimus distinctionem provenientem a forma, quæ non sit homini essentialis.

109 Comfirmatur 2. Duæ materiæ sublunares fiunt solò numero distinctæ per ordinem ad diversas quantitates, iuxta probabilem inter Thomistas sententiam: ergo duæ formę specificè distinctæ poterunt fieri solo numero diversæ per ordinem ad accidentia extrinseca. Probatur conseq. Nam si distinctio numerica individualis, & si substantialis sit, potest provenire à principio substantiali, vt respiciente quantitatem quæ est accidens; cur, & si purè numerica sit, non poterit summi à principio specifico, vt respiciente accidentia?

Confirmatur 3. Nequit esse idem principium radicale indifferentiæ, & determinationis: sed materia est radicale principium indifferentię nam genus; quod est indifferens, & potentiale, desumitur à materia: ergo nequit esse principium determinationis individualis.

110 Confirmatur 4. Nequit esse idem principium radicale multiplicationis purè numericæ, & numericæ immultiplicabilitatis: sed si materia est radicale principium individuationis, vtriusque est principium radicale: ergo. Probatur min. Nam vt principium radicale individuationis est radix hæcceitatis, cum qua repugnat coniungi multiplicationem numericam: deinde, cum iuxta nos solę substantiæ materiales sint solo numero multiplicabiles, erit quoque radix multiplicationis numericæ: ergo erit radicale principium multiplicationis numericæ, & numericæ immultiplicabilitatis. *Vrgetur*. Duæ animæ rationales sunt numero distinctæ pro illo priori pro quo intelliguntur à Deo creatæ, cum productio sit singularium; sed pro illo priori non dum intelliguntur receptę in materia: ergo independenter ab illa datur distinctio purè individualis.

111 Resp. concessis præmissis, neg. conseq. nam materia, & si pro recto se ipsa individuetur, indiget tamen connotato huius numero quantitatis, iuxta postea dicenda; quod cum materiæ accidat, fit consequens quod, & si se ipsa sit hæc, essentialiter tamen non est hæc: forma autem nequit respectum habere ad hæc numero accidentia, nisi prius intelligatur coarctata, & limitata per respectum ad materiam, ac

ac proinde, nisi intelligatur iam individuata per ipsam: quod si respectus aliquis ad accidentia immediatè oriretur à forma nude, & secundum se inspecta esset respectus specie distinctus, vtpotè ortus ab actualitate specificè illimitata, vt constat ex dictis.

112 Ad 1. confirmat. resp. quod essentia compositi substantialis quantum ad id quod est actualitatis, & perfectionis in sola forma consistit; quoad id verò, quod potentialitatis est, & limitationis consistit etiam in materia; & cum individuatio non oritur ex actualitate, sed ex limitatione, nequit oriri à forma, vel nequit oriri ab illa, nisi prout limitata per materiam. Cur autem, & si vtraque pars essentialis sit à materia possit oriri distinctio, quæ essentialis composito non sit, secus à forma, constat ex immediatè dictis; quia materia, scilicèt, & si pro recto præter se ipsa hac distinctionem, exigit pro connotato quantitatem, quam non exigeret forma, si vt pura actualitas est, & in esse solius formæ inspiciatur.

113 Ad 2. confirm. neg. conseq. ad cuius probationem dist. ant. quoad 2. partem, cur non poterit sumi à principio specifico, vt respiciente hæc limitata accidentia conc. ant. vt respiciente absolutè accidentia neg. ant. vel alijs terminis vt respiciente mediatè conc. ant. vt immediatè respiciente neg. ant. Forma specifica, vt respiciens immediatè materiam, aqua limitatur, iam mediate respicit hæc limitata accidentia, & consequēter iam est individua, non ex accidentibus, quæ immediatè respicit sed ratione materiæ, aqua limitata illa accidentia respicit: quod si respectus immediatè fundaretur in forma, vt forma præcise, & vt actualitas est, nō posset esse respectus solo numero diversus, vt ex dictis constat.

114 Ad 3. disting. mai. nequit esse idem principium radicale sub eadem ratione conc. mai. sub diversa, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. materia secundum rationem potentialis vt sic est radix potentialitatis genericæ; & vt ratione huius potentialitatis sic, vel sic limitat perfectionem specificam, est radix determinationi individualis: sicut licèt omnes gradus proximè proveniant à forma, genericus specificus, & individualis, alia, & alia ratione vnusquisque ab illa provenit.

115 Ex his constat ad 4. nam materia secundum se inspecta, cum ratione potentialitatis limitet naturam, non

finit

finit in hoc individuo omnem illius exhauriri perfectionem specificam, & consequenter relinquit eam alijs eiusdem speciei communicabilem, & sic multiplicabilem numericè, vt autem eam trahit ad hanc numero individuationem facit illam non incommunicabilem secundum se; sed prout in hoc incommunicabilem; vnde secundum diversas considerationes ipsa est radix, aqua provenit multiplicitas numerica naturæ, & ipsa etiam est aqua provenit, quod prout in hoc non sit multiplicabilis.

116. Vel dic cum communi solutione, quod materia ex se inspecta, cum sit partibilis ratione quantitatis in diversas numero portiones est radix, quare plura dentur intra eandem speciem limitantia, & consequenter plura individua: Vt autem præhabet hanc numero quantitatem, potiusquam aliam, est radix huius determinatæ hæcceitatis, ac proinde est radix, cur natura, vt per hanc hæcceitatem determinata sit inmultiplicabilis.

117 Ad id, quo vrgebatur obiectio: Resp. quod duæ animæ pro illo priori, pro quo intelliguntur à Deo creatæ, & si non intelligantur in materia receptæ, intelligitur quælibet ad distinctam numero materiā ordinata, vel cum distincta numero materia proportionata, & connexa; & per hunc ordinem, connexionem, seu proportionem individuatur.

Sed insurges: hæc numero anima indifferens est ad adquirendum hanc, vel illam materiam per nutritionem iuxta diversitatem alimenti, quo homo potest vti. *Nec valet* si dicas ex hoc nihil inferri, nam anima non individuatur per ordinem ad materiam, quā pro diversitate nutritionis informat, sed per ordinem ad materiam, quàm informat in prima hominis generatione.

118 Nam contra est, nam si anima Petri post primam Petri generationem potest variare materiam; quin ipsa numero varietur, cur in prima generatione non poterit informare materiam distinctam ab ea, quàm deffacto informat, quin per hanc mutationem materia ipsa varietur? Deinde. Anima Christi potuit in prima generatione informare aliam materiam à materiā B. V: distinctam; ergo anima secundum se etiam est indifferens in prima generatione ad plures materias. Antec. patet ex eo, quod post decretum talis animæ vnitæ verbo specialis favor fuit, vt illa anima vniretur materiæ B. V. potius quàm alterius fæminæ.

119 Resp. ad replicam, vt

vt ibi. Ad cuius primam impugnationem resp. quod anima Petri post primam generationem licèt possit variare materiam entitativè sumptam, non tamen variare potest materiam formaliter sumptam, quia vt diximus supra lib. 1. q. 4. art. 3. nova materia quæ per nutritionem adquiritur, sub rogatur loco prioris materiæ, quæ fuit subiectum formæ in prima generatione, & ex hoc provenit quod per illam non varietur individuatio, vt ibi diximus, quia remanet eadem materia, quàm in prima generatione actuabat forma, eadem formaliter, licèt non eadem entitativè.

Ex quo infertur: quod in prima generatione anima eadem numero nequit respicere vt informandas pro illo instàti diversas numero materias adhuc divisivè, quia cum vna sit totaliter ex se diversa ab altera, alias vna non subrogatur loco alterius, qualiter in nutritione contingit, hinc est non posse esse eandem numero animam; variata tàm entitativè, quàm formaliter in munere individuandi. Et difficultas argumenti omnes debet vrgere, cum omnes teneantur defendere eundem numero perseverare hominem toto tempore nutritionis, cum tamen varietur entitativè materia, quæ est pars essentialis illius.

121 Ad 2. impugnationem Respond. quod licèt hæc numero anima huic soli numero materiæ, scilicet materiæ B. V. potuisset vniri, verbum tamen divinum potuit aliam, & non hanc assumere: vnde gratia facta B. V. stat in eo, quod verbum assumpsit hanc animam vnitam materiæ desumptæ ex B. V. cum potuisset assumere aliam animam vnitam materiæ ex alia fœmina desumptæ.

122 Tandem obijcies: forma solis est forma recepta in materia: & tamen sortitur in illa omnem suæ speciei perfectionem: ergo falso diximus, quod limitatio materiæ est ratio, vt forma non sortiatur omnem suæ speciei perfectionem.

123 Confirmatur 1. per id individuatur natura, per quod redditur alteri incommunicabilis, sed per subsistentiam redditur alteri incomunicabilis: ergo per illam redditur individua. Confirmatur 2. ex D. Thom. opuscul. 16. §. vltimo dicente: *Valde ruditer Averroistæ argumantantur, quod Deus non possit facere, quod sint multi intellectus eiusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem, dato enim quod non esset de natura intellectus quod multiplicaretur, non opporteret propter hoc, quod intellectum mul-*

multiplicari includeret contradictionem; nihil enim prohibet aliquid non habere sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa, sicut grave habet ex sua natura, quod non sit sursum, tamen grave esse sursum non includit contradictionem, sic ergo si intellectus naturaliter esset vnus omnium, quia naturaliter non haberet causam multiplicationis; posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa.

Ex quo sic arguitur; quod substantia aliqua careat materia solum probat carere principio exigente multiplicationem purè numericā, sed Deus potest facere, quod res sit multiplex numero sine principio talem multiplicitatem exigente. ergo Deus potest facere substantiam multiplicem numero sine materia: ergo non est principium essentiale multiplicationis numericè, & consequenter, nec individuationis.

124 Resp. concessa mai. & dist. min. omnem perfectionem absolutè posibilem neg. min. possibilem neturaliter conc. min. & disting. conseq. Est forma non satians appetitum materiæ, neg. consq. satians, subdit. Vt non sortiatur omnem perfectionem posibilem naturaliter conced. conseq. possibilem absolutè neg. conseq. forma satians appetitum materiæ, qualis est formæ solis omnem ambit suæ speciei perfectionem naturaliter possibilem, quia alias naturalem appetitum materiæ non satiaret; ex quo solum infertur, illam esse naturaliter inmultiplicabilem, quia non relinquit materiam ad vlteriorem perfectionem naturaliter indifferentem: semper tamen remanet absolutè multiplicabilis, qua constat materia, in cuius varias portiones potest absolutè dividi; & hanc absolutam possibilitatem negavimus formæ irreciptibili in materia, forma autem quæ ita recipitur in materia, vt non satiet illius appetitum tàm naturaliter, quàm absolutè est solo numero multiplicabilis.

125 Ad 1: confirm. dist. mai. per quod redditur alteri incommunicabilis tamquam inferiori conc. ant. tamquam complemento, & sustentanti neg. mai. & dist. min. per subsistentiam redditur alteri incommunicabilis tamquam cō-plemento, aut sustentanti conc. min. redditur alteri, vt inferiori incommunicabilis per subsistentiam subdist. formaliter neg. min. consequenter, & per modum complementi conced. min. & neg. conseq. natura præsupponitur singularis, vt terminetur per subsistentiam, vt diximus de natura humana Christi

ti D. quæ iam singularis, fuit per subsistentiam divinam terminata, verbum enim divinum naturam singularem assumpsit, vnde per subsistentiam non constituitur natura singularis, nec individua, nec incommunicabilis formaliter alteri tamquam inferiori, quod formaliter exigit ratio individui; licèt subsistentia naturam reddat incommunicabilem alteri tamquam supposito, quæ incommunicabilitas vtpotè sequuta ad primam incomunicabilitatem; licèt non constituat naturam formaliter individuam illam reddit individuam completivè, quia subsistentia est cōplementum naturæ individuæ.

126 Ad 2. confirm. Resp. quod Averroistæ asserebant intellectum nec de potentia absoluta posse multiplicari, ex eo quod intellectus non exigit multiplicationem: contra quos invehitur D. Thom. illos repræhendens, vt ruditer argumentantes, quia non rectè infertur immultiplicabilitas intellectus ex non exigentia multiplicationis, quia cum non exigentia multiplicationis compatitur capacitas ad illam, & cum capacitate ad multiplicationem sine exigentia illius stat per potentiam Dei posse multiplicari, quod patet exemplo D. Thomæ ad hoc explicandum allato: lapis, licèt non exigat sursum ascendere, quia tamen est capax talis ascensus, absolutè potest ascendere.

Ex qua explicatione authoritatis D. Thomæ, resp. ad argumentum ex illa formatum, dist. mai. solum probat, carere principio exigente multiplicationem numericam principio exigente, & simul dante capacitatem ad multiplicationem numericam conc. mai. exigente præcisè neg. mai. & disting. min. sine principio præcisè exigente conc. min. sine principio, exigente, & dante capacitatem, neg. min. & conseq. Itaque hæc est mala consequentia, & eadem cum impugnata à D. Thom. *Hæc natura non habet principium exigens multiplicari numero: ergo nequit absolutè à Deo multiplicari*; hæc tamen est optima: *hæc natura est essentialiter incapax multiplicationis: ergo nequit à Deo multiplicari*: Materia autem non solum est principiū, sine quo natura non exigit multiplicari, verum, & sine quo est essentialiter incapax multiplicationis, quia ea deficiente, quæ limitat formam, forma exhaurit in vnico individuo omnem perfectionem suæ speciei, & consequenter non potest alijs communicari.

§. V.

Statuitur tertia conclusio.

127 NEquit quantitas omnino excludi à ratione indiuiduationis purè numerica substantialis. Hanc conclusionem statuimus cõtra vnum, vel alterum ex nostris, qui sic materiam faciunt principium radicale indiuiduationis, vt totaliter excludant quantitatem; tàm vt rationem formalem, quàm vt conditionem, tàm actualiter inhærentem, quàm vt radicaliter in materia præhabitam: vnde in hac conclusione non determinamus modum, quo quantitas requiritur, sed asserimus, quod requiritur.

128 Conclusio autem multiplici, & expressa D. Tho. authoritate fulcitur: Nam 5. metaph. textu 12. lect. 8. explicans Philosoph. sermonem de varijs vnitatibus instituentem, sic ait: *Numero quidem sunt vnum, quorum materia est vna: materia cum secundum quod stat sub dimensionibus signatis est principium indiuiduationis formæ, & propter hoc ex materia habet singulare, quod sit vnum numero ab alijs diuisum.* Et cap. 2. de ente, & essentia, ait *Et ideo sciendum est, quod materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solum materia signata; & dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur.*

129 Et 3. p. quæst. 77. attic. 2. incorpore præfatam sententiam exprimit clarissime dicens: *Quantum igitur ad primum materia est indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus, quia cum huiusmodi formæ, quantum ex de se, sint natæ in aliquo esse, sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, iam forma sic existẽs potest in alio esse quàm tum autem ad secundum dicendũ est, quod indiuiduationis principium est quantitas dimensiua; ex hoc enim aliquid natum est esse in vno solo, quod illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs; diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, vt dicitur in 1. Physicor. & ideo ipsa quantitas dimensiua est quodam indiuiduationis principium.*

130 Et ne videatur, quantitati, quæ est accidens, tribuere rationem formalem indiuiduationis substantialis, ait super Boetium de Trinit quæst. 3. artic. 2. ad 2. *Dimensionis cum sint accidentia per se, non possunt esse principium vnitatis indiuiduæ substantiæ: sed materia, prout talibus dimensionibus substat, intelligitur esse principium talis vnitatis, & multitudinis.*

131 Nec in hoc sistit Angelic. Doct. expressio, sed vl-

vlterius opuscul. 70. quæst. 4. artic. 2. progreditur ad impugnandam solutionem, qua præfatis testimonijs AA. occurrunt; sic enim ait: *Sicut materia est principium diversitatis secundum genus prout subest communi formæ; ita est principium diversitatis secundum numerum, prout subest dimensionibus interminatis.* Et post pauca concludit: *Alia vero accidentia non sunt principium individuationis, sed sunt principium cognoscendi distinctionem individuorum, & per hunc modum etiam alijs accidentibus individuatio attribuitur.*

132 Ex qua authoritate sic reborantur præcedentes. Si dimensiones quantitatis in tantum dicerentur à Div. Thom. requiriri ad individuationem, in quantum licèt non sint ipsius individuationis principium, per eas tamen cognoscitur individuatio (hæc enim est solutio adversarium) nulla esset differentia assignata à Div. Thom. inter dimensiones quantitatis, & alia accidentia: sed D. Thom. expresse distinguens inter illa dicit, quod materia prout subest dimensionibus est individuationis principium, alia verò accidentia non sunt principium individuationis, sed sunt principium cognoscendi distintionem individualem: ergo ipse expressè excludit solutionem, qua propria eius sententia toties repetita posset elludi.

133 Nec iterum dicas cum alijs, qui nostræ sententiæ adhærent, sed distinguũt vnitatem transcendentalem numericam in substantijs ab vnitate quantitativa, qua substantia ab alijs divisa numerum conponit, asserendo hæc, & similia loca D. Thom. debere intelligi de vnitate numerica sumpta in secunda acceptione, nimirum, quod vt substantia æt transcendentaliter vna numero intra lineam substanitæ, à quantitate non dependet saltim, vt à forma actualiter inhærente, dependet tamen ab illa vt sit vna numero vnitate quantitativa, & positivè ab alijs divissa.

134 Nam contra est 1. D. Thom. in omnibus relatis locis omnino extra rem individuationis proprie substantialis loquutum fuisse, & sic in Authorit. ex 5. Methaph. relata, vbi mentem Philosoph. circa vnitatem genericam, specificam, & numericam explanatdum de vnitate numerica asserit, desumi à materia secundum quod stat sub dimensionibus, & quod prout sit materia est principium, individuationis formæ solum de vnitate quantitativa accidentali intelligendus est: sed hoc est manifeste ipsius mẽtem eludere: cum ibi loquatur de

de vnitate generica, specifica, & numerica in eadem linea substantiæ scilicèt: ergo. *Explicatur*; D. Thom. asserit vbi vnitatem genericam desumi à materia prima, vt subest communi formæ, & vnitatem numericam sumi ab illa, vt stat sub dimensionibus; sed vnitas generica, quæ sumitur à materia prima, vt subest communi formæ, est in linea substantiæ: ergo, & quæ sumitur à materia prima, vt subest dimensionibus; ne in sensu tam diverso in vtraque loquatur.

135 Contra 2. nam loco citato super Boetium, vt difficultatem evaderet, scilicèt, quod quantitas, quæ est accidens, esset ratio formalis individuandi, asserit, quod quantitas non est principium individuæ substantiæ, sed materia, prout ipsi subest; idest materia in recto ingrediente, & dimensionibus in obliquo: sed loquutus fuisset de vnitate numerica individuali quantitativa, & quæ supponat vnitatem numericam substantialem, falso negasset, quantitatem esse principium huius, cum ratio formalis, & in recto huius vnitatis quantitativæ sit ipsa quantitas: ergo loquitur de vnitate numerica propria substantiæ.

136 Ac tandem, si solam vnitatem quantitativam faceret à quantitate dependentem quantitas non esset principium individuationis propriè substantialis, sed manifestativum illius, idest per hanc vnitatem quantitativam cognosceretur, quæ substantia esset vna numero in linea substantiæ: sed hoc expresse negat opusc. 70. citato assignans discrimen inter quantitatem, & alia accidentia: ergo. Et sane mirum est, quod in his, & alijs consimilibus authoritatibus, quibus vtuntur Div. Thom. discipuli tamquam proprijs ad indagandam Angel. Doct. mentem circa principium individuationis substantiarum, nullam in ipsis mentionem fecerit de vnitate, quam adversarij existimant propria, & constitutivam individuationis substantialis.

137 Hæc fusius solito pro mente Div. Thom. quia cum ipsius discipulis disputamus. Iam probat. conclusio ratione ex his authoritat. deducta. Principium individuationis substantialis est illud à quo provenit, quod substantia sit hæc determinatè, & non alia: sed materia se sola nequit esse principium, à quo proveniat, quod substantia sit hæc determinatè, & non alia: ergo materia se sola nequit esse principium individuationis substantialis: sed si quid supra materiam desideratur, est quantitas: ergo hæc necessario requiritur ad

ad individuationem substantialem. Omnia constat: Minor subsumpta relinquitur postea, probanda, min. vero, quam AA. negant, probat. *Tum* quia principium ex se indifferens ad hanc vel illam substantiam componendam nequit esse principium determinans substantiam, vt sit hæc determinate, & non alia; sed materia prima secundum se inspecta est indifferens ad componendam hanc, & illam substantiam: ergo. Quæ probatio affertur ad idem intentum à D. Thom. loco cit. super Boetium dicente: *Cum dicit Philosoph. numero sunt vnum, quorum materia est vna intelligendum est de materia, quæ subest dimensionibus; alias omnia generabilia, & corruptibilia essent vnum numero, cum eorum sit materia vna.*

138 Tum, & explicatur amplius præcedens probatio: Materia secundum se inspecta nullam dicit diversitatem, prout componit hoc numero compositum, & prout componit aliud numero diversum: ergo ab ipsa secundum se inspecta nequit desumi vnitas numerica illius, & vnitas numerica alterius: patet conseq. Nam à principio nullam dicente ex se diversitatem nequeunt prout sic desumi, quæ sunt inter se diversa. *Tum*, quia hoc compositum est distinctum numero ab alio, quia habet aliquid diversum ab illo, sed non quia habet formam substantialem diversam, cum huius diversitas ex alia radice desumatur, vt probatum est: ergo quia habet materiam diversam: sed materia inspecta secundum se nullam habet in vtroque diversitatem: ergo à materia prout sic non desumitur distinctio numerica compositi.

139 Nec valet si dicas: hanc indifferentiam materiæ determinari per suam causalitatem receptivam, & sustentativam, & per suam vnionem; sicut causa indifferens ex se ad plures effectus producendos hac nunc actionem determinatur ad hunc effectum; nec amplius insistendum est, inquit M. Ildeph. Michael 1. p. q. 11. dub. 7.

140 Non inquam valet. Nam causalitas receptiva materiæ est hæc, & non alia, quia virtus est determinata pro priori ad hanc, & non aliam, vt quid enim phylosophia Thomistica defendit necessitatem prædeterminationis in causis etiã naturalibus, nisi ne exeat actio determinata à virtute pro priori non determinata, seu pure indifferenti ad hanc, vel illam actionem? Deinde; quomodo amplius insistendum non est, cum de qualibet causalitate merito dubitetur, qua re sit hæc, & non illa, & huius principium determinationem causę omnes Thomistæ assignant?

Ex-

141 Explicatur: quæcumque causalitas est hæc, vel à principio, à quo est, vel termino ad quem tendit; sed prima radix, quare causalitas materiæ sit hęc nequit esse hæç numero forma, ad quam tendit, aliàs prima radix individuationis materiæ esset forma; nam iuxta solutionem prima radix determinationis est causalitas: ergo si determinationis huius est prima radix forma, prima radix determinationis materiæ erit forma, ac proinde individuationis, quod nisi desseratur D. Th. non potest concedi: si desumitur à principio, cum principium sit materia; vel materia supponitur iam determinata, vel à causa, vt indifferenti provenit causalitas determinata. Eisdem patet impugnationibus recursus ad vnionem. Tum quia non datur. Tùm quia extremum vnibile prius debet esse hoc numero extremum, quam hac numero vnione posse vniri. Denique, quia vnio ex parte materiæ se tenens eam respiceret pro subiecto, ac proinde ab illa esset talis vnio individua.

142 Nec iterum valet si dicas cum alijs, per vnitatem actionis generativæ, seu creativæ determinari indifferentiam materiæ. *Non quidem valet*: Tùm quia actio determinans effective aliquod debet ponere in materia prædicatum, quo determinetur formaliter, cum materiam esse hanc, & individuam in facto esse sit aliquo prædicato formali gaudere, quo secundum se sumpta non gauderet, sed actio efficiens non est prædicatum formale illius: ergo licèt per actionem determinetur, & individuetur effectivè, sit nihil ponit in illa distinctum ab his, quæ secundum se habet, manebit indifferens, sicut antea, non determinata; & individua. Videntur dicta in probat. 1. conclus.

143 Vrgetur: Vt actio faciat materiam vnam generice, facit eam sub esse alicui formæ secundum conceptum communem, & vt sit vna specificè, facit eam sub esse alicui formæ secundum conceptum specificum, & vtraque forma, seu vterque conceptus formæ, cui materia subest, vel ad quem dicit ordinem est distinctus ab entitate materiæ: ergo vt faciat illam vnam numero necessum est, quod faciat illam subesse, ordinari, vel exigere aliquam formam, per cuius exigentiam sit hæc numero: sed hæc forma nequit esse forma substantialis, alias illa esset prima radix individuationis substantialis: ergo necessaria est exigentia alicuius formæ accidentalis.

144 Hæc forma exacta est quantitas (hæc est illa minor subsumpta, quam probandam promisimus) ergo quantitas necessario requiritur ad individuationem substantialem. Probatur min. Tùm quia tale accidens exactum debet esse illud, quod primo, & per se exigit materia; sed accidens primo, & per se exactum à materia est quantitas: ergo. Maior patet: Quia tale accidens debet esse illud, per quod pro priori ad reliqua accidentia corporea supponitur subiectum esse corporeum, & vnum numero. Minor autem constat ex vnanimi consensu Thomistarum asserentium implicare materiam, quæ quantitatem non exigat, qua ratione probat Div. Thom. 1. p. quæst. 5. artic. 2. Quod Deus non est compositus ex materia, & forma, quia alias esset corpus, cum materia exigat quantitatem, ac proinde trinam dimensionem, qua constituitur corpus.

145 Tùm quia si aliquod exigitur accidens debet esse illud, cuius quidditas proprie conducit ad effectum individuationis formalem: sed huiusmodi est sola quantitas: ergo. Probatur min. effectus formalis individuationis est facere individuum positivè divisum à quolibet alio sed nullum agnoscimus accidens, cuius quidditas consistat in divisione preter quantitatem, vt ex eius constat diffinitione: ergo.

146 Denique, nam illam formam rationabiliter iudicamus exigit ad individuationem, ratione cuius materia, quæ secundum se est vna in omnibus sublunaribus, in varias portiones materiæ dissecatur pro diversitale compositorum substantialium: sed hæc est quantitas, cum ratione plurium eiusdem rationis partium, quibus natura sua constat, & ipsa sit ex se divisibilis, & ratio alia dividendi in partes eiusdem rationis: ergo ipsa est forma, quæ rationabiliter iudicatur ad individuationem requiri.

Explicatur. Diversæ partes materiæ sunt diversæ partes homogeneæ, & eiusdem rationis: ergo diversitas earum nequit intelligi non intellecta quantitate, cui solum est proprium eiusmodi partibus constare: sed idem requiritur ad diversitatem substantialem partium eiusdem materiæ, ac ad diversitatem totalem duarum materiarum: ergo sicut sine quantitate partiali nequit intelligi, nec concipi diversitas partium in materia, ita sine quantitate totali nequit

nequit intelligi diversitas duplicis materiæ totalis. Videantur dicta quæst. 8, logicæ, art. 4. quæ etiam inferius amplius explicabimus.

§. VI.

Statuitur vltima conclusio.

147 Q*Vantitas quomodocumque intellecta nequit esse ratio formalis individuationis substantialis; nec potest esse conditio essentialis, vt actualiter inhærens, vnde principium adæquatum individuationis est materia vt radicaliter præhabens hanc numero quantitatem.* 1. pars prob. ratione: quam etiam dedimus citato loco logicæ: individuatio substantialis est individuatio de linea substantiæ; sed quantitas quomodocumque intellecta nequit esse ratio formalis individuationis de linea substantiæ; ergo. Prob. min. quantitas quomodocumque intellecta est accidens, sed nullum accidens potest esse ratio formalis individuationis de linea substantiæ, cum effectus formalis sit ipsa forma communicata subiecto, & effectus formalis substantialis, qualis est illa individuatio, nequeat cum accidenti identificari: ergo.

148 Confirm. idem est constitutivum rei, & illius distinctivum à qualibet non ipsa; ergo idem est constitutivum individui substantiæ, ac distinctivum illius à quolibet alio individuo; sed accidens nequit esse constitutivũ individui substantiæ: ergo nequit esse distinctivum illius à quolibet alio individuo. *Vrgetur*: Quæ differunt per aliquod accidens, tamquam per rationem formalem, accidentaliter, & non substantialiter differunt; sed duo individua substantiæ in esse talium substantialiter, & non tantum accidentaliter differunt: ergo in esse talium non differunt per aliquod accidens, tamquam per rationem formalem.

149 2. *Pars conclusionis* intelligitur in sensu formali, idest, quod ad individuationem substantialem constituendam nequit esse conditio essentialiter requisita quantitas accidentaliter inhærens, licet possit esse conditio, vel etiam ratio formalis, vt individuatio iam præsupposita manifestetur in remedia ordinatione secundum situm, mediaque extensione, quibus individuatio ipsa perficitur. De quo in solutione argumentorum.

Conclusio sic intellecta probatur; Nequit esse conditio essentialiter requisita ad aliquod constitutum, qua deficiente perseverat in re constitutum, sed deficiente quantitate actualiter inhærente, vt actua-

liter inhærente perseverat individuum substantiale: ergo ea sic sumpta non est essentialis conditio ad talem individuationem. Probat. min. potest Deus à Petro, & Paulo auferre quantitatem ipsis Petro, & Paulo perseverantibus, si enim quantitatem eorum potest ab eis separatam conservare, sicut quãtitatem panis conservat separatam à substantia panis; cur è contra non poterit substantia conservari ablata quantitate? Sed dum Petrus, & Paulus perseverent, perseverant duo individua substantiæ: ergo deficiente quantitate, vt inhærente perseverat individuum substantiale.

150 Explicatur: Petrus, & Paulus habentes quantitatem sibi actualiter inhærentem sunt duo individua substantialia, dum sunt duo distincta numero in linea substantiæ, sed per ablationem quantitatis non desinunt esse duo numero distincta in linea substantiæ: ergo per ablationem quantitatis non desinunt esse duo individua substantiæ. Min. prob. nam si per ablationem quantitatis desinerent esse duo diversa in linea substantiæ, vel hoc esset, quia ambo absolute destruerentur, vel quia identificarentur modo, qui antea erant distincti; si primũ negatur posibilem esse ablationem quantitatis à subiecto, ipso perseverante, quod satis difficile est, ne dicam extraneum: Secundum autem ex terminis repugnat, cum sicut repugnat identificata distingui, ita repugnet distincta identificari: ergo.

151 Vrgetur: potuit Deus duas substantias eiusdem speciei sine quantitate producere: sed illæ essent in linea substantiæ individuæ, & singulares, cum productio essentialiter sit singularium: ergo possunt dari duo individua in linea substantiæ absque quantitate actuali. Videantur quæ diximus citata quæst. 8. logicæ circa distinctionem partium substantiæ.

152 Vltima tandem pars conclusionis, quam tuentur Caiet. Iavel. Albelda. PP. Carmel. Ioannes à Sancto Thoma, Ortiz, Lerma, alijque plures, probatur à sufficienti exclusione aliarum sententiarum. *Insuper*, probatur: Nam principium individuationis substantialis debet esse pro recto aliquid substantiale tali modo cõnotans quantitatem, vt sine ipso sic sumpto nequeat intelligi individuatio substantialis: Sed huiusmodi est materia, vt præhabens propriam quantitatem: ergo illa prout sic sumpta est radix individuationis substantialis. Maior est certa, & min. probat, & in primis, quod sic sump-

sumpta sit pro recto aliquid substantiale constat, cum sit ipsa materia, quę est pars essentialis compositi substantialis: *Deinde*, quod sine illa vt sic connotante quantitatem nequeat intelligi individuatio substantialis prob. nequit intelligi individuatio substantialis non intellecta materia huius compositi distincta ab alia componente aliud compositum, ac per consequens, nisi intelligatur materia in varias portiones distincta, sed sic intelligitur, dum intelligitur præhabens quantitatem, & alio modo connotata quantitate necessaria non est, vt probatum manet: ergo.

153 Explicatur ex supradictis: Nam materia debet esse principium individuationis substantialis, ita vt sit essentiale ipsi individuationem constituere, ne extrahamus à linea substantiæ principium huius effectus substantialis; sed materia intra lineam propriam substantiæ quantitatem exigit, ita vt licet quantitas exacta sit accidens, illam tamen exigere sit materiæ essentiale: ergo prout sic exigens eam est principium individuationis substantialis. Vnde sicut defendimus in logica distinctionem partium substantiæ pro priori ad quantitatem actualiter inhærentem per hoc quod quælibet pars substantiæ præcontineat, & exigat distinctam, quantitatis partem; ita diversæ sint in linea substantiæ duæ substantiæ totales eiusdem speciei per hoc, quod ratione materiæ diversam quantitatem totalem exigant pro priori ad inhærentiam ipsius quantitatis.

154 Ex quo inferes, quid velit exprimere D. Thom. per ly *materiam signatam quantitate*, quam assignat pro principio individuationis, & qua expressione vtuntur quoque communiter eius discipuli, nō enim est sensus, quod in materia detur aliqua forma accidentalis, aut substantialis, imò nec quod ipsa quantitas ei actualiter inhærens eam sigillet aliquam designationem faciendo superadditam ipsius entitati, ratione cuius intelligatur esse hæc, & non alia; sed nomine illo tantum exprimitur materia, vt præhabens, & exigens quantitatem, tamquam perfectionem propriam consecutam ad ipsam, qua ratione communiter explicatur, quod asseruit quodlib. 9. quæst. 4 art. 2. quantitate, scilicet, sublata manere substantiam omnino indivisibilem, idest, quod non intellecta substantia materiali, vt radice diversarum dimensionum nequit intelligi in ea vlla diversitas partium, nec similiter diversitas substantiæ totalis, à quo proveniat materia.

potius exigere quantitatem, in solutione argumentorum statim constabit.

§. VII.

Diluuntur argumenta, contra 3. conclus.

155 OBijc. 1. D. Thom. pluribus in locis docentem, proprium esse substantiæ individuari per se ipsam ad distinctionem accidentis, quod per ipsam, quæ est subiectum illius, individuatur, ita expresse 1. p. q. 39. art. 3. incorpor. & q. 9. de Potentia, art. 2. & opusc. 70. q. 4. Sed clarius idem habet quæst. citata de Potentia, art. 1. vbi sic ait in solutione ad 8. *Ad 8. dicendum, quod accidentia non individuantur, nisi ex suis subiectis; sola autem substantia individuatur per se ipsam, & per propria principia, & ideo convenienter in solo genere substantiæ particulare habet proprium nomen.*

Ex quibus authoritat. hoc formatur argumentum: substantia individuatur iuxta Div. Thom. per se ipsam in sensu, in quo non potest concedi per se ipsum individuari accidens; sed accidens non individuatur per se ipsum ly *non* præcise excludit connotatum, nam subiectum est ratio formalis individuationis illius, nec vt actualiter ipsum substentans est conditio, cum perseveret idem accidens numero à subiecto separatum: ergo substantia individuatur ita per se ipsam, vt ly per excludat quidquid substantia non sit adhuc de connotato: ergo ita vt adhuc de connotato excludat quantitatem, & consequenter, vt omnino excludat ipsam à ratione individuandi.

156 Confirmat. Nam opuscul. de principio individuationis, ita asserit materiam esse principium individuationis, vt se sola sit principium illius, ita enim ait: *Materia sola est principium individuationis quoad illud, in quo salvatur ratio primi in genere substantiæ.* Rursus in eodem opuscul. art. *Aliud est in quo salvatur ratio individui apud nos, determinatio scilicet eius ad certas particulas temporis, & loci, & hæc determinatio debetur sibi ratione quantitatis determinatæ, & ideo materia sub quantitate determinata est principium individuationis.* In quibus clarissime docet duo: & quod materia se sola est principium individuationis, & quod quantitas, quæ requiritur non est exacta ad individuationē in se, sed ad individuationem quoad nos. Idest, vt nos quasi à signo individuationem cognoscamus.

157 Vrgetur: si materia prima esset vna numero depen-

pendenter à quantitate non esset vna per suam substantiam, hoc est falsum, ait enim Div. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. *Quælibet res est vna per suam substantiam: si enim per aliquid aliud esset vna, cum illud iterum sit vnum, si esset vnum per aliquid aliud esset abire in infinitum: vnde standum est in primo, & dicendum, quod vnum, quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens.*

158 Ad argument. respond. concessa mai. dist. minor. Præcisè excludente connotatum, vt quid radicaliter contentum in ipso accidenti, concedo min. aliter, nego min. & conseq. Substantia dicitur individuati per se ipsam, quia licet quantitatem connotet, vt quid necessarium ad individuationem, connotat illam, vt terminum, qui in ipsa substantia præcontinetur, & radicatur, & sic cum proprietate loquendo omnia ad individuationem concurrentia non sunt extranea à linea substantiæ, cum materia, vt propriam quantitatem præcontinens sit formaliter in genere substantiæ, sicut essentia, vt exigens proprietates non est in linea proprietatum, sed naturæ. Accidentia autem ita connotant subiectum ad sui individuationem, vt nec subiectum ab illis dependeat, nec in ipsis præcontineatur. Et in hoc sensu verissime posset dici, & quod sola materia est principium individuationis; & quod requiritur quantitas, quia materia, vt præcontinens quantitatem non est aliud præter ipsam entitatem materiæ, quæ ex proprijs quantitatem exigit.

159 Ad confirmationem respond: satis se explicare Div. Thom. quod loquatur in 1. authoritat. de individuatione secundum quod conceptum vnitatis exprimit, secus secundum quod exprimit conceptum divisionis, cum dicat materiam esse principium individuationis, quoad illud, in quo salvatur ratio primi in genere substantiæ. In 2. autem authoritat. expresse loquitur de quantitate, vt actualiter inhærente, idest vt determinante ad certas particulas positionis, & situs, in quo sensu fatemur non constituere individuationem, sed constitutam manifestare; non tamen loquitur de quantitate, vt radicaliter præhabita in materia, seu de materia ipsa vt radicaliter præhabente quantitatem.

160 Ad id, quo omnia vrgebantur. Omnes Thomistæ tenentur respondere, cum forma sit per se ipsam ens, & non sit per se ipsam vna numero, si ly per excludat omne aliud principium radicale; vnde

de explic. Divum Thomam: est se ipsa vna vnitate propria suæ constitutionis, conc. min. vnitate alterius generis sub dist. ly *per* designante subiectum in quo exercetur, & cum quo identificatur, conced. min. ly *per* designante radicem, à qua provenit, nego min: & conseq. Vnitas generica, specifica, & individualis identificantur, tàm inter se, quàm cum re, quæ est vna generice specifice, & individualiter: cæterum sicut esse vnam generice provenit tamquam à radice à principio cõmuni, & à principio specifico esse vnam specifice: ita esse vnam numero provenit a principio individuali, quod dicimus esse materiam præhabentem quantitatem.

162 Obijcies 2. Si materia, vt præcontinens quantitatem esset principium individuationis, vel esset vt præcontinens quantitatem indeterminatam, vel esset vt præcontinens hanc determinatam numero quantitatem: Vtrúmque est falsum: ergo. Min. quod primam partem constat, nam materia, vt præcontinens quantitatem indeterminatam est indifferens ad hanc, vel illam individuationem. Quoad 2. vero probatur. Prius est quod materia respiciat hanc numero formam substantialem, quàm quod præcontineat hanc numero quantitatem; sed tùm respicit hanc numero formam iam intelligitur individua, cum hæc numero forma non respiciatur, nisi ab hac numero materia: ergo præcontinentia huius numero quantitatis est posterior ipsa individuatione; ac proinde vt illam præcontinens nequit esse individuationis principium.

163 Maior, in qua videtur esse difficultas; probatur: Tùm quia effectus continentur, & respiciuntur à causa materiali eo ordine, quo illos causat, & recipit: sed prius materia causat, & recipit hanc numero formam substantialem, quam hanc numero quantitatem: ergo. *Tùm*, quia materia prius respicit formam, quàm quantitatem, quia prius respicit actum talem simpliciter, quam secundum quid talem: ergo prius respicit hanc numero formam, quam hanc numero quantitatem. *Tùm* quia materiam hanc numero quantitatem respicere est propter respiciendam hanc numero formam, siquidem materiam non sibi, sed formæ conservationi exigit hanc quantitatem, potius quam illam; sed prius respicit materia id propter quod exigit hanc quantitatem, quàm ipsam quantitatem quam exigit: ergo.

164 Confirmat. vel materia esset principium individua-

duationis, vt exigens hanc numero quantitatem terminatam, vel interminatam? Nullo ex his modis: ergo ad individuationem non exigitur quantitas. Minor quoad primam partem est expressa Divus Thom. opuscul. 70. quæst. 4. art. 2. vbi docet: *Ex dimensionibus interminatis reddi materiam hanc, & signatam, & sic individuari formam, non vero ex dimensionibus terminatis*: quod probat ex eo, quod alias Petrus puer, & idem Petrus vir non esset idem numero individuum, siquidem quantitas cubitalis, quæ est in Petro puero, non manet in eodem tam viro, sed fit bicubitalis; v. g.

164 Quoad 2. vero partem constat etiam ex D. Thom. 1. p. q. 7. docente ex Philos. 1. Phisic. cap. 4. ideo hanc quantitatem esse tantam, ac proinde esse certam, & determinatã, quia materia habet hanc formam, & non illam. Quod etiam patet efficaci ratione: nam determinata quantitas exigitur propter determinatam formam ideoque variata forma variatur quãtitas, vel determinatio quãtitatis: ergo prius materia ordinatur ad hanc numero formam, quam exigat hanc numero quãtitatem, & consequenter exigentia determinatæ quantitatis præsupponit materiam ex ordine ad determinatam formam individuam.

165 Confirm. 2. materia non habet ex se, vnde præcontineat hanc potius quantitatem, quam aliam, cum ex se indifferens sit, vt per hanc, vel illam quantitatem sigilletur: ergo prius est indifferentiam materię intelligi determinatam, quam quod hanc exigat quantitatem, cum non ideo sit determinata, quia exigit hanc quantitatem; sed ideo hanc quantitatem exigit, quia est determinata: Sed, dum materia intelligitur determinata, iam intelligitur individua: ergo est individua propriori ad exigentiam quantitatis. Vel aliter sub sumo: sed nihil potest præintelligi ex parte materiæ, ad exigendam hanc potius quantitatem, quam aliam, nisi respectus ad hanc formam, potius quam ad aliam: ergo respectus ad hanc numero formam individuat ipsam materiam pro priori ad exigentiam huius quantitatis.

166 Vigetur: quantitas ipsa est hæc, & individua, sicut, & quodlibet aliud accidens per ordinem ad hoc numero subiectum, ad hoc, scilicet numero compositum substantiale iuxta dicenda artic. sequenti de individuatione accidentium: ergo prius intelligitur compositum substantiale esse

se hoc numero, quam quod intelligatur hæc numero quantitas: ergo non constituitur hoc numero per exigentiam huius numero quantitatis; aliter sisteremus in circulo vitioso, dum quantitatem esse hanc probaremus ex vnitate numerica subiecti, & rursus vnitatem numericam subiecti probaremus ex vnitate numerica quantitatis.

167 Resp. prænotando in ipsa quantitate, quam præcontinet, & exigit essentialiter materia esse duplex munus; aliud disponentis, & coaptantis materiam cum forma, aliud inhærentis, & actuantis subiectum, in quo recipitur; & licèt vtrumque munus sit idem realiter, & vtrumque exerceatur in eodem instanti, prius tamen intelligitur prioritate causalitatis materialis munus disponendi, quam munus actuandi: è conuerso vero in genere actuandi, & perficiendi, quod est genus causæ formalis prius intelligitur prioritate causalitatis formalis munus inhærendi, & actuandi, quam munus disponendi.

Huius doctrinæ simile præmisimus in vltimis dispositionibus, quæ si considerentur in genere causæ materialis dispositivæ intelliguntur prius prioritate huiusmodi causalitatis, quam forma, a qua proveniunt, & quam genitum, cui immediatè inhærent, si vero considerentur in esse proprietatum formæ, & actualitatum ornantium, & perficientium genitum, prius intelligitur munus profluendi á forma, & inhærendi composito, quam munus disponendi: licèt iuxta nostrã doctrinam sæpius tradditam de huiusmodi prioritatibus vno munere intellecto pro priori causalitatis, aliud ibi munus concomittanter intelligitur; quia pro priori, pro quo intelligitur munus disponendi, tamquam rationem causandi, intelligitur concomittanter munus actuandi, & inhærendi, tamquam id, sine quo nequeunt dispositiones intelligi disponentes, & causantes.

168 Rursus dimensiones quantitatis, seu quantitas ipsa potest considerari vt interminata, vel vt terminata; nec confundas terminos pro eodem accipiens quantitatem interminatam, ac quantitatem indifferentem, vt sit hæc, vel illa, & quantitatem terminatam, ac quantitatem, quæ iam est hæc determinate, vel illa: quantitas quippe terminata est quantitas cum tali forma, figura, & dispositione secundum situm: quantitas vero interminata est quantitas ab his præscindens, & solum explicans divisionem ab alia, & munus dividendi ea, quæ afficit, vt possint

sint figurari, & determinatum situm habere. Sub primo munere, & non sub secundo considerata exigitur à materia ad indiuiduationis effectum, licèt secundum munus deseruiat, vt indiuiduatio ipsa compleatur, & manifestetur. Quæ doctrina est D. Th. opusc. 70. q. 4 art. 2. docentis materiam, vt stat sub dimensionibus terminatis esse principium individuationis, bene vero vt stat sub dimensionibus interminatis.

169 Ex his igitur ad argumentum, conc. mai. & etiam min. quoad 1. p. nego illam quoad secundam, ad cuius prob. nego mai. ad eius 1. Prob. concessis præmissis dist. conseq. Prius respicit hanc numero formam, quam hanc numero quantitatem sub munere, sub quo quantitas est effectus formæ; conced. conseq. Sub munere, sub quo disponit ad formam, nego conseq. Quantitas vt terminata idest sub hac forma, & figura est effectus formæ, quia pro diversitate formarum est diversitas terminationis quantitatis, & sub hac consideratione quantitas recipitur in composito, ac proinde recipitur mediatè in materia pro posteriori receptionis formæ: quantitas vero interminata habet munus disponendi materiam ad receptionem huius formæ, dum illa dividit, & separat ab alia portione materiæ, & sub hoc munere non est effectus huius formæ, sed potius forma ab illa dependet, vt sit hæc, & non alia, ac proinde sub hac consideratione prius respicitur à materia, quam forma.

170 Nec valet si dicas: quantitas interminata non aliter disponit materiam, nisi quatenus recipitur mediatè, vel immediatè in illa: ergo non aliter respicitur à materia in esse dispositionis, nisi quatenus respicitur vt dispositio in ipsa materia mediatè, vel immediatè recepta, sed quatenus respicitur mediatè, vel immediatè recepta respicitur eo ordine, quo recipitur: ergo cum recipiatur pro posteriori ad formam, respicitur etiam pro posteriori ad illam.

171 Nam dist. ant. nisi quatenus receptione concomitante munus disponendi, concedo antec. receptione formaliter se habente, nego antec. & sub eadem distinctione, nego conseq. Verum est, quantitatem, sicut, & quamlibet aliam dispositionem non aliter disponere, nisi receptam in subiecto, & sic probat argumentum, totum esse ibi concomitanter, formam, scilicèt quantitatis receptionem, & munus disponendi; cæterum, cum pro priori causalitatis dispositionis non intelligatur formaliter ipsa quantitatis receptio, tamquam ratio formalis causandi, datur locus vt

vt à materia respicietur prius secundum hoc munus dispositionis, quam sub munere inhærentis, & actuantis. Videantur dicta supra circa prioritatem dispositionum.

172 Nec iterum valet: si obijcias D.Th. Tùm 1.p. q.76. art. 6. asserentem esse impossibile, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter materiam, & formam, quia aliter prius haberet esse secundum quid, quam esse simpliciter: ergo nequit prius recipi à materia quantitas in esse dispositionis, quam forma, alias prius respiceret actum secundumquid, quam simpliciter talem. *Tum* in eodem artic. in solut. ad 2. vbi sic ait: *Dimensiones quantitativæ sunt accidentia consequentia corporeitatem, quæ toti materiæ convenit: vnde materia intellecta sub corporeitate, & dimensionibus potest intelligi, vt distincta in diversas partes, vt sic accipiat diversas formas secundum vlteriores perfectionis gradus: ergo quantitas, a qua dicimus individuari materiam sequitur ad ipsam materiam, vt habentem esse corporeum*: Ergo est effectus formæ, vt dantis gradum corporeitatis: ergo cum forma non det gradum corporeitatis nisi vt est hæc, & singularis, prius respicietur à materia hæc singularis forma, quam hæc quantitas in singulari.

173 Non valet in quam: nam ex 1. auth. nihil habetur contra nos, sicut enim cum illa componunt omnes discipuli D. Thom. quod dispositiones in esse talium præintelligantur ex parte materiæ, disponētes illam pro priori ad formam, quin recipiantur immediatè in materia, sed in composito; ita nos in præsenti dicimus, quod quantitas præintelligitur, vt disponens in illo priori causalitatis materiam, quin intelligatur, vt recepta immediatè in materia, sed in composito: vnde vt recepta subsequitur formam, quæ vt disponens, præcedit illam: nec D. Thom. vult, quod materia non præcedat, vt disposita pro illo priori causalitatis, sed quod non præcedat, vt immediatè recipiens dispositionem, per quam disponitur.

174 Ad 2. auth. Resp. non sic debere intelligi D. Th. dum asserit quantitatem sequi ad gradum corporeitatis, quod in re profluat à forma, dante gradum corporeitatis, & non vt dante cæteros gradus; nam cum forma sit secundum omnes gradus eadem realiter entitas nequit emanatio realis mediare realiter inter vnum gradum, & alium: sed sensus est: quod licèt à forma secundum se tota profluat, ratio tamen, & radix quare profluit, est gradus corporeitatis, sicut è converso licèt à tota indivisibili anima

pro-

profluant passiones, quæ sunt propriæ quarto modo illius, ratione tamen, quare risibilitas v.g. profluit, non est quia anima dat esse corporeum, aut sensitivum, sed quia dat esse rationa-[illegible]. Quod advertimus propter nonnullos, qui primo modo intelligentes Div. Thom. impossibilem reputant eius doctrinam, cum tamen ipse immediate ad prædicta subiungat: *Quamvis eadem forma sit secundum essentiam, quæ diversos perfectionis gradus materiæ tribuit, vt dictum est: tamen secundum consideratione differt.*

175 Quo præmisso: [illegible]ndet. quantitatem in ter[illegible]n sequi proxime ad gra[illegible] corporeitatis, nam bene [illegible]iori. *Forma dat esse cor[illegible] subiecto: ergo subiectum quantum*, cæterum radicaliter, & vltimo sequitur ad materiam quia cum formam dare esse corporeum, seu esse corpoream formaliter, vel eminenter proveniat à receptibilitate in materia de primo ad vltimum sequitur, quod si ideo quantitatem petit, quia est corporea, & ideò est corporea, quia receptibilis in materia, ideò quantitatem petit, quia exigit materiam in qua recipiatur. Vnde cum supra immediate diximus, gradum corporeitatis esse radicem, quare ad entitatem formæ sequitur quantitas, loquuti fuimus de huiusmodi gradu comparativè ad alios, idest, quod forma, v.g. equi non ideò quantitatem exigit, quia principium sensationis, aut hinnibilitatis, sed quia corporea: sed cum rursus corporea sit, quia petit recipi in materia, quæ ex proprijs quantitatem exigit, ideò prima exigentia, & radix quantitatis in terminatæ est materia.

176 Quod si adhuc instes: quare ergo Div. Thom. non ad materiam ex proprijs inspectam asseruit quantitatem sequi, sed ad ipsam, vt stat sub forma corporeitatis? Nam si materia est prima illius radix, potius ad illam, quam ad formam corporeitatis sequetur. Respondet, non esse idem quantitatem exigi, ac quantitatem sequi, si exigentiam purè radicalem, & sequelam proximam inter se conferas, quod ipsis Thomistis nobis adversantibus debet esse manifestum; nam vnitas numerica formæ sequitur proximè ad entitatem formæ; & tamen provenit radicaliter ab entitate materia. Materia ergo exigit ex se radicaliter quantitatem, licèt defacto non sequatur proximè ad ipsam, nisi vt stat sub forma, sicut, & reliqua accidentia.

177 Hinc ad 2. mai. probat. dist. antec. prius respicit actum simpliciter talem sub ratio-

tione potentiæ receptivæ, concedo antec. sub ratione subiecti dispositi, nego antec. Nec vrget Inserta probatio; nam respectus ad quantitatem, vt disponentem non est respectus formalitèr ad illam, vt recipiendam, quia iuxta dicta præcedenti artic. & in quæst: de dispositionibus, munus dispositionis non est munus receptionis formaliter, licèt hoc concomitetur illud, vnde dispositiones recipiuntur immediatè incomposito, & immediatè disponunt eius partem intrinsecam, materiam scilicet. Ex quo numquam infertur materiam prius respicere actum secundũ quid, quam actum simpliciter, quia ratio actualitatis importat receptionem in materia, cum àctualitas media sui receptione actuet, & cum sub hoc munere prius semper respiciatur forma, prius etiam respicitur actus simpliciter, quam actus secundumquid.

178 Omittimus improprietatem illius vocis *respicit*, vt applicatam ad exigentiam quãtitatis, quæ non parum ingerit confusionis: nam materiam respicere solum dicitur respectu actus, ad quem ex se ordinatur, vt pura potentia perficienda per illum, in quo sensu non solum non recipit quantitatem prius, verum nullomodo respicit quãtitatem; nam iste respectús solum est ad formam, a qua accipit esse simpliciter, & a qua specificatur. Vnde aliter poterat absolutè negari suppositum antec. nec iterum vrgeret comparatio, quoad prioritatem inter exigentiam quantitatis, & ordinem ad formam; nam cum sine in diverso genere exigentia quantitatis, & respectus ad formam nulla inter ipsa est comparatio, sed quodlibet in suo ordine est prius: est prior respectus ad formam tamquam ad id, a quo accipit esse specificum: est prior exigentia quantitatis tamquam in medio, quo dat esse individuale.

179 Ad 3. pro[...] mai. hanc quantitatem [...] tam omitto mai. in ter[...] nego mai. & concessa [...] conseq. quam hanc [...] tem terminatam omitto [...] seq. interminatam: neg. conseq. Quantitas terminata sub hac forma, & figura, & sub hac dispositione secundum situm, & sub hac magnitudine, vel parvitate diversa est pro diversa te formarum, cum videamus alium quantitatem sic terminatam exigere formam hominis, ac formam equi, cuiusmodi terminationem non exigit materia ex se inspecta, cum ęque se habeat sub parvis, & sub magnis dimẽsionibus; & sic sumptam omittimus exigi propter conservationem huius numero formæ; licet

cet si proprie loqueremur, hæ terminationes quantitatis, vt sunt tales specifice, exiguntur propter formam talem specifice, vt vero sunt tales individualiter potius ex conditione materiæ, & ex alijs requisitis provenirent, sicut ipsa individuatio forma: quod enim intra magnitudinem quantitatis necessariam ad conservationem, v. g. formę equi, alia forma equi sortiatur maiorem quantitatem, alia minorem, potius provenit ex talitate temperamenti, quam ex talitate formæ.

Quantitas vero interminata; sub quo conceptu præcisè consideratur in ea munus dividendi, & separandi materiam in varias portiones non exigitur, nec propter conservationem, nec propter introductionem huius formę, vt est hęc numero, sed vt sit hęc numero: vnde non respicit hæcceitatem formæ, vt causam, sed vt effectum, licet parum referret, si illam causam diceres finalem, executive tamen à materia, cum exigentia interminatæ quantitatis dependentem.

180 Ad 1. confirm. resp. Satis constare ex dictis, quantitatem Interminatam esse, quæ pręintelligitur pręhabita in materia tamquam in radice ad effectum individuationis: nam quantitas prout sic interminata præcisè consideratur secundum rationem dividendi vnam portionem materiæ ab alia, præscindendo ab eo, quod dimensiones sint huius, vel alterius longitudinis, sint hac, vel illa figura terminatæ; & cum ideo materia exigat ad effectum individuationis quantitatem, quatenus per connotationem illius intelligitur hæc materia distincta, seu divisa ab alia, sit consequens, quòd solùm prout interminata ad effectum individuationis desideretur: vnde si aliquando dixit D. Thom. materiam, prout subest quantitati determinatæ, esse principium individuationis, intelligendus de individuatione, vt media tali figura, & dispositione quantitatis manifestata.

181 Nec valet si dicas: quantitatem terminatam, & interminatam non esse duplicem quantitatem in hoc individuo, sed vnicam: ergo eandem habet causam vt terminata, ac vt interminata; sed prout terminata per nos est effectus formæ: ergo etiam vt interminata.

182 Non inquam valet, nam dist. primum conseq. eandem habet causam, à qua in exercitio profluat, conc. conseq. à qua radicaliter exigatur, nego conseq. Sicut enim stat, quod à forma specifica profluant omnes gradus, quin sit omnium graduum prima radix, ita stat quod

ab eadem forma profluat quantitas terminata, & interminata, & quod titulo interminatæ, petatur à materia, titulo vero terminatæ exigatur à forma.

183 Ad 2. confirm. resp. quod materia dupliciter potest se habere in ordine ad quantitatem: primo, ita vt per alterationem præcedentem disponatur, qualiter contingit, dum via generationis adquirit novã formam virtute agentis naturalis; & in hoc sensu, sicut per dispositiones præcedentes determinatur ad hanc specifice formam præalia, ita per illas determinatur ad exigendam hanc numero quantitatem, media qua exigentia forma quoad speciem petita fiat hęc individualiter. Cui non obest, quod in instanti generationis, & receptionis quantitatis iam dispositiones præcedentes periere: nam sicut hoc non obstat, quo minus hæc specifice forma ponatur, & non alia iuxta dicta toties de dispositionibus pręcedentibus: ita non obstat, quo minus hæc ponatur quantitas, & non alia, cum ex vi talis determinationis agens nequeat iam aliam formam introducere, & consequenter nec aliam quantitatem.

184 Si autem compositum substantiale fiat per creationem vel fiat à solo Deo supplente vices agentis naturalis; cum actio Dei eminenter præcontineat effectum determinationis, quem materiæ præstant dispositiones antecedentes, ipsa erit, quæ exigentiam cõmunem materiæ ad quantitatem vt sic determinet ad esse exigentiæ huius, & non alterius quantitatis. *Cui etiam non obest*, quod supra diximus, per actionem, scilicet agentis non posse determinari, nisi in fieri, vel effectiue indifferentiam materiæ, secus in facto esse, & formaliter.

Nam hoc verum est in hoc sensu, scilicet, quod si ex parte materiæ posita adhuc actione agẽtis nil aliud intelligimus, quam id quod materia secundum se habebat, non possumus intelligere materiam formaliter, vt determinatam: in præsenti autẽ intelligimus ex parte materiæ exigentiam communem iam determinatam, quę licet vt determinata nil addat pro recto entitatis ad exigentiam cõmunem, aliquid tamen addit pro connotato, quantitatem scilicet, vt divisam ab alia. Quod si idem dicat opposita sententia, cum ipsa sumus; nam determinata materia per actionem iam est materia exigens hanc, & non aliam quantitatem.

185 Quod si instes: sequi ex hoc, dispositiones præcedentes actionemq; agentis concurrere ad esse principij individuationis imò potiori iure illa vocanda sunt principia, vtpote à qui-

quibus primo provenit, quod materia hanc, & non aliam exigat quantitatem. *Resp.* quod sicut quilibet effectus dependet à multiplici causa, ita hic effectus individuationis, mirum non est, quod etiam dependeat: provenit enim effective à generante, dispositive à dispositionibus præcedentibus, finaliter ab ipso cõposito, sed formaliter provenit ab ipsa materia, vt determinatam exigente quantitatem.

186 Ad id quo omnia vrgebantur resp. in quantitate considerari, & rationem divisionis in varias partes, seu portiones, & limitationem ad hoc subiectum, ita vt sit illius quantitas, & non alterius: sub prima consideratione quantitas nullo alio extra se indiget præter actionem agentis: quia cum ex sua natura, & essentia habeat diversas partes, in quas sit divisibilis, solum expectat divisionem agẽtis, vt in varias portiones dividatur. Ad hoc autem, vt sit vlterius incommunicabilis requirit in hoc subiecto recipi, compleri, & sustentari, vt illi appropriata. Ad alterum non habeat; cum ergo de ratione individuationis sit, & incommunicabilitas, & positiva divisio ab alijs, mutuo se indigent subiectũ, & quantitas ad individuationem; quantitas indiget subiecto, vt intelligatur alteri incommunicabilis, & subiectum indiget quantitate, vt per connotationem ipsius intelligatur positive distinctum, & divisum a b alio.

187 Nec inconvenit, quod secundum diversas considerationes totum subiectum individuetur exigendo quantitatem, & tota quantitas individuetur respiciendo subiectum, & quod in linea distinguendi, & dividendi connotetur primo quantitas, & quod in linea limitationis, & incommunicabilitatis primo intelligatur subiectum: sicut in esse specifico limitato formæ, materia, & forma prius, & posterius intelliguntur, nam vt esse sit specificum, & actuale prius intelligitur, tanquam principium à quo provenit forma, vt vero tale esse sit limitatum, prius intelligitur, vt principium limitandi, materia.

188 In quo sensu intelligendus venit D.Th. dum 3.p. q. 77. art. 2. & opusc. 70. q. 4. art. 2. & quodlib. 7. art. 10. & alibi sæpe ponit discrimen inter quantitatem, & alia accidentia: asserens alia accidentia ex solo subiecto individuari, quantitatem vero *quodammodo* individuari ex se ipsa. Non enim est sensus, quod quantitas independenter à subiecto est individua, nam in illis doctrina nil expressius, & clarius, quã quod quælibet forma, & quilibet actus cuiuscumque lineæ sit, individuatur ex receptivo formam, & actum limitante; ideoque non dixit,

quantitatem absolute individuari ex se ipsa, sed *quodammodo* individuari; vnde discrimen consistit ex dictis, quod alia accidētia, ita individuantur per subiectum, vt nullum ex se afferant prędicatum proprium individuationis, non incommunicabilitatem, vt patet; non divisionem, quia est extra proprium conceptum illorum: quantitas vero ita individuatur per subiectum, vt de se afferat subiecto conceptum divisionis, & ab illo dependeat quoad conceptum incommunicabilitatis.

§. §.

Argumenta contra reliquas conclusiones solvuntur.

189 OBijc. 1. Pro sententia asserente quantitatem esse rationem formalem individuationis. Ratio individuationis consistit per nos, & in conceptu indivisionis in se, & positivæ divisionis à quolibet alio: sed quantitas est ratio formalis huius positivæ divisionis à quolibet alio, cum effectus formalis quantitatis sit divisibilitas: ergo est ratio formalis huius conceptus, & consequenter individuationis. Quod alijs terminis fortius vrgetur; nam iuxta dicta, vt materia sit principium individuationis debet intelligi hæc portio materię positive divisa ab alia, sed omnis positiva divisibilitas provenit à quantitate, tamquam à forma: ergo huius concreti *materiæ individuæ* aliqua ratio formalis est quantitas.

190 Conf. ex D. Th. sępius asserente, quod materia, vt subest dimensionibus est principiū individuationis, & quod quātitas ex se est individua, quod fere ex omnibus hucusque adductis D. Th. locis constat: sed iy vt *subest* nō denotat quātitatē pręcisè, vt cōnotatū pure extrinsecu: ergo denotat ipsā vt inhærentē, & vt rationē formalē. *Similiter* si ipsa ex se est individua, quantum ad rationē positivæ divisionis: ergo quoad hūc effectū est ratio formalis sui, & aliorū, & cōsequēter nō tantū cōditio, aut cōnotatū.

191 Resp. dist. mai. quoad 2. p. & positivę divisionis, vt divisio opponitur identitati; conced. mai. vt divisio opponitur inseparabilitati, subdist. consistit in tali conceptu radicaliter sumpto, conc. mai. formaliter sumpto, neg. mai. & dist. min. quantitas est ratio formalis huius positivę divisionis, prout divisio opponitur inseparabilitati, conc. min. prout divisio opponitur idētitati, neg. min. & cons. Individuatio substātialis, prout intra lineā substātię, cōsistit in eo quod hoc substātialiter, & individualiter nō sit illud, ac proinde nequit formaliter cōstitui per aliquid quod substātiale non sit, & sic nequit cōstitui per quantita-

tatem. *Rursus*, hoc quod substantialiter individualiter non est aliud potest considerari, vt gaudens propria extensione partium, & ordinatione, qua positive & proxime divisibile sit ab alio, & huius divisionis, & separationis est ratio formalis ipsa quantitas, sine qua nequit talis effectus dari.

192 Sicut ergo iuxta dicta citata quæst. 8. logicæ, substantia, licet independenter à quantitate actuali non habeat partes actu divisas, & extensas, quia hic est effectus formalis, & proprius quantitatis, habet tamen partes entitative intra proprium genus distinctas, & per connotationem, seu respectum ad propriam quantitatem, quam quælibet præhabet, divisibiles; ita materia huius individui est distincta entitative substantialiter à materia alterius individui, vt præhabens hanc numero quantitatem per ordinem ad quam, seu per cuius exigentiam est radicaliter separabilis, & divisibilis ab alterius materia, quomodo sumpta individuum substantiale constituit: licet, vt actu exerceatur hæc separatio, & divisio habeat dari in re quantitas tamquam ratio formalis passivæ divisibilitatis.

193 Sed instabis: nequit actu intelligi individuum, nisi actu intelligatur non solum distinctum, verum, & divisum à quolibet alio: ergo si divisionis est ratio formalis quantitas, etiam est ratio formalis individuationis. Antec. prob. nam ideo in vasse pleno aqua, & si plures sint portiones pluralitate distinctionis non sunt plura actu individua aquæ, quia licet tales portiones sint positivo distinctæ, non sunt positive actu divisæ: ergo de conceptu individuationis non solum est positiva distinctio, sed & positiva divisio. Quod ab opposito clarius fit; nam divisa illa aqua in varias portiones dantur plura individua aquæ, cum tamen antea omnes essent vnum aquæ individuum: sed ad hoc discrimen nihil de novo additum est præter divisionem: ergo divisio est, quæ constituit individuum.

194 Instabis 2. ideo diximus, quantitatem non posse excludi à conceptu individuationis, quia de diffinitione individui est, quod sit divisum à quolibet alio, & quantitas est quæ sola dignoscitur divisionem facere: ergo vel sola distinctio non constituit individuationem, vel falso nitimur fundamento, vt ab illa non excludamus quantitatem.

Vrgetur, & explicatur: divisio, quæ præcise consistit in sola distinctione, qua vnum non sit aliud, non est propria quanti-

 ti-

titatis, sed sequitur ad quodlibet ens, est autem propria quantitatis divisio, qua vnum fit separabile ab alio; sed per nos consistit individuatio in divisione primo modo sumpta, secus in illa secundo modo accepta: ergo vel fatemur quamlibet rem esse per suam entitatem, omni alio secluso, vnam numerice, vel tenemur admittere pro ratione formali quantitatem.

195 Sed hæ instantiæ omnes æqualiter vrgent; nam in quocumque ponas conceptum individuationis, etiam si illum ponas in ipsa quantitate, dum quantitatem à quæ existentis in vase intactam relinquis, vnicum tantum est individuum aquæ, & si illam posteà dividas, varia erunt aquæ individua sine additione quantitatis; sicut ergo tunc casus dices, quod si quantitatis partes considerentur, vt communi termino copulatæ constituunt vnicum individuum, si vero considerentur, vt proximè divisibiles, & separabiles plura constituunt individua dependentia in exercitio separatione, & divisione; ita nos dicemus, quod si hæc portio materiæ consideretur, vt præhabens communem quantitatem cum alia, vnicum tantum faciet individuum, si vero consideretur, vt præhabens suam quantitatem divisibilem à quantitate alterius portionis, constituit distinctum individuũ ab alia, licet vt exercite ponatur, dependeat tamquam à conditione saltim connaturaliter ab ipsa separatione, & divisione quantitatis.

196 Vnde ad 1. instantiam dist. antec. verum, & divisum divisione radicaliter præhabita, conc. antec. divisione exercite facta, nego ant. & neg. conseq. nam vt actu intelligatur individuum, sufficit, vt actu intelligatur distinctum ab alio, & radicaliter præcontinens divisionem ab illo media præcontinentia huius numero quãtitatis: vnde licet, vt hæc individuatio exercite ponatur in re, dependeat connaturaliter ab exercita divisione quantitatis, absolute tamen non dependet ab illa, nisi tamquam à termino ab ipsa materiali substantia exacto. Instoque argumentum in sententia communi nostra tum asserentium, materiam esse rationem formalem limitationis formæ, & consequenter esse rationem formalem individuationis quoad rationem incommunicabilitatis, & tamen duæ animæ rationales numero distinguntur non per ipsam materiam, vt limitantem exercite, sed per respectum, seu exigentiam ipsius vt limitantis signate.

197 Ex quo solvitur alia communis obiectio, scilicet, quod

quod si quantitas est ratio formalis divisionis nihil non participans actu ipsam potest conceptum divisionis exprimere. *Solvitur quidem*; nam divisio, quæ propria est individuationis substantialis non est divisio, quę actu ratione accidentis exercetur, sed quæ in ipsa substantia præhabetur signate: vnde licet divisio, quæ media quantitate actuali exercetur, sit complementum, & manifestativum quoad nos substantialis individuationis, numquam tamen est formale constitutivum ipsius.

198 Hinc ad eandem instantiam ab opposito expressam: neg. conseq. sicut non valet etiam in sententia nobis adversantium. *Posita illa divisione nulla ponitur de novo quantitas: ergo vel non ponitur novum individuum, vel in quantitate non consistit individuatio.* Sicut ergo distingues consequens quoad vltimam partem, & dices: non consistere in quantitate vt communi termino copulata cum alia, sed vt discontinuata ab illa; ita nos dicimus, quod variæ portiones aquæ consideratæ, vt præcontinentes quantitatem sibi communem non sunt plura individua; consideratæ vero, vt quælibet præcontinens suam propriam quantitatem ab alia divisam sunt plura individua aquæ; nam eadem, quæ asseruntur de divisione sumpta in re, & exercite, possunt asseri de eadem, vt in radice præcontenta signate.

199 Ad 2. instantiam resp. quantitatem non posse excludi à conceptu individuationis eo modo quo divisio non potest excludi à conceptu illius: divisio autem, vt iam diximus, constituens pro recto individuum est divisio opposita identitati cum alio individuo, vt præcontinens hanc numero quantitatem, & consequenter hanc numero extensionem, ac proinde d[iv]isibilitatem, vnde sicut, & in eodem sensu, quo divisio, vt præcontenta exigitur, exigitur quoque vt præhabita quantitas.

200 Ad id quo omnia vrgebantur: dist. mai. sed sequitur ad quodlibet ens quomodocumque sumptum, nego mai. sumptum vt radicaliter divisibile, conc. mai. & dist. min. consistit individuatio in divisione primo modo sumpta, vt radicaliter præhabente divisionem secundo modo acceptam, conc. min. aliter, neg. min. & neg. conseq. nam quod quælibet res sit per suam entitatem vna numerice in sensu AA. Societatis est non solum, quod in qualibet entitate sit sua vnitas numerica (hoc enim libenter fatemur) sed quod talis vnitas numerica à nullo alio dependeat, quam ab entitate, cuius

est vnitas: quod quidem falsum est, & ex nostra doctrina minime [illegible] latum, cum, & ad vnitatem numericam formæ desideremus pro radice materiam, & ad vnitatem numericam materiæ desideremus exigentiam quantitatis, quæ in ipsa materia radicaliter præhabetur.

201 Hinc iam ad 1. arg. alijs terminis propositum dist. mai. debet intelligi portio materiæ positive divisa prout divisio opponitur identitati conc. mai. prout opponitur inseparabilitati subdist. debet intelligi positive divisa radicaliter conc. mai. proxime, & formaliter nego mai. & dist. min. positiva divisio, prout opponitur identitati, nego min. prout opponitur inseparabilitati, subdist. provenit formaliter à quantitate conc. min. radicaliter neg. min. & conseq.

202 Dices: ad quid requiritur hæc radicalis divisibilitas, si individuatio, consistit in distinctione substantiali huius individui ab alio præscindendo ab omni divisione? *Resp.* quod individuatio consistit in illa distinctione non vt cumque, sed vt præhabente quantitatem divisam ab altera quantitate; quia individuum non est vt cumque distinctum ab alio, sed est distinctum, & divisum radicaliter ab alio; cæterum cum ex vna parte hæc divisio vtpote intra lineam substantiæ nequeat formaliter provenire ab aliquo accidenti, & ex alia sine aliquo accidenti, quantitate scilicet, sit intelligibilis, hinc est, quod quātitas, & divisibilitas debent poni, vt radicaliter præcontentæ in substantia, vt sic nec principium talis individuationis substantialis extrahatur à linea substantiæ, nec intelligatur sine quantitate, vt radicaliter præcontenta, & præhabita.

203 Sed adhuc dices: ergo si Deus à duplici Individuo substantia separaret quantitatem, manerent illa individua solum radicaliter divisa, idest exigentia divisionem, secus tamen actu divisio: ergo non manerent actu duo individua, vel potest dari actualis divisio sine quantitate.

204 Resp. manerent solum radicaliter divisa divisione accidentali, conced. conseq. divisione substantiali, neg. conseq. ex quo etiam disting. aliud conseq. quoad 2. p. potest dari actualis divisio sine quantitate; actualis divisio accidentalis nego conseq. substantialis, subdist. sine quantitate radicali, nego conseq. sine quantitate formali, conc. conseq. verum est, quod divisio sumpta pro accidentali separatione fundata in extensione partium, quarum vna sit extra aliam nequit sine quantitate dari, cum talis sepa-

ratio nihil aliud sit, quam solutio continuitatis, quę sine quantitate implicat.

205 Cæterum huiusmodi separatio non est, quæ ad individuationem desideratur, licet illam consequatur communiter, compleat, & manifestet; sed est independentia, qua vnum se ipso existat, & aliud se ipso existat; & hoc existens non sit aliud, & huiusmodi distinctio, independentia, & divisio intra lineam substantiæ, si absolute consideretur, nullo modo est à quantitate dependens; nam duo Angeli, v.g. tali independentia existunt, cum ipsis repugnet quantitas: si autem consideretur talis divisio, vt propria substantiæ solo numero distinctæ ab alia, prout in præsenti loquimur, cum sit divisio partium, & portionum materiæ eiusdem rationis, licet à Deo poisit sine quantitate actuali fieri, nequit tamen intelligi, nisi per ordinem ad quantitatem, & sic in substantia, quæ radicaliter non præhaberet diversas quantitatis portiones, non posset Deus eiusmodi divisionem facere.

206 Manerent ergo illa individua divisa divisione substantiali consistente in eo, quod quodlibet se ipso existeret distinctum, & independens ab alio, in quo formaliter consistit individuatio; licet, quia talis divisio substantialis esset divisio substantiarum eiusdem rationis non posset intelligi, nisi, vt exigens, & præhabens diversas, & eiusdem rationis, portiones quantitatis; cuius exemplum adest in hoc numero accidenti, albedine, scilicet, quam Deus potest se solo efficere separatam à subiecto, in quo casu esset adhuc vna numero per exigentiam, & ordinem ad hoc numero subiectum, quæ exigentia illam faceret numero divisam à qualibet alia.

207 Ad confirm. resp. quod illæ, & similes D. Thom. authorit. potius favere videntur sententiæ asserenti, quantitatem actualem esse conditionem quam asserenti quantitatem esse rationem formalem, cum ideo D. Thom. afferat non dimensiones, sed materiam, vt illis subest, esse principium individuationis, ne effectus substantialis assignet pro ratione formali accidens; cæterum neutri favet, quia ly *vt subest* non sumitur à D. Thom. pro exercitio substandi quantitati, sed pro aptitudine ad illi substandum, quod ex vi exigentiæ substantiæ materiali convenit. Quod autem quantitas ex se sit iuxta D. Thom. quodammodo individua, solum probat, quod ea non intellecta, vt connotato exigentiæ materiæ: nequit dari individuatio substantialis,

sicut quod in eius sententia materia sit principium individuationis solum probat, quod forma non sit individua, non intellecta, vt termino connotato, seu exacto materia, in qua recipitur.

208 2. Obijcies directe contra nostram sententiam: iuxta communem frasim Div. Thom. & Phylosoph. materia, vt signata quantitate est principium individuationis; sed iuxta nostram sententiam non datur talis materia quantitate signata: ergo. Probat. min. Tum quia materia, vt præhabens radicaliter quantitatem nil addit ex parte materiæ præter eius entitatem: sed materiam esse signatam quantitate aliquid addit ex parte materiæ præter ipsius entitatem: ergo. Tum, quia materia, vt signata quantitate, vel dicit quantitatem ipsam signantem, vel dicit saltim materiam, vt determinatam ad hanc potius quantitatē, quam aliam: sed materia, vt pręhabens quantitatem, nec dicit quantitatem actu signantem, nec dicit materiam determinatam ad hanc potius quantitatem, quam aliam, cum materia pure indifferenter præhabeat hanc quantitatem, vel illam: ergo.

209 Confirmat. 1. ex Phylosoph. 7. metaph. textu 49. dicente: *Actus est qui distingat*, sed forma per nos non est actus, qui distinguat individualiter: ergo cum in materia nullus sit alius præter quantitatem ipsa non existente, non dabitur distinctio individualis. Confirm. 2. ex eodem Phylosoph. & D. Thom. 10. Metaph. cap. 3. textu 4. dicentibus, *quod omnis distinctio, aut est per formam, aut per quantitatem*.

210 Respond. concessa mai. nego min. ad primam probationem, concedo mai. nego min. Nam materia, vt signata quantitate nil aliud est, quam materia, vt determinate præhabens hanc quantitatem præ alia, ad hoc autem, vt hanc potius quam aliam præhabeat, non requiritur ipsa quantitas, nam effectus determinatus nequit esse ratio virtutis determinatę, cum non ideo à priori virtus sit determinata, quia effectus est determinatus, sed è contra: materia ergo, vt determinate præhabens hanc quantitatem præ alia solum dicit dispositiones præcedentes, quibus determinata fuit, & disposita ad hanc potius quantitatem, quam aliam, vnde ex parte recti præhabentis nil aliud dicit præter entitatem, licet ex parte connotati disponentis aliquid aliud addit præter entitatem: sicut esse determinatam ad hanc speciem formam nihil addit supra materiam pro recto entitatis determinatæ, licet pro con-

no-

notato dicit dispositiones, quibus determinatur. Ex quoad secundam probationem constat solutio.

211 Ad confirm. respondet. quod actus, vel ordo, vel exigentia illius est, quod distinguit, sicut materia cœlestis, & sublunaris intra proprium conceptum materię distinguuntur specie per ordinem ad diversos actus specificos quantitàs ergo est, quæ distinguit numerice, non pro recto, sed pro obliquo, non vt existens, sed vt exacta à materia. Ex quo etiam constat ad 2. confirmationem.

212 Ex quibus omnibus colliges pro maiori claritate doctrinæ, quod vnitas numerica alia est substantialis intra propriam lineam substantiæ, alia accidentalis, & quæ formaliter provenit à quantitate. Vnitas numerica substantialis in nullo alio consistit, quam in distinctione pure materiali duarum substantiarum, quæ quidem sequitur ad entitatem ipsius materiæ, licet quia est distinctio inter varias materiæ portiones, quæ sunt eiusdem rationis, necessario connotet diversas portiones quantitatis, cui proprium est habere partes homogeneas, & eiusdem rationis, vt intelligatur in quo esse constituta: hæc enim portio materiæ, vt præhabens quantitatem sibi, & alijs portionibus communem intelligitur constituens cum alijs individuum; vt tamen radicaliter præhabens suam propriam quantitatem ab alterius portionis quantitate divisam, intelligitur se ipsa individua.

213 Nec audiendi sunt, qui renuunt concedere talem vnitatem esse numericam, vocantes illam transcendentalem: Hoc enim litigium, vel est pure de voce, vel omnino excludendi sunt sic loquentes. Nam vnitas proprie generica nihil aliud est, quam vnitas transcendentalis applicata generi, & vnitas specifica nihil aliud est, quam eadem vnitas transcendentalis applicata differentiæ specificæ: ergo vnitas numerica individualis nihil aliud est, quam vnitas transcendentalis applicata hæcceitati; nam cur intra lineam substantiæ datur vnitas transcendentalis, quæ proprie sit generica, & quæ proprie sit specifica, & eadem, vt applicata individuali differentiæ, non erit proprie numerica, & individualis. *Aliter* ad quid hæc tam prolixa quęstio pro vnitate substantiali numerica, si talis vnitas numerica non datur intra lineam substantiæ?

214 Alia vnitas numerica datur desumpta à quantitate, quæ oritur ex tali partium

tium ordinatione, & extensione, situ, figura, & alijs: hæc autem est accidentalis, & advenit pro posteriori prioris vnitatis, & est separabilis ab individuo, casu quo Deus ab illo separet quantitatem: & hæc etiam est, quæ attenta vocis impositione proprie vocatur numerica à numero, qui est species quãtitatis, quia solum quæ talia sunt, sensibus obijciuntur distincta, vt ab intellectu nostro posint numerari: quod si hoc, & non amplius intendat opposita locutio, cum ipsa sumus; cæterum absolute plures dicimus esse numero Angelos, & plures etiam dicimus esse numero animas, adhuc prout separatas, non quidem numeratione accidentali, quæ à quantitate formaliter provenit, sed ab animarum distinctione numerica substantiali.

ARTIC. III.

A quo desumatur individuatio accidentium?

§. I.

Statuitur conclusio.

215 *Accidentia desumunt vnitatem numericam, qua individuantur, à subiecto.* Non intendimus subiectum esse ipsam individuationem accidentium, vel prædicatum illius intrinsecum, cum constet, accidentia posse divinitus separata à subiecto existere: sed asserti sensus est, quod radix, quare hoc accidens est distinctum numero ab alio, est vnitas numerica subiecti ad quod dicit ordinem, ita vt forma constituens accidens numero distinctum ab alio sit diversus ordo diversitate orta à diversitate numerica subiecti, quod respicit.

216 Conclusio est expressa D. Thomæ innumeris in locis apud nostros videndis, sed præcipue 1.p.q.29.art.1.vbi ait: *Accidentia individuantur per subiectum: dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subiecto*, & q.39. art.3. *Accidentia autem, sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, & multitudinem.* Quare Angel. Præcept. sequitur vniversa Schola Thomistica.

217 Ratio ex dictis artic. præcedent. sic proponitur: omnis actus, aut forma ex eadem radice habet individuationem, ex qua habet limitationem suæ perfectionis specificæ; sed quodlibet accidens est ex se actualitas, & forma: ergo ex eadem radice habet suam individuationem, ex qua habet limitationem suæ formæ specificæ: sed limitationem habet ex subiecto: ergo, & individuatio,

tionem. Mai. constat ex dictis præcedenti art. & omnibus ibi insinuatis rationibus pro forma substantiali potest suaderi. Minor etiam principalis constat ex eo, quodlibet accidens actuat, & perficit subiectum cui inhæret.

218 Minor autem sub sumpta, in qua sola potest supposita resolutione præcedenti, esse quo ad præsens difficultas, prob. *Tum*, quia omnis actualitas, & perfectio limitatur ex potentialitate, cui admiscetur: sed potentialitas cui admiscetur accidens, est potentialitas subiecti, in quo recipitur: ergo: *Tum*, quia limitativum actualitatis specifice nequit ex ipsa actualitate specifica provenire, cum actualitas ex conceptu talis potius explicet illimitationem: ergo assignanda est limitatio ex aliquo principio extrinseco limitante: hoc nullum aliud est, nisi subiectum, quod ipsius actualitatis constitutioni est terminus extrinsecus, & intrinsecus in ratione limitantis, sicut in esse recipientis: ergo. *Tum*, quia limitatio propriæ individuationis est limitatio, quæ infert distinctionem pure materialem: ergo quæ infert distinctionem provenientem ex principio materiali accidentis: sed principium materiale accidentis, quod ipsius materia dicitur, est subiectum: ergo ex subiecto, tamquam ex radice provenit talis limitatio.

219 Confirm. totum esse accidentis est in ordine ad subiectum: ergo esse individuale accidentis est in ordine ad hoc subiectum individuale. Probat. conseq. *Tum* ex principijs oppositæ scholæ, nam si vnitas numerica sequitur ad quamlibet entitatem, ex eadem radice, in ordine ad quam desumitur entitas, desumetur quoque vnitas numerica individualis: ergo si tota entitas accidentis est in ordine ad subiectum, totum quoque esse individuale illius erit in ordine ad illud; sed non in ordine ad illud generice, aut specifice sumptum, cum prout sic sit terminus ordinis generice, aut specifice sumpti: ergo esse individuale accidentis est in ordine ad hoc subiectum individuale.

220 Tum: quia ideo ex subiecto, seu ex ordine ad ipsum non desumeretur vnitas numerica, etiam si totum esse accidentis sit in ordine ad illud, quia subiecto deficerent, quæ exiguntur ad munus individuandi: sed cum subiectum sit principium materiale limitans accidentia, nequeunt ipsi deficere, quæ requiruntur ad munus individuandi: ergo si totum esse accidentis est per ordinem ad ipsum, etiam erit per

or-

ordinem ad ipsum esse accidentis individuale.

221 Explicatur: ideo, & si materia habeat totum suum esse in ordine ad formam substantialem non desumit ab ipsa esse individuale, quia deficit formæ ratio principij limitantis, & coarctantis, quæ ratio vnice reperitur in materia: sed subiectum habet in se, sicut rationem principij receptivi accidentis, rationem principij coarctantis, & limitantis: ergo congrue desumitur ex ipso esse individuale actualitatis, cuius totum suum esse est in ordine ad illud.

222 Nec valet si dicas: non negare AA. oppositæ sententiæ accidens etiam individualiter sumptum esse in ordine ad subiectum, sed negare, ideo esse tale individualiter, quia ad tale, & non aliud subiectum dicit ordinem, sicut licet hæc intellectio individualiter sumpta tota referatur ad obiectum non ideo tamen est individualiter hæc, etiam in nostra sententia, quia ad obiectum refertur.

223 Nam contra est: Quia hoc ipso quod talitas numerica accidentis sit in ordine ad subiectum debet esse talitas numerica ex subiecto: ergo solutio est nulla. Prob. ant. ratione facta: talitas numerica accidentis est in ordine ad subiectum, tamquam ad id, in quo perfectio specifica accidentis limitatur, & fit vlterius imparticipabilis, & incommunicabilis alteri saltim naturaliter: hæc sunt propria principij individuantis, vt ex dictis artic. præced. constat: ergo nequit esse talitas accidentis in ordine ad subiectum, cum ex ipso subiecto desumatur. Per quod constat ad exemplum, nam ordo intellectionis ad obiectum non est ordo ad principium illam limitans, sicut non est ordo ad principium illam recipiens; in Doctrina quippe Div. Thom. limitativum actualitatis, & perfectionis est principium receptivum illius. Reliquæ huius rationis solutiones eędem sunt cum his, quæ præcedenti artic. assignatæ sunt rationi probanti formam ex se ipsa non individuari, & ideo eisdem excludendæ sunt impugnationibus, quas ommittimus, ne acta agamus.

§. II.

Diluuntur argumenta.

224 PRimo poterat obijci transmigratio naturalis de subiecto in subiectum, quam sibi persuadent aliqui ex resolutione compo-

positi substantialis existimantes, quod etiam si accidentia subjectentur in toto composito, possunt illo pereunte, in aliud naturaliter transmigrare; sed quia de his ex professo art. seq. ideo aliter.

225 Obijcies 1. si accidens desumeret suam vnitatem numericam à subiecto, invariata vnitate numerica subiecti, non variaretur vnitas accidentis numerica; sed regulariter contingit, quod illa invariata hæc varietur: ergo non desumitur à subiecto. Mai. est certa, & min. constat in subiecto successive recipiente plura accidentia solo numero distincta in aqua, v. g. quæ invariata numerice potest de novo recipere calorem, quem ante habuit & amisit.

226 Confirm. & explicatur: stat multiplicitas numerica accidentis sine multiplicitate numerica subiecti: sed non stat multiplicitas numerica individuati sine multiplicitate numerica principij individuantis: ergo subiectum non est principium individuationis accidentium. Omnia constant, & mai. prob. pluribus exemplis, quia aliter idem numero subiectum non posset recipere successive plura accidentia solo numero distincta, quod constat esse falsum. *Tum* exemplo allato, in quo invariata aqua numerice, successivè recipitur in illa multiplex solo numero calor. *Tum* in accidentibus spiritualibus, intellectionibus, v. g. quæ solo numero distinctæ successive possunt elici, & recipi in eodem numero intellectu.

227 Vrgetur: si esse individuale accidentis desumitur à subiecto, quia totum esse accidentis est in ordine ad illud, sequitur, quod vbi subiecta sunt specie diversa, etiam erunt diversa specie accidentia in illis recepta: ergo gratia recepta in Angelo est specie diversa à gratia recepta in homine: consequens est falsum; ergo & antecedens.

228 Pro solutione nota; quod diversitas formalis in principiato non exigit semper diversitatem formalem in principio, & radice illius, sumptis saltim proxectò: quod suadetur, & ratione, & exemplo, ratione quidem, nam radix, & principium aliquorum superiori modo continet prædicata, quæ reperiuntur in principiatis: ergo possunt esse in illo talia prædicata cum maiori vnitate, & indistinctione, quam in principiatis: ergo multiplicitas quæ talis est formaliter in principiatis; potest esse virtualiter talis in principio; vnde hauriunt principiata multiplicitatem formalem. Hinc exemplis fit eadem res manifesta: multiplex quippe po-

potentia specie distinct; non arguit in radice potentiarum multiplicem formalem speciem: nec in materia (vt magis ad intentum loquamus) arguit diversitatem entitativam diversitas entitativa variarum formarum, quas recipit, sed sufficit, quod eadem materiæ entitas, vt connotans hanc quantitatem hanc formam recipiat, & individuet, & aliam formam individuet, & recipiat, vt connotans diversam quantitatem.

229 Nota 2. quod licet subiectum sit in recto radix à qua desumitur individuatio accidentium, connotat tamen aliqua extrinseca, vt accidentia individuet, tempus, scilicet, & actionem agentis: tempus connotat; quia cum hoc sit mensura inceptionis, & desitionis rerum, vbi tempus, vt mensurans rem discontinuatur, ipsa rei existentia dissolvitur, & consequenter si alio tempore incipit, non eadem, sed diversa incipit; sicut enim eadem entitative superficies, vt diversam connotans distantiam facit diversum locum, licet locus sit superficies; ita idem subiectum entitative, vt connotans diversum tempus est diversum principium in ratione individuandi, licet individuatio sumatur ab ipsius entitate, quia non desumitur ab ipsa absolute, sed vt connotante tempus mensurans inceptionem accidentis. Actionem etiam agentis connotat ex parte principij effectivi, quod ex eo sit manifestum, quia ideo communis fert sententia, idem numero corruptum virtute naturali non posse reproduci, quia nequit eadem numero redire actio productiva, & si omnia alia perseverent.

230 Ex quibus ad argum. dist. mai. possunt variari numero accidentia, invariato numero subiecto, tàm pro eo, quod dicit in recto, quam pro eo, quod dicit de connotato, neg. mai. invariato pro eo quod dicit solum in recto, conc. mai. & sub eadem, dist. min. neg. conseq. A qua enim, vt recipiens in hoc instanti calorem, quem in alio tempore amisit, non est quidem diversa à qua, sed est diversum principium individuandi, quia non individuat secundũ se sumpta solum, sed vt connotans tempus desitionis prioris caloris, & inceptionis posterioris, & cum hæc tempora sint diversa, diversa quoque est à qua in munere individuandi, diversa, inquam, diversitate formali in connotato, & diversitate virtuali in se ipsa, vt connotante: Quæ diversitas virtualis principij sufficit ad refundendam distinctionem realem in his, quæ ab illo individuantur, quod constat exemplo in mutato superficiei in ordine ad locũ.

Ex

231 Ex quo constat ad confirmat. nam dist. mai. stat sine multiplicitate numerica subiecti in esse entis absolutè, cócedo mai. in esse individuandi subdist. sine multiplicitate formali præcisè, concedo mai. formali, vel virtuali, nego mai. & sub eadem dist. min. neg. conseq. Nam licèt sit idem entitativè intellectus recipiens successivè diversas numero intellectiones non recipit hanc post illam, nisi vt connotans tempus inceptionis istius, & desitionis illius, cuius diversitas virtualē in intellectu arguit multiplicitatem in esse individuantis.

232 Dices: Actus amoris elicitus à Petro in hoc instanti est amor, à quo differt solo numero elicitus ab eodem in alio instanti circa idem obiectum, & ex eodem motivo: sed hic secundus amor potuit elici à Petro in illo instanti, in quo elicuit priorem sicut, & prior potuit elici postea in instanti, in quo elicuit posteriorē amorem: ergo datur diversitas numerica accidentis sine diversitate numerica subiecti, nec tēporis connotati. Prob. conseq. Nam hic numero amor, etiā si eliceretur in instanti, inquo elicitus fuit alter amor, non posset desinere esse distinctus numero ab altero amore: sed elicito in instanti mensurante alterū amorē, nulla diversitas daretur, nec voluntatis, quæ est subiectum, nec instantis mensurantis: ergo posset hic numero amor esse diversus ab alio, sine diversitate temporis, & subiecti.

233 Nego min. Nam licèt amor idem specie possit pro libertate Petri in hoc, vel in illo instanti elici, hic tamen numero amor, qui elicitus fuit in hoc instanti, non potuit elici in alio instanti, in quo incepit alter amor, nec coniunctim cum illo, nec divisim ab illo; non coniunctim cum illo, propter rationem, qua probatur, non posse potentiam simul actuari duplici vltima actualitate solo numero distincta: non divisim ab illo, quia quodlibet accidens individuatur per ordinem ad sui primam receptionem in subiecto, tunc enim concurrunt omnes causæ sicut ad ipsum producendum, ad ipsum quoque individuandum; vnde, cum eo incipiente in altero instanti omnes eędem causæ non possent concurrere, quia saltim deficeret instans inceptionem illius mensurans, quod ad individuationē exigi probavimus, consequens fit, quod idem numero amor, qui in primo instanti incepit, non potuit in posteriori incipere.

234 Nec hæc diversitas temporis extra fundamentum adstruitur ad diversam inducendam individuatio-

Ee nem,

nem, sicut nec ad suadendam virtualem multiplicitatem in subiecto: nam præterdicta, subiectum, quod potest recipere duo accidentia contraria non est idem, sed aliquo modo multiplex, & idem dicendum de subiecto potente recipere duo prædicata contradictoria: sed experientia constat quod idem subiectum entitativè potest prout in diversis temporibus, existens recipere accidentia contraria; nam potest hodie habere calorem intensum, & cras frigus intensum; & similiter potest habere nunc albedinem, & postea negationem illius; cum tamē hæc habere in eodem tēpore non posset: ergo subiectum prout in diversis temporibus existens est aliquo modo multiplex, & ita se habet in ordine ad recipiendum, ac si non vnum, sed duplex esset, & diversum.

235 Nec valet si dicas: saltim plura accidentia specie, & numero distincta recipit simul idem numero subiectum, vt albedinem, & dulcedinem: sed illa duo accidentia non sunt minus numero distincta, quàm si solo numero essent distincta: ergo datur diversitas numerica accidentium sine vlla prorsus distinctione numerica subiecti.

236 Nam cōcessis præmiss. nego conseq. Ad accidentia quippè specie diversa recipienda datur in potentia subiecti multiplex virtualiter capacitas quarum quælibet à propria cuiuslibet accidentis specie inspicitur: subiectum quippè vt participans humiditatem est receptivum dulcedinis, & idem ex participatione lucis, recipit albedinem; vnde in ordine ad talia accidentia semper est multiplex virtualiter in ratione recipiendi, & individuandi. Ad accidentia autem eiusdem speciei eadem, est adhuc virtualiter ex parte subiecti capacitas, vtpotè quæ ea eadem ratione, & titulo sunt receptibilia in subiecto; quare non ex parte subiecti, sed ex parte diversi temporis talium accidentium inceptionem mensurantis, pensari debet multiplicitas virtualis illius in esse individuantis.

237 Ad id, quo omnia vrgebantur, vel neg. sequelam, vel dist. antec. vbi subiecta sunt specie diversa in ordine ad accidentia recepta, concedo ant. vbi materialiter, tantum sunt specie diversa, nego ant. & conseq. Aliud enim est, quod homo, & Angelus sint in se specie diversi; aliud quod in ordine ad recipiendam gratiam sint specie diversi. primum est verum, secundum autem falsum, cum in ordine ad gratiam recipiendam non comparentur secundum potentiam naturalem quæ in illis est specie distincta, sed

sed secundum potentiam obedientialem, quæ in vtroque est eiusdem rationis.

238 Dices: Stat duo subiecta esse specie diversa, & in ordine ad recipienda aliqua accidentia non esse specie diversa, vt in exemplo posito: ergo stabit duo subiecta esse numero diversa, & non esse numero diversa in ordine ad recipiedũ aliquod accidens, & consequenter idem numero accidens poterit recipi in diversis numero subiectis. Similiter ab opposito: stat duo accidentia specie distincta recipi in eodem specificè subiecto, vt albedo, & dulcedo in lacte: ergò stabit duo accidentia solo numero distincta recipi simul in eodem numero subiecto.

239 Neg. conseq. Quia distinctio specifica subiectorum minime conducit ad distinguenda specificè accidentia sibi cõmunia, cuius generis est gratia; talia enim accidẽtia licèt suam distinctionem specificã ordinẽt ad subiecta, non tamen ex ordine ad illa eam desumunt, sed ex suis prædicatis specificis, vt pote actus, & formæ: At distinctio numerica subiectorum non solum inducit, verum est prima radix, a qua provenit distinctio numerica accidentiũ; quia est distinctio in principio materiali, & receptivo eorum, ex quo eis provenit limitatio, & consequenter individuatio; quare prima distinctio subiectorum potest se habere de materiali ad distinctionem specificã accidentium, quæ recipiunt; secunda verò nequit non se habere de formali ad distinctionẽ eorum numericam.

240 Per quæ patet ad secundam instantiam: nam distinctio specifica albedinis, & dulcedinis non est talis à subiecto, cum etiam si ad subiectum ordinem non dicerent, prædicata formalia vtriusque essent diversa: At distinctio numerica accidentium, cum sit distinctio purè materialis in intelligibilis est sine distinctione in eorum principio materiali, quod est subiectum.

241 Obijcies 2. illud est prima radix individuationis accidentium, quod redditur pro prima, & radicali ratione, quare accidentia sint eadem numero, vel numero diversa; sed materia prima, quæ in nostra sententia non est subiectum accidentium, est prima, & radicalis ratio, quare accidentia sint eadem numero, vel diversa: ergo subiectũ recipiens accidentia non est prima radix individuationis accidentiũ. Prob. min. Interroganti quare accidẽs est vnum numero, respondetur quia subiectum est vnum numero: (idem proportionabiliter de diversitate) sed vlterius interro-

Ee2 gan-

ganti, quare subiectum sit vnum numero, reddimus pro ratione iuxta art. præc. vnitatem numericam materiæ, à qua desumitur vnitas numerica compositi substantialis, quod est subiectũ: ergo de primo ad vltimum prima radix, & ratio eiusdem, vel diversæ individuationis accidentium est materia.

242 Conf. Plura accidentia solo numero distincta possunt naturaliter recipi simul, & de facto sic accidit, in eodem numero subiecto: ergo ab huius vnitate numerica nõ desumitur vnitas numerica accidẽtiũ. Ant. prob. tùm quia eadem numero causa finalis, & efficiens potest simul plures effectus numero solo distinctos producere, vt idem ignis plures simul calores in diversis lignis producit, & idẽ finis ad plures eius intentiones in diversis subiectis movet, & ad plures electiones, quæ solo numero possũt esse distinctæ: ergo idem numero subiectum potest simul in genere causæ materialis plura accidentia solo numero distincta recipere.

Tùm quia simul cum relatione paternitatis ad primum filiũ stat resultare, nova posita generatione alterius filij, alia relatio ad illum, cum tamen vtraque sit eadem specie, vtpotè ad idẽ specificè consequens fundamentum, & in ordine ad terminum eundem specificè. Tùm quia duplex luminosum solo numero diversum potest eidẽ spatio applicari, in eodemque producet duplex lumẽ numero distinctũ, cuius signum est, quod si inter vnũ, & aliud luminosum, corpus ponatur oppacum, non vnica, sed duplex resultabit vmbra,

243 Denique. Nam in eadẽ phantasia plures reservantur species obiectorum, quæ solo numero differunt, ac proinde species solo numero differentes: & sic solet accidere, quod simul à phantasia omnia illa obiecta percipiuntur pluribus actionibus, quæ propter indistinctionẽ specificã obiectorum nequeunt, nisi numero distingui; & idẽ patet in intellectu, qui simul cognoscit Petrum, & Paulum, ac proindè simul habet congnitiones numericè tantum distinctas. Quod fortius vrget in speciebus, quibus vtitur visus, quæ solo numero diversæ sunt in eadem parte spatij, seu medij, per quod deferuntur ad oculum; cuius signum est, quod applicato ad quamlibet spatij partem oculo, ab speciebus duplicis obiecti, quod illas immitit, immutatur simul, & vtriusque simul visionem elicit,

244 Respond. disting. mai. quod redditur pro vltima, & radicali ratione formaliter exacta, concedo mai. materialiter præsupposita, neg. mai. & dist. min. est prima, & radicalis ratio ma-

materialiter præsuposita, concedo min. formaliter exacta, nego min. & conseq. Ratio, quàm formaliter exigit suæ individuationi accidens, est individuatio subiecti illud recipientis, & limitantis; dum hoc sit vnum numero, vel diversum, sat habet accidens vt sit Idem numero, vel diversum: quod si subiecti vnitas, vel diversitas vlterius pendet à diversitate, vel vnitate materiæ, hoc est quid præsuppositum materialiter, cū etiam si stante diversitate materiæ posset subiectum esse idē numero, idem quoque numero esset accidens. *Vel* dic, quod cum materia sit subiectum *quo* radicale accidentium iuxta dicta artic. 1. huius quæst. mirum non est, quod sit in tali linea prima, & radicalis ratio individuationis eorum.

245 Ad confirm. neg. antec. Ad eius 1. prob. concesso antec. neg. conseq. cuius disparitas ex ipsa obiectione colligitur nam à causa efficiente, & finali non desumitur vnitas, vel diversitas numerica effectuum cum in ipsis, quæ adducuntur, exemplis, calores diversificentur numero, & Idem de intentionibus, & electionibus, invariatis numero igne, & causa finali, propter diversitatem subiectorum, in quibus recipiuntur, & à quibus, vtpotè causis materialibus accidentium nequit non provenire, vnitas, vel distinctio eorum materialis.

246 Ad 2. probat. neg. iuxta alibi sæpè insinuata, suppositum: Nam eadem relatione, qua Pater refertur ad primum Filium, refertur quoque ad secundum, & ad alios plures; posita generatione eorum: quia ad primum Filium non referebatur, quia primus, sed quia filius, seu genitus, quæ ratio in reliquis cum sit eadem, nequit multiplicare relationes Paternitatis. Ad 3. quoque constat negandum esse in eadam partē spatij illud duplex lumen produci; quia cum duplex liminosum, à quo lux provenit, non penetretur, necessum est, quod quodlibet per diversas lineas lumen diffundat; & similiter duplex vmbra causata non est in eadem spatij parte, nisi secundum diversas eius lineas.

247 Ad vltimam respondetur. Omnes illas species, vel tales esse, vt repræsentēt expresse diversitatem numericam obiectorum: vel ita, vt omnia illa obiecta repræsētent sub aliqua ratione confusa ipsis communi: Si hoc secundum: non sunt plures species, sed vnica; si primum: licèt in esse rei illæ differentiæ sint purè materiales, repræsentativè tamen sumptæ sunt specie distinctæ, ac proinde different specificè species

cies repræsentativæ illarum, & idem dic de actionibus, seu perceptionibus phantasiæ vtpote quæ ab speciebus mensurantur. Similiter intellectio, seu conceptus Petri, vt talis, specie differt à conceptu Ioannis: quod si vterque sub ratione hominis directè cognoscitur, non est duplex conceptus, sed vnicus: præscindendo pronunc à modo, quo detur species rei singularis, sivè expressa, sivè impressa, de quo agemus in libris de Anima.

248 Ad illud autem, quod additur de speciebus visualibus respondet, similiter, quod licèt duplex album præsens, & immitens species tantum materialiter differat in esse albi, species tamen repræsentantes illud duplex album specie differunt; nam respectu potentiæ sẽsitivę exteriores quodlibet obiectum sensibile adæquatur cum specie à se immissa, & vt sic sensibiliter repræsentabile specie differt ab alio obiecto cum specie à se immissa adæquato. Omittimus illas duas species esse in eadem spatij parte, & modum, quo deferuntur ad visum, quia hæc ex professo discutienda spectant ad citatum locum.

249 Tandem obijc. Si individuatio accidentium summeretur à subiecto, sequitur quod nec de potentia absoluta possent duo accidentia solo numero distincta esse simul in eodem numero subiecto: consequens est falsum: ergo, & antecedens Sequela est manifesta, tum quia illius vim noscens D. Thomas eam concessit, & expressè defendit pluribus in locis, sed præcipuè in 4. dist. 12. q. 1. artic. 1 quæstiunc. 3. dicens: *Si dimensiones panis iterum sint, sicut in subiecto, in aëre, sequitur, quod duo accidentia eiusdem speciei sunt in eodem subiecto, quod est contradictoria esse simul, quia accidentium eiusdem speciei numeratio non est, nisi ex subiecto: vnde si subiectum sit vnum, sequitur illa accidentia esse plura, & non plura.* Tùm ratione in prædicto testimonio expressa. Nam esse idem numero accidens, & non esse idem numero contradictionem implicat, ac proinde nequit à Deo vlla potentia fieri: sed si individuatio accidentis summitur ex subiecto; duo accidentia solo numero diversa, & in eodem subiecto recepta essent idem numero, quia subiectum à quo desumunt vnitatem numericam, esset vnum numero; alias cum supponatur esse plura, forent numero diversa: ergo ex nostra sententia legitimè infertur non posse à Deo vlla potentia fieri, quod duo accidentia solo numero diversa sint simul in eodem numero subiecto.

Quod

250 Quod consequens sit falsum probatur. Tùm generali ratione, quia nil debet negari potentiæ supremæ Dei, nisi evidenter constet esse impossibile, & fundamentum, cui nititur præcedens ratio, non ita est firmum, vt pluribus non possit, & probabilibus solutionibus labefactari. Tùm quia in in eodem corpore Christi existente in pluribus hostijs plures simul dantur præsentiæ Sacramentales solo numero distinctæ; & similiter in voluntate Christi fuit duplex simul actus charitatis, alter necessarius, ac proinde non meritorius, alter meritorius, ac proinde liber; sed ille duplex actus non poterat esse specie distinctus, cum vterque esset erga Deum, & ex eodem procederet habitu charitatis: ergo.

Tùm quia iuxta superius dicta, subiectum, vt diversum connotans tempus mensurans inceptionem accidentis, est virtualiter multiplex in munere individuandi: sed potest idem numero accidens dependentia absoluta recipi in subiecto vt connotante diversum tempus mensurans inceptionem illius, ac proinde potest recipi in subiecto virtualiter multiplici in munere individuandi: ergo è converso potest eadem potentia fieri, quod duplex numero accidens recipiatur in eodem subiecto omnino eodem etiam in munere individuandi. Probatur min. Eandem numero potentiam visivam, quàm Petrus heri amisit, potest illi Deus restituere hodie: sed Petrus vt hodie existens est subiectum connotans diversum tempus mensurans novam inceptionem potentiæ visivæ à tempore, quod heri connotabat, mensurante desitionem illius: ergo.

251 Confirmatur: Eo probabiliter suademur plures formas substantiales non posse eandem simul informare materiam, quia materiæ potentialitatem, ita expletam videmus per hanc formam, quàm habet, vt aliam simul non admittat si se eiusdem, sivè alterius speciei: sed videmus è contra non ita expleri potentialitatem subiecti per vnam formam accidentalem, vt alias plures simul non admittat: ergo sine probabili fundamento suademur non posse plura accidentia esse in eodem simul subiecto.

252 Vrgetur: Eo iuxta rationem Div. Thomæ nequit duplex solo numero accidens esse simul in eodem subiecto, quia cum ab vnitate numerica illius desumatur vnitas numerica accidentis, sequeretur, quod ea accidentia essent, & non essent solo numero distincta: sed hoc non sequitur: ergo. Probatur min. Eo sequitur

quia accidens individuatur à subiecto medio ordine ad ipsum: sed Deus potest ponere duo accidentia numero distincta in Petro, quin vtrumque dicat ordinem ad ipsum, casu quo albedinem individuatam per ordinem ad Paulum poneret in Petro albo: ergo.

Explicatur: Albedinem individuatam à Paulo potest Deus separatam conservare, quia etiam vt separata diceret eundem ordinem ad eundem Paulum: ergo talem albedinem posset coniungere in Petro cũ ipsius albedine, quia etiam posita in Petro haberet eundem ordinem ad Paulum, ex quo fuit individuata. Et certe in hoc fundatur opinio asserens gratiam, intellectionem, &c. à Petro individuatas posse Deum colocare in esse qualitatum in lapide, vel in alio subiecto; & species immissæ ad sensus non desinunt esse eędem numero, per hoc quod sint, tamquam in medio, per quod deferuntur, in aere, & postea recipiantur in sensu.

253 Respondet. concessa sequela, quàm concedere nos docet Divus Thomas in vi, & consequentia doctrinæ, neg. min. Ad cuius primam probationem respond. quod licèt evidens non sit ratio, qua implicare contradictionem illam duplicis accidentis simultaneam existentiam convincatur, adest valde probabile fundamentum, quod sufficit, vt eadem probabilitate sustineatur implicatio contradictionis; nec enim defendimus hanc propositionem reflexam: *Evidens est, quod duo accidentia solo numero distincta, & in eodem subiecto simul existentia implicant contradictionem*; sed propugnamus hanc directam. *Eiusmodi accidentia sic existentia contradictionem implicant*, ad quod secundum defensandum sufficit magna probabilitas fundamenti, cui nitimur, & quod nobis stando principijs à D. Thoma statuti, videtur evidens.

254 ad secundam dicimus ex Div. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 1. ad 3. quod illæ variæ præsentiæ non sunt relationes subiectivè, & intrinsecè inhærentes in ipso corpore Christi, sed inhærentes intrinsecè in speciebus, & realiter extrinsecè corpus denominantes ad modum, quo Deus dicitur realiter formaliter præsens rebus non per relationem realem sui ad res; sed per relationem realem rerum ad se pro quo vide Caiet. 3. part. quæst. 75. artic. 2. §. *Ante quàm.*

255 Similiter dicimus ad aliud exemplum, quod ille duplex actus charitatis in Christo, vel alter regulatus scien-

scientia Beata, & non meritorius, alter meritorius regulatus scientia infussa, fuit duplex actus specie inadæquata inter se distinctus, licèt comparativè ad habitum charitatis eliceretur sub eadem ratione formali: Vel 2. & melius respondetur vnicum fuisse illum actum in Christo regulatum scientia Beata, qui secundum terminationem primariam non fuit meritorius, quia prout sic fuit necessarius; secundum aliam vero terminationem secundariam fuit liber, quia talem potuit terminationem non habere. Sed de his Thelogi.

256 Ad 3. disting. mai. vt connotans diversum tempus exactum ab inceptione accidentis, conc. mai. non exactum neg. mai. & sub eadem distinct. min. neg. conseq. verum est, subiectum illud mensurari tempore diverso, quando ammissum visum supernaturaliter assequitur, ab eo, quo mēsurabatur quando illum ammisit; cæterum cum actio divina visum reproducens à tempore non dependeat, nec ipsum fieri, & incipere visus miraculose restituti à tempore pendet, ac per consequens illa diversitas temporis connotati est diversitas purè materialis ad variandam individuationem; quia sicut subiectum ammissum visum non exigebat, ita nec exigebat illud tempus diversum in esse recipientis, & individuantis.

257 Ad confirm. conc. cessis præmissis, neg. conseq. vel disting. conseq. plura accidentia specie distincta, conc. conseq. solo numero distincta neg. conseq. Quia numquam videmus imò impossibile reputamus, duo accidentia solo numero distincta simul recipi in eodem subiecto; sed videmus plura specie distincta recipi, ac per consequens nullum habemus rationabile fundamentum ad negandum, nec negamus, plura accidentia specificè distincta recipi simul in eodem subiecto. Cur autem eadem materia non admittit simul plures specie formas substantiales, & idem subiectum recipit simul distinctas specificè formas accidentales; ideò est, quia cum de conceptu formę substantialis sit dare primum simpliciter esse, petit necessario, vt informet, privationem cuiuscumque alterius dantis esse; at forma accidentalis cum solum det esse tale, solum petit privationem formæ dantis idem esse tale, nō verò formæ dantis aliud esse.

258 Ad id, quo omnia vrgebantur, fatemur illum discurrendi modum esse satis probabilem, & menti D. Thomæ minimè oppositum: quia Doctor Ang. eruit rationem im-

Implicationis ex eo quod accidentia desumunt suam individuationem ex subiecto: ergo si Deus ita poneret in Petro Albo albedinem Ioannis, vt ex ordine ad Ioannem semper maneret individuata, posset vtraque albedo esse simul in Petro: sed sic potest albedinem Ioannis in Petro ponere: ergo. Prob. min. Potest albedinem Ioannis separatam a Ioanne, conservare dicentem semper ordinem ad Ioannem, & ex tali ordine individuam, vt convincitur exemplo accidentium, quæ separata à substantia panis existunt se ipsis in Sacramento Eucharistiæ: ergo eam albedinem iam à Ioanne separatam posset ponere in Petro dicentem semper eundem ordinem ad Ioannem, & per talem ordinem individuati. Iuxta quem probabilem modum conclusio Div. Thomæ, & nostra evadit in sensu formali vera, idest, duplex solo numero accidens nequit esse simul in subiecto exercente formaliter munus subiecti, & causæ materialis respectu vtriusque, & ad quodcumque simul dicat ordinem. Pro quo vide Illustrissimum Araujo tom. 2. Metaphisicæ, lib. 8. quæst. 2. art. 4.

259 Sed quia obiecta pro hoc modo non minus vrgent, Ideò aliter respond. negando casum, scilicèt, quod possit Albedo semel individuata à Ioanne poni in Petro, quia nequit poni in Petro, quin ab illo individuetur; cuius ratio est; quia nequit poni in Petro, quin Petrus exerceat rationem causæ materialis illius, sicut nec ipsa potest in illo poni, quin respectu ipsius exerceat munus causæ formalis: ergo quin ipsa sit limitata tanquam per principium potentiale per illius receptionem: ergo quin sit individuata: Implicat enim sic ponere Petrum recipientem albedinem, quasi eam extrinsecè teneat, sicut manu recipimus; & tenemus librum nihil in ipsum efficiendo.

Non sic sanè receptio intrinseca accidentis, quod sicut nequit recipi, & intrinsecè non actuare subiectum, ita nequit subiectum intrinsecè recipere illud, quin illud propria potentialitate sibi limitet, & appropriet; & in hoc fundatur efficatia rationis D. Thomæ, ex individuatione accidentis deprompta; quia nequit accidẽs, si semel intrinsecè recipitur in hoc, non limitari ab hoc, & intra propriæ potentialitatis terminos coarctari, ac proinde individuari, & esse tale, quia est in hoc. Ponere ergo accidens intrinsecè receptum in Petro, quod simul perseveret individuatum ex ordine ad Ioannem, est, vel ponere de nume-

mero accidens cum duplici numero individuatione quod iuxta omnes implicat; vel ponere subiectum intrinsecè recipiens accidens, & in illud nihil aliud efficere, quàm si extrinsecè solum teneret, quod inplicatorium iudicamus.

260 Quare nulla est paritas inter accidentia, quæ separata existunt, & nulli alteri subiecto inhærent, & quæ semel individuata alteri inhæret, seu appropriantur: nam in 1. casu dicunt ordinem, vtpotè non impedita ab alia individuatione, ad suum proprium subiectum; in secundo autem conservarent primam individuationem, cum alia, quàm de novo media receptione compararet, quod implicat. Similiter implicat, quod intellectio, gratia, &c. semel ab vno subiecto individuata, in alio subiecto quovis modo recipiantur; quidquid sit an ex conceptu specifico repugnet ipsis in hoc, vel in illo subiecto, lapide v. g. poni.

Nec similiter species sensibiles immissæ ab obiectis sunt eędem numero cum his, quæ recipiuntur in sensu; nam primo subiectatæ in aere, alias, & alias vsque ad sensum species producunt, sicut immediata pars aeris mota ab impulsu aliam, & aliam qualitatem producit in partes aeris contiguas, & proximas.

261 Hinc inferes resolutionem illius dubij, quod lib. 2. Physicor. quæst. 13. artic. 2. hic determinandum reservavimus: Dicimus enim quod virtus elevativa, seu motio recepta in hoc Sacerdote ad consecrandum, ab ipso Sacerdote individuatur, & ex hac receptione est numero distincta ab alia motione in alio Sacerdote recepta, quæ diversa individualitas materialiter se habet ad corpus Christi ponendum sub speciebus, cum non concurrat ex eo quod est in hoc, sed ex eo, quod motio divina instrumentalis est deserviens principali agenti, & ideò effectus evadit idem numero, & si plures ad illum Sacerdotes simul concurrant.

ARTIC. IV.

An in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam?

§. I.

Statuitur conclusio.

262 Fieri resolutionem vsque ad materiam primam in corruptione substantiali in eo sensu, quod nulla præcedens remaneat forma substantialis, evidens est, supposito quod in materia vnica

ea ratum possit esse forma substantialis, quod lib. 2. Physicor. latè est à nobis probatum: nam cum forma substantialis debeat à materia separari, vel corrumpi, si forma sit materialis, vt corruptio substantialis verificetur; sit consequens, quod ex partibus substantialibus, quæ corruptum componebant sola remaneat materia ad componendum de novo genitum. Quare dissidium reducitur ad accidentia sensibilia præcedentia, an scilicèt nullum ex illis sit in composito de novo genito, vel an potius aliquod veniat cum materia in novam compositionem illius, ita vt idem numero, quod fuit antea in corrupto, sit modo in genito.

263 Conclusio est: *Quod nullum accidens ex his, quæ præcesserunt in corrupto, manet idem numero in genito, sed omnia illa simul cum corrupto pereunt.* Hanc conclusionem, quam hucusque defensandam reservavimus, quia præcedentium, quasi appendix est, & corolarium, expresse propugnat Angelic. Doctor pluribus in locis, & præcipuè lib. 1. de Generat. lect. 10. dicens: *Dicendum, quod in corruptione non manet idem numero accidens, sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, & advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem.*

264 Id ipsum expressit Philosophus textu 2. libr. 1. Generat. dicens: *Generationem, & corruptionem substantialem esse nullo manente sensibili, vt subiecto eodem.* Nec valet, quod nomine subiecti sensibilis intellexit Philosoph. non materiam cum accidentibus sensibilibus, sed compositum ipsum substantiale, vt substantiale; nam hoc est, quod sentitur, cum ab illo procedant actiones, & passiones tamquam a subiecto.

265 Nam contra est: Compositum substantiale, vt tale, non est sensibile; aliter substantia non esset (contra communem sententiam) sensibilis per accidens, seu per aliud, per accidentia sensibilia scilicèt, medijs quibus sensibus obijcitur ergo dum negat Philosoph. vllum remanere subiectum sensibile in resolutione substantiali, negat materiam, vt eisdem vestitam accidentibus sensibilibus manere; aliter essent vera hæc duo contradictoria: *Aliquod subiectum sensibile manet, materia scilicèt*, quod AA. asserunt, *& nullum subiectum sensibile manet*, quod asserit Philosoph. Quare hanc sententiam omnes amplectuntur Thomistæ, quibus adhærent ex extraneis Alensis, Rubio, Conimbr. & alij.

266 Commune erat apud

apud antiquos sententiæ oppositæ Patronos eam propugnare ex vi doctrinæ apud ipsos familiaris, materiam scilicèt primam esse subiectum immediatum accidentium sensibilium vnde cum illa non pereat in corruptione substantiali, pariter nec pereunt præcedentia accidentia in illa subiectata, contra quos procedebant Thomistæ (& modo procedendum est contra quecumque sic oppositam sententiam defensantem) vtendo omnibus illis satis efficacibus rationibus, quibus probant esse inpossibile materiam prius recipere formam accidentalem, quàm substantialem, & quod prius habeat esse secundumquid, quàm esse simpliciter; aliter nec ipsa erit prima potentia, nec forma primus actus: insuper procedebant ex principijs, quibus directè probavimus totum compositum substantiale esse immediatum subiectum accidentium; quibus stabilitis principijs, sic arguebant: Pereunte subiecto formæ accidentalis petit ipsa forma accidentalis: sed in resolutione substantiali petit subiectum formarum sensibilium accidentalium, compositum scilicèt substantiale: ergo pereunt omnes illæ formæ accidentales. Quæ consequentia est legitima, & solus labor est in probanda minori, quàm probare non est præsentis articuli, cum ex omnibus illis communibus principijs sit probanda.

267 At in præsenti temporis tempestate respondent aliqui ad præiactum discursum, disting. mai. petit forma accidentalis pereunt subiecto, ita, vt in eodem instanti aliud non substituatur, quod sit idem in munere substentãdi, conc. mai. si aliud adveniat, quod sit idem in munere substentandi, neg. mai. & ommissa min. vel eodem modo distincta, neg. conseq. sicut enim licèt materia ammittat formam in corruptione substantiali, materia non petit, quia, & si non possit existere sine forma, alia advenit loco corruptæ, à qua recipiat esse, sicut accipiebat illud à priori forma; ita pereunt composito non pereunt accidentia in illo subiectata, quia in eodem instanti, in quo verificatur *nunc non est corruptum*, verificatur, *nunc est genitum*, quod idem est quod munus substentandi accidentia.

268 Sed contra hanc naturalem transmigrationem accidentium stat M. P. Augustinus qui lib. 5. contra Iulianum, cap. 14. sic, cum ipso loquens ait: *Nec sane tibi Dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis, verum enim est quod ibi advertisti: ea, quæ in subiecto sunt sicut sunt qualitates, sine subiecto esse non posse, sicut est in subiecto*

cor-

corpore color, aut forma sed afficiendo transeunt, non migrando. Quemadmodum Ethiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt; non tamen Parentes in filios colorem suum, velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt. Et postea sic concludit: *sic, & vitia, quamvis sint in subiecto, ex parentibus in filios, non quasi transmigratione de suo subiecto in alterum (quod fieri non posse cathegoriæ illæ, quas legisti, verissimè ostendunt) sed affectione, & contradictione pertranseunt.*

In quibus habetur, quod D. Augustinus docet verissimam esse, & communem doctrinam negantem accidentia transmigrare de suo subiecto in alterum, *quod* inquit, *fieri non posse cathegoriæ illæ, quas legisti, verissimè ostendunt*: Ideoque hoc concesso Iuliano arguenti, negat inde sequi peccatum originale non posse à Parentibus derivari in filios, quia non transit idem migrando, sed Pater infectus generat filium sibi similem in infectione; sicut Ethiopes parentes nigros gignunt filios, non per hoc, quod nigredo, quæ est in Patre, transmigret in filium, sed per hoc, quod niger Pater assimilet sibi filium, quem generat, in nigredine, quam ipse habet: nec enim accidens sic debet imaginari, quasi tunica, quæ de manu in manum translata variat possessores, *non parentes*, inquit, *in filios colorem suum velut tunicam transferunt*: Contra ipsum ergo sentiunt, qui accidens ab hoc subiecto in aliud transferri quasi tunicam sentiunt.

269 Nunc vlterius impugnatur ratione. Accidens idem numero mutans naturaliter subiectum est accidens, quod adhuc attenta sua individuatione est naturaliter indifferens ad actuandum hoc subiectum, vel illud: sed tale accidens implicat: ergo. Et naturalis illius transmigratio de subiecto in subiectum. Prob. min. tùm quia implicat accidens, quod attenta sua individuatione non sit intrinsecè receptum in hoc determinatè subiecto: (separatio quippè accidentis ab omni subiecto non est naturaliter possibilis) ergo, & quod non sit intrinsecè ab eius potentialitate limitatum, ipsique intrinsecè appropriatum, aliter subiectum habere accidens aliquod sibi intrinsecum per inde esset (vt exemplo vtamur Augustini) ac habere tunicam, quàm quis, sicut pro libito induit, ita & pro libito exuit: sed implicat accidens quod attenta sua individuatione sit ab hoc subiecto limitatum, ipsique intrinsecè appropriatum, & quod attenta sua individuatione naturaliter sit indifferens ad actuandum hoc

hoc subiectum, vel illud: ergo. Tùm quia sicut natura nil facit frustra, ita nihil fortuitò, & à casu operatur: ergo sicut facit accidens propter sub iectum, ita hoc numero accidens fecit proter hoc numero suiectum. Tùm quia licèt accidentia hæc, de quibus loquimur, communia dicantur, quia ex prædicatis specificis subiecti non exiguntur, exiguntur tamen ab illius prædicatis individualibus, tale quippè temperamentum individuale mixti talem exigit albedenem sic, vel sic intensam, sic, vel aliter modificantem: ergo accidens individualiter sumptum est determinatum à natura ad hoc temperamentum sumptum individualiter: sed cum hoc pugnat, quod individualiter sumptum sit indifferens: ergo.

Tùm quia accidens individualiter sumptum est accidens vltimo intrinsecè determinatum à natura quoad indifferentiam specificam actuandi hoc subiectum vel aliud, quod quidem parum refert, quod exemplificetur in accidentibus proprijs, nam idem evenit quãtum ad hoc in accidentibus communibus: risibilitas quippè specifice sumpta licèt determinata sit, vt sit accidens hominis, est tamen indifferens vt sit risibilitas huius hominis, vel alterius; quod si risibilitati addatur individuatio, & iam sit hæc, implicat quod risibilitas hæc, non sit determinate resibilitas huius individui: ergo implicat, quod albedo hæc, non sit albedo huius determinate individui.

Prob. conseq. quia licèt albedo non sequatur ad principia specifica (ideoquè, vt diximus, accidens dicatur commune) sequitur principia materialia secundumquod in mixtione participant aliquid de luce: ergo sicut implicat quod risibilitas hæc non sit risibilitas huius speciei, vt vltimo individuatæ, ita implicat quod hæc albedo non sit albedo huius principij materialis, quod est subiectum, vt vltimo individuati, Denique ex dictis art. præcedente probatur, Quia albedo, vt hæc essencialiter est in hoc: ergo maneat in esse albedinis, in esse tamen huius albedinis manere nequit, si non est in hoc.

270 Vrgetur. Minus determinatur, & limitatur anima rationalis à materia, sine qua, & si præternaturaliter, non tamen supernaturaliter, existit, quàm accidens à subiecto, sine quo nequit, nisi miraculose existere: sed anima hæc, & individua, nequit naturaliter (vt ab absoluta impossibilitate præscindamus) transmigrare de corpore in corpus, nam hoc,

sig.

figmentum est Pythagoricum, quod, teste D. Thoma 2. contra Gent. cap. 44. ratione 6. *fidei repugnat, & secundum Philosophiam apparet esse erroneum*: Ergo. Aliter: cui naturali principio innixi suadebimus in animabus, quæ minus dependent à corpore, hanc transmigrationem esse figmentum:, si eandem, posita maiori dependentia, concedimus quotidie accidentibus?

272 Nec dicas hanc subiectorum mutationem non esse transmigrationem accidentium, cum transmigrare sit ex vno in alium locum trasire, quod in præsenti non contingit, cum cadaver v.g. succedat ibidem, vbi perivit vivens. *Nam contra est*: quia vnde probatur accidentia non posse naturaliter transmigrare de loco in locum, si semel conceditur posse naturaliter transire de subiecto in subiectum? Nam magis dependet hoc accidens numero ab hoc nomero subiecto, de cuius individuali potentialitate intrinsecè educitur, & in qua intrinsecè recipitur, quàm dependeat à loco extrinsecè circumscribente: sed non obstante prima dependentia potest naturaliter mutare subiecta: ergo & potest mutare loca non obstante secunda. Cur enim naturæ deerunt vires, vt translato accidenti ab hoc subiecto in aliud sibi contiguum reperietur tandem idem numero accidens in subiecto longe distanti à primo?

272 Vlterius: Si sola transmigratio localis, & propria est quæ naturaliter pugnat cum accidentibus his individuis: ergo animæ rationali minus dependenti à materia quàm accidens dependeat à subiecto, non repugnabit naturaliter quod hæc eadem numero, quæ hanc materiam informavit, aliam postea informet: vnde, & si transmigratio animarũ ex tradita doctrina non possit suaderi, potest tamen aptissime colligi possibilis naturaliter animarum *transcorporatio*, idest diversorum corporum successiva informatio, quo nomine suam antiqui Pithagorici exprimebant transmigrationem apud Divum Thomam quæst. 3. de Potentia artic. 10. consequens est falsum: ergo. Nec cum anima possit in instanti moveri, satis apparet, cur hæc anima quæ nunc non informat hoc corpus, & antea informabat, nõ possit nunc aliud ad introductionem animæ dispositum informare, quod antea non informabat.

273 Ac tandem sententia, quæ atribuitur Origeni, quod animæ rationales priusquam informarent corpora extitere separatæ, & pro iui merito,

to, vel demerito, corpus sortitæ sunt bene, vel male temperatū, sententia inquam hæc non poterit (præscindendo à principijs fidei, quibus est contraria) aliqua ratione naturali convelli contra Gentiles ipsi adhærentes. Nam si accidens hoc numero est indifferens naturaliter, vt actuet subiectum, vel illud: ergo anima hęc indifferens fuit, vt informaret hoc corpus, vel illud: ergo cum status separationis ab omni corpore non sit ipsi violentus, sic defacto creatę sunt, vt pro sui merito, vel demerito corpus hoc, vel illud sortirentur sibique, & non alteri, huius inferioris portionis pravam dispositionem imputarent: ergo, vt hæc figmenta conterantur, dicendum est hoc numero accidens ab hoc numero subiecto esse individuatum, & coarctatū, ne in aliud saltim naturaliter transeat, & idem de hac anima rationali respectu huius materiæ, quam semel informavit.

§. II.

Solvuntur argumenta.

274 OBijc. 1. Insinuatum iam oppositæ sententiæ motivum. Eadem entitas numero materiæ, quæ accipiebat esse ab hac numero forma, postea accipit invariata esse ab alia numero succedente in eodem instanti loco prioris: ergo idem numero accidens, quod habebat esse ab hoc numero subiecto, potest postea habere esse ab alio numero subiecto succedente in eodem instanti loco prioris: sed genitum succedit in eodem instanti corrupto: ergo idem numero accidens, perseverat in genito, quod fuerat incorrupto.

275 Confirm. Posito hoc numero effectu iam semel producto ab hac numero causa efficiente, ab alia numero distincta (si prima petit) idem numero conservatur, vt quotidie docet experientia: ergo educto iam semel hoc numero accidente ab hac numero causa materiali, potest ab alia distincta idem numero conservari: sed transmigratio accidentium in nullo alio consistit: ergo possibilis est naturaliter.

276 Vrgetur. Hæc numero anima rationalis potest distinctam materiam ab ea, quam modo informat, naturaliter informare: ergo, & accidens. Patet consequentia ex dictis, & antecedens constat, nam per nutritionem potest fieri, vt materia, quam modo informat anima, sit sola materia alimenti, quam nutritus sibi propriam fecit, prima materia per continuam actionem caloris naturalis totaliter deperdita.

277 Iuxta Thomistarum

principia, nullas habet vires principalis obiectio: nam materia nō accipit individuationem à forma, sed potius è converso, accidens vero individuatur ex subiecto; vnde ex eo quod eadē numero materia perseveret variata forma nullum potest fieri argumentum pro perseverantia accidentis variato subiecto; ac proinde ly *esse* stat æquivoce; nam à forma non accipit materia esse numericum, de quo est litigium, & illud accipit accidēs à subiecto. *Accedit ad hæc*; quod materia non manet eadē numero positive variatis formis, cum varietur quantitas, ex cuius determinata exigentia fit materia vna numero positive, licet maneat eadem numero negative.

278 Sed quia hæc alijs non placent, ommisso ant. neg. conseq. cuius disparitas ex ipsis extremis comparationis desumitur: Nam subiectum ex receptione huius non limitat suā potentialitatem ad hoc, actualitas vero recepta limitatur ex receptione ad hoc, cum intrinsece recipi sit naturæ recipientis accommodari, & appropriari, recipere sit aliud ad se trahere, sibique accommodare; aliter liceret inferre, quod sicut materia habens hanc formam, non solum potest, verum anhelat ad aliam, ita forma non solum posset informare aliam materiam, sed exigeret hanc; quam informat, deperdere, vt in aliam transiret informandam.

279 Ad confirm. neg. antec. Nam vel obiectio procedit de causis æquivocis, à quibus effectus dependet in fieri, & conservari, vt cœlum, &c. hæ causæ semper perseverant; vel loquitur de causis vnivocis, à quibus effectus solum dependet in fieri, & hæ sivè pereant, sivè perseverent, nil ad rem perseverantiæ effectus, sicut quod Pater moriatur, vel vivat, nil quoad intrinseca, variatur principium influens in persistentiam filij. Quod si contendas exemplo caloris, qui absente igne generante, si alius ignis succedat; perseverat, si secus, perit. Resp. iuxta sæpe insinuata, quod ignis succedens solum est removens prohibens respectu conservationis caloris primo producti; ipse autem per se conservatur à causis æquivocis à quibus per se in linea efficientium dependet, & à subiecto, à quo intrinsece substentatur.

280 Ad id, quo vrgetur argumentum, patet solutio ex dictis supr. lib. 1. q. 4. art. 3. Nam hæc forma, anima v.g. rationalis, in tantum potest informare modo materiam, quā antea non informabat, in quantū cōtinuatur cum materia præexistente. Quod si petas, quare similis cōtinuatio non dabitur inter subiectum, quod modo perijt, & aliud

aliud sibi in eodē instanti succedēs ita vt vtrumq; idē reputetur in ordine ad sustentandum, & individuandum accidens.

Resp. ex D.Th. ibi adducto 1.p. q.119. art.5. quod eatenus in primo casu cōtinuatio datur quatenus nova pars materiæ primo adveniens convertitur in præexistentem, & sic successive; quod si materia, in qua primo recepta fuit forma substantialis totaliter deficeret, ita vt ipsa desineret esse tempore antecedente novæ materiæ adquisitionem, sicut locus non adesset conversioni, ita nec cōtinuationi, ac proinde eam non posset informare eadē numero forma, quæ præcedentē materiā informabat, ac tandem non esset idē numero compositū substantiale succedens priori. Cum ergo subiectū quod corrumpitur ita desinat esse totaliter tempore antecedente, vt necūt ipsum quod succedit, nec hoc transeat in illud, locus non adest cōtinuationi, & consequēter nec eiusdem numero accidentis actuationi. Videantur ibi super hoc plura.

281 Obijc. 2. facilius generatur elementum aliquod ex alio elemento sibi simbolo, quā ex disimbolo, vt facilius transit aer in aquam, cū qua convenit in humiditate, vel in ignem, cū quo in calore convenit, quam in terram, cui in nulla qualitate est similis, sic enim docet Phylos. in præsenti cap. 4. & nos idem ex ipso propugnavimus: sed hoc esset falsum, si omnia accidentia perirent cum corrupto: ergo. Prob. min. tum quia eo facilior est iuxta Phylosoph. talis transitus, quia ad illum necessarium non est, quod omnes qualitates elementi, quod transit, corrumpantur, sicut si transiret in disimbolum, sed illa tantum, quæ dissimilis est: sed si omnes pereunt ad desitionem subiecti, idem evenit cum transit in elementum symbolum, ac cum transit in disymbolum: ergo.

Tum quia eatenus facilior esset transitus, quatenus materia esset potius determinata ad formam elementi similis, quam dissimilis: sed si omnes qualitates, medijs quibus debebat determinari, pereunt cum corrupto, non est quod materiā determinet potius ad formā elementi similis, quam dissimilis: ergo. Tum, & explicatur amplius hoc ipsum pro omni generatione substantiali. Si omnes dispositiones, quas ignis inducit in lignum, vt in ipso introducat suam formam, pereunt tempore antecedente generationem cum forma ligni, materia manet in illo instanti nuda ab omni accidente, quo determinetur ad formā ignis: sed eo esset facilior introductio ignis, quatenus materia medijs dispositionibus est determinata ad formam ignis: ergo.

Denique: nequit introduci forma ignis in ligno nisi dentur in ligno dispositiones formam ligni expellentes: sed hæc non dantur, nam dispositiones præcedẽtes non sunt sufficientes, cũ perseverent simul cum forma ligni toto tempore antecedente, in instanti vero generationis nullæ iam dantur dispositiones, quia omnes illæ periere: ergo.

282 Conf. 1. efficaci, inquiunt, argumento, vtpote ab experientia, quæ in rebus Philosophicis plurimũ valet, desumpto. Nam videmus eundem calorem, eandem quantitatem, eandem cicatricem, & huiusmodi alia accidentia, quæ præcesserũt in vivente, remanere in cadavere. Nec in hoc falli potest sensus, vtpote qui debite applicatus proprio sensibili non fallitur. Nec vt hanc sensus apprehẽsionem corrigamus adest, aut efficacissima ratio, cui non pateat solutio, aut aliquod nos cogit in oppositum fidei mysterium in cuius obsequium imbecillitatẽ nostrę rationis captivemus. Pręterquam quod, vt illud accidens, quod apparet idẽ, non idem, sed aliud sit, & si valde simile, necessum est assignare agens, quod illud producat: sed agẽs, quod potest assignari, introducens scilicet formam cadaveris, illud non producit, nam calor, vel cicatrix impertinenter omnino se habẽt ad formam cadaveris; ergo.

283 Conf. 2. ex eo quod huius videntur sententiæ Patroni Philosoph. & D. Thom. Ille enim cap. 4. huius libri asserit, quod dum aliquid generatur ex alio simili, idem accidens, in quo assimilantur, permanet in vtroque. Ang. vero Præcept. 4. contra gent. cap. 81. inquit: *Materia hominis post eius mortem manet sub eisdem dimensionibus, ex quibus habebat, vt esset individuata*: ergo cum dimensiones accidentia sint, aliqua accidentia indicat manere in materia, ex his, quæ præcessere incorrupto.

284 Huius argumenti solutio ferè patet ex dictis circa dispositiones pravias, & circa generationem vnius elementi ex alio tàm symbolo, quàm disymbolo. Vnde concessa mai. neg. min. Ad eius 1. prob. explico mai. quia non est necesse, quod omnes qualitates corrumpantur, corruptione per se, & inducta expugna cum qualitate contraria, conc. mai. corruptione per accidens ad corruptionem subiecti, neg. mai. & disting. min. idem evenit, quoad corruptionem per accidens, conc. min. quoad corruptionem per se, & inductam expugna qualitatis contrariæ, neg. min. & conseq. in qualibet corruptione corrumpuntur omnes qualitates, sed in sola elementi, aut alterius rei omnino dissimili corrumpuntur media pugna

inducta à qualitate contraria,& si in omni corrumpantur per accidens ad corruptionem subiecti, cum enim aer transit in ignem, sola humiditas petit ex vi pugnæ cum calore, secus calor ille, qui præcessit in aere, qui solum corrumpitur ad corruptionem aeris; quod si aer transiret in terram, tàm humiditas quàm calor peterent ex vi pugnæ cum siccitate,& frigiditate terræ: & cum vbi maior est pugna, maior sit resistentia, & vbi maior resistentia, difficilior evadat victoria; ideo difficilior est vnius elementi in disymbolum elementum, quam in symbolum transmutatio; quod, & non amplius intendisse Philosoph. in solutione vltimæ confirmationis postea constabit.

285 Ad 2. prob. concess. mai.neg.min.quia cum nec natura, nec agentia iuxta eam transferant rem de extremo ad extremum, potius est determinata ex vi qualitatis,inqua convenit cum elemento symbolo, materia elementi transmutandi ad illius formam, quam ad formam elementi disymboli, & ideo agens faciliori pugna eam præparat ad talem formam,quã ad aliam.Quod si de vltima determinatione sit sermo, constabit solutio dum statim respondeamus ad 3. prob.

286 Ad quam resp.quod materia in instanti generationis non solum est determinata ad formam ignis, verum est determinata per formam ignis, quia illam iam habet;toto autem tẽpore præcedente fuit ad illam suspiciendam, determinata per dispositionẽs in ipsa toto tali tẽpore præexistentes, & quæ hoc ipso quod tales sunt, & ex tali fine ab agente introductæ, petunt necessario necessitate naturali, vt non desinant esse, nisi in instanti desitiones earum,forma intenta,cum qua habent cõnexionem, ponantur: sicut talis necessitas datur, vt posita forma viventis in materia non possint introduci dispositiones alterativæ,quæ non disponant ad formam cadaveris.

287 Ad 4. resp. dispositiones prævias non expellere nisi dispositive formam corrumpendam, formaliter autem expellitur per formã de novo advenientem, & effective per actionem agentis illam inducentes in materiam:hæc autem dispositiva expulsio solum petit, quod forma, dum ipsæ dispositiones sunt,sit in via corruptionis, & in instanti extrinseco earum,sit in facto esse expulsa per formam advenientem. Videantur pro omnibus his dicta supra lib.1.q.1. art.8.

288 Ad 1. confirm. quam immerito ita difficilem proponunt obiicientes, neg.mai.scilicet,quod sensus externus videat

eundem numero calorem, cicatricem, &c. in cadavere, cum his quæ expertus fuerat in vivente: videt quidem, seu experitur calorem, quem expertus fuit in vivente, sed quod sit idem numerice, & non solum specifice calor ad eius propriam experientiam non pertinet, nam individuatio non est sensibile propriū sed cōmune, cum omnes sensus sunt circa accidentia in singulari: circa sensibile autem cōmune sensus falli ipsa experientia quotidie probamus, vt omnibus est in confesso. Quod si sensus communis etiam in suo iudicio fallitur, vel occasionem dat intellectui (vt multoties contingit) vt fallatur, corrigendus est iuxta rationem à nobis assignatam, quæ si Adversarijs non videtur efficax, nobis tamen cum D.Th. efficacissima videtur.

289 Hinc dicimus, quod introducens formam cadaveris illam cicatricem, quantitatem, aliaque huiusmodi similima primis introducit; nō omnia propter necessitatem formæ vt absolute introducendæ, sed propter illam introducendam in hac materia: nā ex vna parte forma cadaveris similem organizationem petit in corpore, & ex alia agens cū in sua actione repatiatur, propter tale passi temperamentum has specificè, & non alias, necessitatur qualitates producere, vt sic, quasi cedens in aliquibus exigentiæ passi, in quo operatur, intentam formæ introductionem consequatur.

290 Ad 2. conf. patet solutio quantum ad authoritatem Philosophi, quā explicat D.Th. loco à nobis in probatione conclusionis adducto, scilicet, remanere idem accidens, non numero, sed specie, & quod propter magnam similitudinem dicitur idem. Ad auth. D.Th. resp. quod in materia, mortuo homine, manet idem ordo nō exigentiæ, sed puri respectus, & capacitatis ad formam hominis quam habuit, & mediante ea ad dimensiones quibus fuit individuata, & potest iterum mediante reunione virtute supernaturali facta positive individuari: quod intendit, & non amplius D.Th. vt possibilem corporum resurrectionem suaderet.

Hic agendum erat de determinata viventium periodo; sed quia hoc dubiolū magna ex parte simillimū est determinato viventium augmento, quod lib. 1. resolvimus, & impossibilitati temperamenti ad pondus, quam paulo ante defendimus, ideo ad citatum locum remisso lectore; finem huic operi imponimus in laudem Dei, B. Virginis sub Rosarij Cognomine, B. Patriarchæ N. Dominici, & Ang. N. Doctoris D. Thomæ huius Collegij Lucis, Ducis, & Patroni.

FINIS.

IN-

INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLVM.

Liber Primus de Generat. & Corrupt.

Art.

Liber secundus de Generatione.